IULII PALMARII ... DE MORBIS CONTAGIOSIS LIBRI SEPTEM. CUM INDICE...

Julien Le Paulmier de Grentemesnil, ...

Digitized by Google

NAZIONALE
BIBLIOTECA CENTRALE V. E. II
12
74 E
2
ROMA

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

73.6.13.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

A

Digitized by Google

Digitized by Google

IVLII PALMARII, CONSTANTINI, MEDICI PARISIENSIS, DE MORBIS CONTAGIOSIS Libri Septem.

AD

AMPLISSIMVM Senatum Pariſienſem.

Cum INDICE gemino.

FRANCOFVRTI

Apud Claudium Marnium, & heredes Ioannis Aubrii.

M. DCI.

BIBL. SEC. COLL. ROM. SOC. IESV

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

SVPREMO ATQVE AMPLISSIMO PARISIORVM SENATVI, IVLIANVS PALMARIVS Conſtantinus, Pariſienſis Medicus,

S. P. D.

QVos olim, dum ægris in Xenodochio Lutetiano decumbentibus medicinam facerem, de aliquot contagioſis morbis conſcripſeram, ac mihi recondideram commentarios (Patres conſcripti) ab hinc ſexennium auctos ac recognitos, Andreæ Wechelo, nobili Bibliographo typis excudendos, vt fauore auſpicioq; ordinis veſtri, in lucem prodirent, tradideram: ſed vix dum dimidiam ipſorum partem abſoluerat, quum opere inter-

Digitized by Google

rupto, ciuilium bellorum interceſſit calamitas: illius enim ædes, qui inuaſerunt atque deuaſtarunt, ne manu ſcriptis quidem lucubrationibus meis, quas illius fidei commiſeram, imperiti, & humaniorum diſciplinarum rudes pepercerunt. Quum igitur tot vigiliarũ iacturam feciſſem, ita animum deſponderam & abieceram, vt mihi iam ſeni nihil in poſterum moliendum eſſe cenſerem, quum vicinus quidem meus, illarũ vetus quoddam exemplar, ſitu ac puluere obductũ, & lituris multis, tanquam ſulcis crebris exaratum, quaſi iure poſtliminii retulit: cuius adiumẽto laceras intermiſſi operis partes, vtcunque reſarciri poſſe & inſtaurari viſum eſt. Opuſculum igitur,

vt

Digitized by Google

vt tulerunt tempora, ruri renouatum atq; abſolutum, & vobis conſecratum, tandem emitto, vt dum maiora molior, aliqua apud vos ocii ac ruſticationis meæ ratio extet. Statui autem, ſi vobis probabitur noſter hic labor, huic reliquorum omnium morborum curandorum rationem breui ſubnectere, & totam therapeuticem pro viribus illuſtrare. Si quid inde fructus in laborantium ſalutē medicinæ ſtudioſi ferant, ampliſſimū præmium reportauero. Neque enim alium mihi ſcopum propoſui, quam fœlici ſucceſſu explorata remedia, ac valde expeditam recte medendi viam, quā fauſtiſſimam comperi, poſteris tradere, & quātum in me eſt, omnium ſed maxi-

me Pariſioru͞ (apud quos in philo-ſophia & medicina inſtitutus ſum) incolumitati ac ſaluti conſulere. Hunc autem primum meorum laborum fœtum, ornatiſsimo atque omnium celeberrimo veſtro clariſſimorum virorum cœtui, idcirco conſecrare ſtatui, quod apud vos olim conceptus, tandemque editus ſit, quodque tanta apud omnes iudiciorum veſtrorum ſit autoritas, tantumque ſententiarum pondus, vt ſi vobis probabitur, ab omnibus probatum iri, & ab obtrectatorum calumniis, & morſibus tutum fore non diffidam. Accedit etiam, quod ſumma ordinis veſtri maieſtas, atq; antiqua in iure dicendo æquitas, turbulentibus hiſce temporibus, quæ multorum Gal-

lorum

lorum mores deprauarunt, etiamnum ſuperſtes, ſic omniū animos ad veſtri amorem rapiat, vt optimus quiſque, ſe ſuaque omnia vltro vobis veſtroque arbitrio concredat, & ſi quando de vita, aut fortunis diſceptandum ſit, Senatuſcōſultis veſtris ſeſe lubens ſummittat.

Deus opt. maxim. antiquam iſtam ordinis veſtri fidem & integritatem prouehat, & quam diutiſsime tueatur. Valete.

INDEX CAPITVM TOTIVS OPERIS DE MORBIS CONTAGIOSIS.

De lue venerea libri duo.

I. Luis venereæ deſcriptio 1
II. Prima luis venereæ origo 7
III. Luis efficiens cauſa 10
IV. Luis ſpecies ſiue gradus varii ſuis ſignis diſtincti 15
V. Prognoſticon 21
VI. Quæ fuerit luis venereæ vetus curatio 24
VII. Luis venereæ amuletum 29
VIII. Luis venereæ præcautio 40
IX. Quæ ad luis curationem recte inſtituendam prænoſcenda, quæque curationi præparatio præmittenda ſit 45
X. Guaiaci deſcriptio 48
XI. Diſputatio in quoſdam de guaiaco parum philoſophice ſentientes 52
XII. Guaiaci vires 61
XIII. Guaiaci præparatio 63
XIV. De chinæ viribus & præparatione 70
XV. De ſarcaparrilla 79
XVI. Qua arte & methodo guaiaci & ſarceparrillæ decoctum deſcriptum, ac luis alexipharmacum adhiberi debeant 82
XVII. Deſcriptio æſtuarii 91
XVIII. Quæ victus ratio ſeruanda ſit 93
Infantium lue venerea affectorum curatio 96

De lue venerea liber ſecundus.

I. Luis aliis affectibus implicitæ aut inueteratæ curatio 103
II. Eorum qui per hydrargyrum reſtitui non potuerunt, curatio 111
III Recidiuæ luis cauſa & curatio 122
IV. Quibus hydrargyri litus citra inſignem noxam adhiberi poſſit 130

V. De

V.	De luis venereæ ſymptomatis leuioribus	135
VI.	De inueteratæ luis venereæ ſymptomatis	141
VII.	De tophis venereis	147
VIII.	De bubone venereo	158
IX.	De virulenta gonorrhœa	174
X.	De vlcere penis & venerea hyperſarcoſi	180

De hydrargyro liber vnus.

I.	Quid ſit argentum viuum, & quibus differentiis diſtinguatur	205
II.	Argenti viui ex veterum Græcorum & Arabum ſententia vires ac proprietates	207
III.	Argenti viui vires & facultates	210
IV.	Hydrargyrum frigidum & humidum eſſe	215
V.	Occultæ hydrargyri vires vſu & experientia compertæ	222
VI.	Hydrargyri cinis, qui & puluis mercurii, & præcipitatus hydrargyrus vulgo dici ſolet	232
VII.	Noua ac ſecura luis venereæ per hydrargyrum & alexipharmacum, curatio	236

De Elephantiaſi liber vnus.

I.	Elephantiæ deſcriptio atque notatio	257
II.	De elephantiæ cauſis	260
III.	Imminentis ac iam conſpicuæ elephantiaſeos notæ	265
IV.	Prognoſis	270
V.	Curatio	272
VI.	De exercitatione, frictione, geſtatione, ira, venere, & aliis multis	277
VII.	Fucata eorum, qui nullo remedio in integrum reſtitui poſſunt, curatio	287
VIII.	Deploratæ elephantiæ ſymptomata	291
IX.	Quæ elephãtiæ curatio ab antiquis tradita ſit	296
X.	Potiones elephanticis ex vſu	307

De morſu canis rabidi & hydrophobia liber vnus.

I.	De morſu canis rabidi & hydrophobia	327

II. Imminentis aut præſentis hydrophobiæ cauſa 332
III. De præcautione & curatione hydrophobiæ 335

De febre peſtilenti liber primus.

I. Quid peſtis 358
II. Quid popularis morbus, & eius differentiæ 360
III. Morborum popularium cauſa 363
IV. ἐνδήμους, ἐπιδημίους, & peſtilentes morbos ſæpius ab aere proficiſci 367
V. Occultam & obſcuram eſſe perniciem, quæ vere peſtilentes morbos procreat 371
VI. Vnde in aerem influat occulta illa peſtilentiæ cauſa 377
VII. Quæ præparatio peſtem excipiat 381
VIII. Veræ & legitimæ peſtis pathognomonica ſigna 387
IX. Lethalia peſtis ſigna 394
X. Peſtilentis conſtitutionis prouiſio 396
XI. Vt imminētem regioni peſtem auertere liceat 401
XII. Quæ præcautio ſingulis neceſſaria 405
XIII. Deſcriptiones multorum alexiteriorum, quæ peſtis contagia arcere poſſunt 413
XIV. Quæ victus ratio peſtilenti cœli ſtatu tenenda 417
XV. Aliæ quædam obſeruationes in peſtilentia perutiles 427

De febre peſtilenti liber ſecundus.

XVI. Victus ratio in febre peſtilenti 435
XVII. De remediis luis peſtilentis 447
XVIII. De ſimplici materia in febre peſtilenti 450
XIX. De compoſitis medicamentis in febre peſtilenti 473
XX. Poſterorum inuenta, ad febrem peſtilentem, alioſq; venenatos morbos quamplurimos 477
Aqua ad vinum diluendum peſtilenti conſtitutione, & in febre peſtilenti 483
Puluis aromaticus, qui peſtis perniciem obtundit & propulſat 484
Puluis cardiacus in fine paſtus vſurpandus 486

De epi-

	De epithematis	486
XXI.	Curandi methodus	490
XXII.	Deſcriptæ curationis per ſudores confirmatio	498
XXIII.	De purgatione & venæ ſectione in febre peſtilenti	503
	Apozema ad eximendas putris humoris reliquias	513
XXIV.	Peſtis ſymptomata	517
	De vomitione	520
	De ſingultu	419
	De vacuationibus ſpontaneis, quæ in hoc morbo contingunt	522
	De ſanguinis reiectatione atq; exſcreatu	523
	De alui profluuio	524
	De ecthymatis	525
XXV.	De bubone peſtilenti	527
XXVI.	Curatio bubonis peſtilentis	532
XXVII.	De carbunculo	540
	Carbunculi curatio tutiſſima	548

I. PAL-

I. PALMARII CONSTANTINI DE LVE VENEREA LIBRI DVO.

PRÆFATIO.

MORBORVM omnium, quos ex omni hominum memoria orbem terrarum miſerrime vaſtaſſe atq; depopulatos fuiſſe legimus, is mihi ſæuiſſimus, ac pernicioſiſſimus videtur, qui à Gallis quidem Neapolitanus, aut Hiſpanicus, ab Hiſpanis autem & Italis, Gallicus, à nobis vero citra nationum iniuriam, lues venerea vocitatur.

Sæpe quidem peſtilentes febres, nonnunquam & dyſenteriæ populares, vniuerſum hunc orbem ita afflixerunt atq; diuexarunt, vt vix tertiam hominum partem ſuperſtitem reliquerint: ſed quæ haud multo poſt, ſublata malefica aeris contagione, quæ illas concitauerat, breui in totũ ſponte diſparere, deleriq; viſæ ſunt.

At contagioſa venenataq; lues venerea, vt ex effrenata commiſcendorum corporum libidine, quæ naturæ ingenita eſt, & nunquam intermori poteſt, profecta eſt, ſic ex quo humanum genus ſemel inuaſit, continenter afflixit, nec vllo tempore deſiit, aut extincta eſt.

Præ-

Digitized by Google

Præterea quos hæc adoritur, non vt febres peſtilentes, aliive morbi populares, breui vel è medio tollit, vel dimittit, ſed doloribus diuturnis, aliiſque crudeliſsimis ſymptomatis ſenſim ac miſere conſumit.

Poſtremo qui febri peſtilenti eripiuntur, perfecte adeo liberari ſolent, vt nullam poſtea eius contagionem, aut amicis quibuſcum verſantur, aut quos progignunt atq; tollunt, liberis communicent. At qui à lue percurati videntur, non ſolum ſopitum ipſius fomitem rurſum excitari frequenter experiuntur, ſed etiam alios quibuſcum permiſcentur, plerunq; contaminant, & liberos fere procreant, eodem vitio infectos, aut certe admodum valetudine, & natura infirmos & effæminatos, quorum imbecillior quoq; omnis poſteritas, & pluribus valetudinis vitiis obnoxia eſſe ſolet, tanta tamq; maligna eſt deliteſcentis in ſemine venerei fermenti pernicies.

Itaque ſæuior ac pernicioſior exiſtit fœdiſsima hæc lues venerea noſtro hoc ſeculo nata, quã grauiſsimi quiq; ſuperioris ætatis morbi: quæ niſi breui cohibeatur, ac veluti relegetur extra vltimos mundi atq; naturæ limites, hominum robur atq; vires ita ſenſim atteret, vt ſumma tandem futura ſit generis humani calamitas. Quibus igitur remediis, quaque ratione ac methodo vſurpatis, tam contagioſa labes deleri poſsit, in pauca confe-

ram, vt tam grauibus humanarum miſeriarum caſibus pro virili conſulam.

Scripſerunt quidem de noua & veteribus incognita hac lue iam multi, verum hi adhuc naſcentis, & vix dum bene cogniti morbi, nondum certam & tutam curationem poſuerunt, ſi mihi, poſt Fernelum, creditur. Alii enim empirici, potius quam medici, communem omnis ſcabiei curationẽ per hydrargyrum, huic morbo velut propriam addixerunt. Alii alia præſidia, quæ omnis generis excrementa, vel in ipſo corpore ſiccare & abſumere, vel ex eo, aut per ſudores, aut per vrinas, aut per aluum vacuare, atq; idcirco luis ſymptomata, ab iis maligna qualitate imbutis profecta inhibere poſſunt, pro ipſius morbi amuleto, & vero alexipharmaco prædicare, & poſteris omnibus commendare non dubitarunt.

Quæ omnia luis radices (quum præſertim malum altius in corpus egit) atq; ipſius fermentum haud extirpare hinc conſtat, quod ſic curatis, interdum poſt quartum quintumve annum, interdum etiam poſt viceſimum aut triceſimum morbus rediuiuus appareat, quodq; multis ſic curatis, liberi naſcantur eadem labe reſperſi.

Ego tamen eorum laboribus in hoc negotio me plurimum adiutum profiteor, in quorum ſcriptis, quicquid aut ad perſpicuam noui huius morbi cognitionem neceſſarium animaduerti, aut ad tu-

tam

Digitized by

tam ac facilem curationem vtile, longo vſu comperi, id in meas lucubrationes congeſſi. Quicquid falſum aut reipublicæ pernicioſum adnotaui, id vel dedita opera ſubticui, vel rationibus ſubuertere ſum conatus. Noua multa, ſed certiſſima, & efficaciſſima præſidia addidi, quæ in ægris multis comprobaui. Omnia ad poſteritatis vtilitatem protuli, vt tandem aliquando reiecta, quæ per ſolum hydrargyrum fit crudeliſſima, ac nihilominus fallaciſſima curatione, medicinæ tyrones certum, exploratum, & facile remedium habeant, quod aduerſus tam fœdam, tamque pernicioſam luem tuto ac fœliciter vſurpent.

IOAN. FERNELIVM *præceptorē meum, in cauſarum & ſignorum explicatione præcipue ſum ſequutus, quem, ſi quibus fide, iudicio, & diligentia theoriticen medicinæ partem, illuſtrauit, iiſdem practicen quam magna cum laude, & omnium applauſu triginta annos in hac celeberrima, & frequentiſſima Parrhiſiorū Lutetia exercuerat, ſuis inuentis locupletare Deus voluiſſet, ſuperuacaneus fortaſſe hic noſter labor extitiſſet. Verū quum is (ſummo cum animi mœrore commemoro) immatura morte nobis præpropere ereptus, nihil prorſus de huius affectus curatione ſcriptum reliquerit, mearum partium eſſe putaui, quod chariſſimo præceptori, qui cum decennium familiariſſime vixi, per ineuitabile fatum*

Digitized by Google

defuit, id reipublicæ cauſa, quantum in me erit, ſupplere.

Ille inueteratos, aut per hydrargyrum male curatos, remediis à ſe inuentis, reſtituere nunquam eſt aggreſſus, ſed recens tantum contaminatos.

At ego neminem quantumlibet atrociter ac diu lue venerea inquinatum videri poſſe contendo, qui hac, quam mox expoſuero curandi ratione prudenter & ſtudioſe continuata, non liberetur, ſi qua naturæ vis ſuperſit, quæ eam perferat. Hoc ſancte omnibus, qui in huius operis lectionem incident pollicens, atq; teſtatum relinquens, quod iam commonefeci, nullum me remedium adſcribere, aut commendare, cuius ipſe ante annos viginti, in ægris multis, non fecerim periculum, nihil me polliceri, quod re & euentis non comprobetur, ſi quis deſcripta remedia, laborantium corporum naturis prudenter accommodet.

Digitized by Google

LVIS VENEREÆ DESCRIptio. CAP. I.

LVES venerea totius ſubſtãtiæ morbus eſt, occultus, contagioſus, tuberculis, maculis, vlceribus, cruciatibus, & doloribus ſe prodens: qui non niſi externi cuiuſdam veneni occurſu & concubitu, aut alio impuro attactu contrahitur. Quæ morbi vis, atque natura, de qua hactenus medicis inter ſe non conuenit, vt certius innoteſcat, paulo altius repetenda eſt deſcriptionis explicatio. Morbum omnem in parte aliqua corporis, primum ac per ſe inhæreſcere, atque partis eiuſdem ſeu ſimilis naturæ tria eſſe omnino ſumma morborum genera, theoremata ſunt ab Iohanne Fernelio præceptore meo (cuius cenſuram lubenter ſequi ſoleo) firmiſſimis confirmata demonſtrationibus, quæ hic, hypotheſeon loco, ſumentur. Quum igitur morbus omnis primum & per ſe in parte aliqua corporis inſideat, partes autem omnes aut ſimplices ſint, aut compoſitæ, neceſſe profecto fuerit, in harum alterutra, vel in vtraque luem veneream primum & per ſe inhæreſcere. At vero haudquaquam in compoſitis, quas diſſimilares vocant, ita conſiſtit, neque enim conformationis, neque magnitudinis, neque numeri, neque collocationis morbus eſt. Reſtat igitur, vt partium ſibi vbique ſimilium, quas ſimilares dicunt, primum & per ſe vitium ſit.

Etenim quo pacto ad vtrunque genus pertineat & continui ſolutio ſit? vt enim cum omni morborum genere concurrat & complicetur, aut etiam varios partium diſſimilarium morbos inuehat, nõ tamen idcirco vnus morbus non erit, aut etiam partium diſſimilis naturæ primum & per ſe affectus cenſebitur. Alioqui nec febris partes omnes obſidens, vnus erit morbus; ſed plures: nec ſolum partium ſimilarium primum & per ſe affectus fuerit, ſed etiam diſſimilarium, quod veterum auctoritate refellitur ac redarguitur. Verum enimuero quum partis ſimilaris tria ſint ſumma omnino morborum genera, intemperies, materiæ immoderatio, & totius ſubſtantiæ corruptela. Ad quod lues hæc referenda ſit, videndum.

Ad intemperiem pertinere quidam multis rationibus contendunt, in hunc fere modum. Luis venereæ naturam calidam & ſiccam eſſe iecoris intemperiem contagione impreſſam, primum quidem ſimplicem, dein vero accedẽte humore compoſitam, quæ parit ſymptomata plane demonſtrant. Siquidem tubercula & vlcera, quæ in cute erumpunt, duritiem præbent inſignem, durities autem omnis, vel à pituita craſſiori, vel ab atro & terreſtri ſucco originem habet. Tenuis quippe humor eryſipelata, & herpetas excitat, non profunda & caua vlcera, qualia fere in lue venerea cõſpicua ſunt. At incraſſata pituita, non corrodit: quippe eroſiones, quæ cum duritie accidunt, ſui cauſam materiam craſſam & peruſtam agnoſcunt.

Denique luis venereæ vlcera, iis remediis tolluntur, quæ veteres Arabicæ ſcholæ antiſtites ad vlcera à ſicca & retorrida cauſa compararunt: quocirca

circa à materia calida & ſicca eaque vſta emergant, neceſſe eſt: hæc autem non poteſt aliunde peti, quam à male affecto iocinore. Siquidem medicum theorema eſt omnibus receptum, actione quadam per totum corpus æquabiliter læſa, ipſius naturale principium neceſſario male affectum eſſe. Neque enim (quod exempli cauſa dictum ſit) motu & ſenſu totum corpus priuari poteſt, illæſo cerebro eius principio: neque ἀσφυξία, id eſt, ſumma pulſus imbecillitas, aut intermiſſio in toto corpore deprehendi, integre ſano eius principio corde: ſic profecto vitiato ſanguine, in omnibus corporis partibus neceſſe eſt hepar læſum eſſe, & cuiuſmodi eſt ſanguinis vitium, talem quoque eſſe iecoris noxam. At vero quicunque hoc morbo affecti ſunt, liuidi fere ac ſubnigri cernuntur, floridumque tum faciei, tum reliqui corporis exuunt colorem. Quare in hepate calido & ſicco ſanguis exuſtus & mordax ſuccreſcat neceſſe eſt, qui poſtea ad ſuperficiem protruſus, eum colorem inuehat. Nam color in cute ſimilis effloreſcit humoribus contentis, niſi intro refluxerint. Calida igitur & ſicca intemperie iecur afficitur in lue venerea, eaque ipſius natura iudicanda eſt. Iſtorum rationes quam vim habeant, paucis excutiamus, vt veritas tandem eluceſcat. Intemperiem iecoris ſiccam luis venereæ non eſſe eſſentiam, ex inuadendi ſerpendique modo perſpicuum eſt. Omnis enim viſcerum intemperies, præſertim vero ſicca, paulatim contrahitur, idque vel cibi aut potus penuria, vel rerum calidarum & ſiccantium diuturno vſu, aliiſve de cauſis ſiccantibus. Eſt enim ſiccitas patiens qualitas, multo tardiorem quam calor aut

frigus vim agēdi ſortita. Atqui lues venerea, quanquam non ſemper ſubito ſe prodit, ſed interdum aliquandiu in nobis delitefcit, concubitu tamen aut alio impuro attrectatu repente ſemper eius cauſa contrahitur, ſæpeque eo ipſo die, vel altero, vel certe breui admodum temporis interuallo qua parte contracta labes eſt, ea vlcere, aliove ſymptomate ſe prodit, totumque corpus vel optime ſanum peruertit: atque tum ſi Ariſtoteli & Galeno credimus eiuſdem eſſentiæ, eiuſdemque ſpeciei exiſtit affectio, atque poſtea quum multum increuerit, totumque corpus tuberculis aut maculis fœdauerit. Neque enim affectus ſpeciem, eius magnitudo immutat. Poteſt ne igitur iecur tam cito ſiccari, humidumque eius primigenium abſumi, & exuſtus humor in eo genitus in corporis ambitum tam facile propelli?

Quænam iſta aut in quo alio morbo tam repētina perſpecta eſt humorum ſecretio, factave intemperies? In febre quidem peſtilenti, dum inquinati aeris inſpiratione repente cordis ſpiritus contaminantur, laceſſitum cor, ſuæ affectionis indicia, carbunculum, aut bubonem, aut vtrunque profert. At minime tamen iam reſiccata ſunt viſcera. Cordis ſiquidem calor maligna quadam, & inexplicabili qualitate obſeſſus ſæpe prius extinguitur, quam viſcerum ſubſtantia reſiccatur. Sed curandi rationem ſpectemus.

Si luis eſſentia, calida & ſicca eſt intemperies, quomodo calido & ſicco alexiterio, vt guaiaco vel miteſcere, vel radicitus euelli poſſit? Contraria enim contrariorum ſint remedia neceſſe eſt. Neque vero ſi tubercula dura, & vlcera exedentia,

luem

Digitized by Google

luem veneream ſtatim excipiunt, idcirco ſane neceſſe ſit iecur humorum officinam ac principium calida & ſicca intemperie torreri. Ea quippe non à iecoris intemperie, ſed à veneni pernicie & malignitate prodeunt, quod ſtatim vbi eſt corpus ingreſſum, ſpiritus & humores vel puriſſimos corrumpit, & ſecum in eandem calamitatem trahit. antequam viſcerum temperies manifeſte immutetur, ac peruertatur. Neque ſi viſcerum temperies in lue venerea tandem peruertitur, idcirco luis venereæ eſſentia in calida & ſicca viſcerum intemperie collocanda eſt: alioqui quomodo remediis ad calidam & ſiccam intemperiem rite comparatis hactenus non ceſſit? Nam quod quidam obiiciunt, hydrargyri litu, quem ad ſiccam ſcabiem Arabes commendarunt, luem veneream percurari, quid veritatis habeat eiuſmodi opinio, luculenter explicabitur, quo loco de luis curatione per hydrargyrum diſſeretur. Itaque calida & ſicca hepatis intemperies luis venereæ eſſentia eſſe non poteſt. Ad ipſam vero materiæ ametriam, quomodo referatur? neque enim mollities eſt, aut durities, neque laxitas aut adſtrictio, neque tenuitas, aut craſſities, neq; demum raritas aut denſitas, qui materiæ immoderatæ omnes ſunt morbi. Ad formam ergo neceſſario referenda eſt: quæ quoniam præcipua eſt, & pene tota rei cuiuſque ſubſtantia, eius affectus, totius ſubſtantiæ morbi dicuntur. Sunt autem morbi totius ſubſtantiæ, alii quidem manifeſti, alii vero occulti: manifeſti qui intemperiem manifeſtam ſequuntur, cuiuſmodi ſunt febres omnes putres, aliarumque partium omnium affectus ex ſimplici putredine orti. Occulti cauſas ab-

ditiores habent, non ſola putredine, ſed tota ſpecie & vi deleteria nobis infenſas. Atqui lues venerea, nec ſimplex putredo quædam exiſtit, nec putredinis ſoboles. Nam & corpora integre ſana nullo noxio humore perfuſa, plerunque inuadit, & his præſidiis minime tolli poteſt, quæ ad omnis generis cohibendam humorum putredinem veteres commendarunt. Cauſam igitur habet ſecretiorem, eſtque morbus occultus, non ex diſſoluto temperamento, neque ex ſimplici humorum putredine, vt qui manifeſti dicuntur, ſed ex occulta quadam cauſa profectus, quæ tota vi natiuo noſtro calori vitæ principio aduerſatur atque reſiſtit. Porro autem quæ toto genere & prorſus venenata ſunt, morboſque occultos inferunt, tribus omnino modis nos afficiunt. Aut enim aerem, quem ducendo viuimus inficiunt, vt peſtilentiæ ſemina: aut extrinſecus nos attingunt, vt rabidi canis, & venenatarum beſtiarum virus: aut intro ſumuntur cibi, potus, aut medicamenti ſpecie. Quod contactu ferit venenum, cuiuſmodi eſt venereum, minus efficax eſt, neque in ſolo ſpiritu, vel in aere, ſed in humore quodam prouehente vires habet: qui in parte cute nudata quum inſederit, contactu quidem eam primum, dein vero proximas, reliquumque corpus totum productione quadam inquinat. Non enim eius qui lue percuſſus eſt, ſolus halitus contagione quempiam vnquam polluit, ſed is in pudenda muliebria, humorem eiaculatur atque inſerit, cum quo virus illinc ſenſim in vniuerſum corpus ſpargitur. In integram vero cutem ſi inciderit, vix officit. Epidermis enim dura & denſa quum ſit, horum hebetiorum & craſ-
ſiorum

ſiorum venenorum ſubſtantiam altius penetrare vix ſinit, niſi vel findatur, vel dilaceretur. Atque tria hæc venenorum genera, tres occultæ & venenatæ cauſæ ſunt, quæ tres occultorum morborum differentias conſtituunt, quorum alii ab aere, qui contagioſi peſtilentes: alii contactu, qui ſimpliciter contagioſi: alii à venenata, quæ intus ſit materia, qui ſimpliciter venenati dicuntur.

Quum igitur contagione inuadat lues venerea, recte in ſimpliciter contagioſis numerabitur. Sed quum ſimpliciter contagioſi, alii quidem manifeſti ſunt, alii autem occulti, ea inter contagioſos occultos locum habet. Manifeſti enim ſunt, qui licet contactu & fiant, & afficiant, nihil tamen occultum malignumque reſipiunt, ſed à manifeſta putredine, ex primarum qualitatum intemperie nata oriuntur: velut phthiſis, pruritus, pſora, lepra, achores, pani, & reliqui huius generis. Contagioſi vero occulti, qui externi cuiuſdam veneni occurſu, & contactu primum contracti ſunt: vt lues venerea, elephantia, hydrophobia. De quibus placet hoc loco diſſerere, ducto à lue venerea exordio.

PRIMA LVIS VENEREÆ origo. CAP. II.

ANNVS agebatur à Chriſto nato poſt milleſimum & quadringenteſimum nonageſimus tertius, quum hæc dira lues in orbem Chriſtianum peruaſit, & ſæuire cœpit. Neapoli primum in Gallorum exercitum, vnde à Gallis Neapolitanus, à Neapolitanis Gallicus morbus eſt appellatus. Cuius primam originem alii alio retulerunt. Theolo-

gi pie profecto diuina iuſtitia hoc quaſi flagellum humano generi intentatum eſſe, quo flagitioſa & immanis hominum libido, tanti mali metu coerceretur atq; cohiberetur, memoriæ proditum reliquerunt.

Aſtrologi nouas ſyderum conuerſiones, concurſus, aſpectuſque, primam huiuſce morbi originem extitiſſe tradiderunt. Incuſant ſcilicet illi inſolentem quandam ſyderum conſtitutionem, & binas ſolis eclipſes, quarum praua radiatione, & calamitoſa vi, huius veneni ſemina in aerem primum ſparſa queruntur, & hunc idcirco affectum in populariũ morborum claſſem non contemnendi medici receperunt. Nonnulli inſignis cuiuſdam ſcorti magna impuritate hãc quaſi libidinis labem in Gallum militem irrepſiſſe crediderunt, quum Neapolim obſidione cinxiſſet Carolus Octauus, Gallorum Rex inuictiſſimus. Fuerunt denique, qui ex inſula quadam nuper inuenta, veteribus incognita, vbi hæc lues non raro ſponte populariter graſſatur, in hunc quem nos incolimus tractum, per Hiſpanos qui illuc traiecerant, primum eſſe allatam velint. Ex iis autem, quos lues inuaſerat, quendam Hiſpanorum arma in Italiam ſequutum, præter hoſtilem animum, hoc etiam malum Neapolim in Gallorum perniciem importaſſe: cuius contagionis impuritate, nulla pars orbis totius poſtea vacare potuit, quæ noſtrorum Europeorum commerciis vteretur. Et certe qui Americæ partem quam Floridam nuncupant, nuper luſtrarunt Nortmani, luem veneream illic endemiam eſſe teſtantur, quemadmodum exanthemata & ecthymata hîc nobis: tantam illic eſſe ad hunc morbum

morbum procliuitatem affirmant, vt ſi quis cum muliere, cui menſes profluant iungatur, ſtatim vel venereum bubonem, vel veram luem contrahat. Quanquam igitur de prima origine haud magna contentione decertem: ſed de propria illius cauſa, vi & natura, ex qua omnis ducenda curandi ratio eſt: ſi tamen dogma eligendum eſt, poſtremæ ſententiæ malim ſubſcribere. Etenim ſi epidemiorum morborum conditione, à certo aſtrorum influxu profecta eſt, quomodo aeris inſpiratio, paucis diebus quamplurimos non infecit, tandemque tempore deſiit? Ita enim peſtis illa Anglica, noſtro hoc ſeculo nata, ſæpius iam & inuaſit, & penitus extincta eſt: ita morbi omnes epidemii ab Hippocrate celebrati: ſic exanthemata & ecthymata peſtilentia ortus & interitus ſui curſum abſoluunt. At venerea lues in vno aut etiam altero primum viſa, ſola eorum contagione & congreſſibus ſerpſit, neque vllum vnquam ea labefactauit inquinati aeris inſpiratione, & tot iam annos graſſata in genus humanum nullo tempore deſiit. Non poteſt igitur inter epidemios recenſeri.

Iam vero quum nec alimentorum impuritate, nec vitio ſit orta, quomodo numeretur in ſimpliciter venenatis? cum præſertim vitioſis & putridis alimentis ſæpius vſi maiores noſtri, hunc affectum noſtri ſeculi pernicioſam maculam ne quidem audiuerunt? Si hæc lues non minus in primariæ notæ viros & principes ſelectiſſimis cibis vtentes, quam in infimæ ſortis homines (quibus vrgente neceſſitate victus rationem ſola fortuna præſcribit) hactenus impetum fecit: non erit hic omnino venenatus affectus. Reſtat igitur, vt ha-

Digitized by Google

beatur in ſimpliciter contagioſis, quorum peculiaris eſt ſua cuiuſque cauſa. Et licet fortaſſe ab externis hæc cauſis primum orta non fuerit, quoniam tamen ſemel genita non niſi contagione afficere viſa eſt, in contagioſorum morborum numero cenſeatur, alioqui nec elephantia, nec qui luis venereæ & elephantiæ permiſtione fieri poſſunt in contagioſis habeantur, contra quam veteres cenſuerunt.

LVIS EFFICIENS CAVSA.
Cap. III.

Efficiens luis venereæ cauſa cenſetur occulta & venenata qualitas, atque pernicioſa quædam labes. concubitu aut alio impuro congreſſu & contagione contracta: quæ licet leuis admodum ſit, ac fere corporis expers, ſenſuſque noſtros prorſus effugiat, non ſimplex tamen & ſolitaria exiſtit, ſed in humore, aut alio quouis corpore inhæreſcit, quo, vt ſubiecto quodam ac vehiculo in noſtrum corpus commigrat, perinde ac rabidi canis, & reliquorũ venenatorum animalium virus demorſu fixum. Quî enim poſſet corpori noſtro vim inferre virtus incorporea? huius autem perniciei ac veneni vis, & efficacia, & ſi diutius aliquando in nobis incomprehenſa deliteſcit, tempore tamen certis ſignis & notis ſe prodit, quas mox ordine recenſebo. Atque vt rabidi canis, aut ſcorpionis, aut aliarum ferarum, ita huius venenum ab ea parte quam primum contagione attigit, labefactauitque, ſenſim in vniuerſum corpus irrepit, ipſumque contaminat, in contagioſorum morborum morem. Frequentiſſime autem vene-

reo

reo contrahitur concubitu, à quo & nomen inuenit, & eius impuritate ac maleficio in vniuerſum orbem ſenſim diſperſa eſt. Qui venereo complexu iunguntur cum inquinatis, à pudendis luem contrahere ſolent. Nutrices vero à quibus infantes polluti lac ſugunt, à mammis. Obſtetrices quæ parturientibus opem tulerunt, à manibus. Infantes vitiatis nutricibus alti, nunc ab ore, nunc ab interioribus. Dormientes cum inquinatis, ſudore effluente, à cute & à ſummis partibus. Qui effuſiore oſculo ſaliuam inquinatæ exceperit, ab ore. Eſt autem huius veneni vis craſſior & hebetior, ideoque ægre niſi apertam & cuticula nudatam partem peruadit ac penetrat: multo minus, qui iam inquinatus eſt, alium halitu ſolo afficiat, ſed humoris nonnihil ex eo in cutem alterius exhalet neceſſe eſt, vnde malum initium ſumat.

Partium à quibus lues initium capit, aliæ aliis plus negotii & periculi adferunt. Omnium curatu difficillima ac periculoſiſſima eſt, quæ à pudendis inchoat: cæteræ curatu faciliores, ac minus periculoſæ. Porro cuicunque particulæ venenum inſederit, in ea primum puſtulam excitat, deinde & vlcuſculum: inde mox longius ſenſim & clanculum ſerpens, partium continuatione, interiora omnia peruadit, non ſpiritus modo atque humores, ſed & carnem & partes omnes ſolidas in ſibi ſimilem affectionem immutans atque peruertens: perinde atque ignis ex ſcintilla atq; fomento minimo profectus, paulatim ita inualeſcit, & accenditur, vt vniuerſam domum furibunde exurat. Id autem hac fere ratione quam exempli gratia, dicam, fieri ſolet. Quum obſcœno virus concubitu

Digitized by Google

à pudendis madore perfuſis, initium habet, puſtulas primum in his & vlcuſcula excitat contumacia, & mali moris: vapor dein aut humor tenuis ductu cauo pudendi intro irrepens vaſa ſpermatica male afficit: tumque virulenta gonorrhœa ſe profert, qua illuuies ſordidiſſima initio non ſine graui dolore emanat, ac turpiſſime eiicitur, tandemque repreſſo furore guttatim excidit. hinc venæ cauæ ſanguine, arteriæque maioris ſpiritu labefactatis, bubo erumpit in inguine. Quum execrandum malum in iecur & in ventriculum peruenit, lenis quidem alui fluor aut nauſea fatigat, interdum & ſyncope, tumque cum iecore ſanguis breui polluitur. Ideoque nec multo poſt pernicioſa illa labes internorum victrix, foras remigrat, cum ſanguine contaminato, quo in artus, in muſculos & in cutem diſſeminato compreſſum maleficium atque tacitũ virus facile agnoſcitur. Breui namque vel ruffæ maculæ in cute efflorefcunt, vel liuidæ rubenteſque puſtulæ extuberant, quibus & vlcuſcula cruſtoſa & herpetes accedunt. Nonnullis vlcera caua atque maligna, bilioſis ferme phagedænica & exedentia, melancholicis vero cancroſa, pituitoſis leuiora ſed ſordidiora, & humore quodam mucoſo fœtidoque manantia, ſanguineis, crebriora carbunculique effigie. Omnia quidem labris præduris tumentibus & inuerſis, quæque exeſa carne, ipſa etiam oſſa exedunt atque depaſcuntur: primum quidem tenella, qualia in naſo & palato ſunt, deinde ſolidiora, quæ putria carioſaque tempore excidunt. Quod ſi vitium diutius negligitur, virus celeriter in cerebrum ſummamque corporis arcem ſeſe inſinuat, illamque

lamque inficit. Hinc multa ſuperuacua, eaque pro partis conditione pituitoſa excrementa colligi neceſſe eſt, quæ ſi inter meningas & cranium interclusa contineantur, citra tumorem magnum & acerbum dolorem commouent: ſin foras ſub cute capitis circum pericranium emergant, tophos proferunt ſcirrhoſos: interdum è capite vel in articulos, vel potius in medios artus deturbantur, in quibus aut cruciatus excitant immanes ac diuturnos, qui noctu maxime inualeſcunt, aut etiam tophos præduros, ſcirrhoſoſque tumores, haudquaquam tamen doloris expertes. Quanquam enim pituitoſa videtur materia, veneni tamen maleficio perfuſa acrimoniæ particeps eſt: qua ratione ſubiecta quoque oſſa corrumpere atque exedere ſolet. Hæc quum craſſior eſt, ſub oſſium membranas ſe recondens, tum acrimonia, tum diſtenſione dolorem excitat acerbiſſimum: in oſſium vero ſubſtantiam per occultos meatus quaſi per anguſtos ductus ſe inſerens, non ſolum illa attollit atque dilatat in tumorem, ſed etiam putredine tabefacit, & carie conſumit, dum prorſus putreſcant. Si tenuis, ſed nec valde acris aut mordax, nec adeo maligna materia ſit, hæc neque circum perioſtia moratur, nec ad cutim progreſſa, illam exedit aut exulcerat, ſed pilorum duntaxat radices malignitate, aut venenato ſuo vapore feriens, effluuium concitat, quo plerique viſuntur ſine capillis, ſine ſupercilio, ſine barba, ſine vllis pilis, qui tamen poſtea repullulant, quum primum extincta eſt morbi malignitas. Quum tam multa ſint venerei morbi ſigna, nullum tamen in vrinis conſpici poteſt, neque ex iis quiſquam aut hoc, aut aliud vllum vene-

Digitized by Google

ni genus poſſit deprehendere, adeo facile oculorum noſtrorum obtutum, aciemque multa perſtringunt, quæ effectis & euentis poſtea facile noſcuntur. Luem veneream nulli adnaſci, niſi qui contagione ſe polluerit, iam diximus: quod quoniam in concubitu ſolet euenire, pueros aut ſenes, aut alioqui coitus expertes, rarius occupat lues venerea, reliquos tanto ſæpius & facilius, quanto quiſque in venerem propenſior fuerit. Qua de re & à partibus obſcœnis ſæpius incipit, licet & interdum ex aliis pleriſque locis, vt dixi, expullulet, in quibus colluuies contagione fuerit aſperſa. Inquinatur autem duntaxat, vel purus ab impuro, vel impurus ab eo, qui ſit longe impurior, à ſimili vero, aut à minus impuro nunquam. Ideoque æque impuris citra offenſionem congredi licet: ſic tamen vt vterque puriorem alium contactu labefactare poſſit. Hauritur etiam interdum à ſcorto, quod nondum ſit inquinatum, quum quis cum eo volutatur, mox ab alio impuro ſcortatore. Impuritas autem non ex cute ſpectatur, quod ſæpe recentis & inueteratæ luis fermētum intus reconditum ſit & abſtruſum. Iam quos corripuit, vt quiſque viuit, ita eum aut cito deſerit, aut diu exercet, aut in totum conſumit. Omnibus in Italia, & Hiſpania, & ſicubi præterea, vel propter annonæ penuriam, vel propter regionis æſtum ſobrii ſunt homines, mitior. Germanis propter crapulam & intemperantiam, vt diutius inhæret, ita præhenſos infeſtiſſime torquet, & acerbiſſime affligit: medio loco ſunt Galli.

LVIS

LVIS SPECIES SIVE GRAdus varii ſuis ſignis diſtincti.

Cap. IV.

LVis venereæ vna & eadem ſemper eſt eſſentia vnaque natura, ſed quæ variis diſtingui poſſit ordinibus, vt alia leuior, alia grauior exiſtat, pro veneni ac corporum in quæ illa incidit varietate. His enim duabus ex cauſis, lues alia leuioribus, alia grauioribus ſymptomatis exercet. Omnium leuiſſima ac mitiſſima eſt ea ſpecies, qua ſolum capitis & barbæ pili ſenſim citra vllam corporis læſionem excidunt. Eius quippe virus in craſſo quodam vapore, aut in humore tenuiſſimo conſiſtit, qui in corporis ſumma effuſus pilorum radices exedit. Atque vt ephemera febris à putrida, ita & hæc ſpecies diſtat à cæteris. Altera paulo deterior eſt, qua cutis vniuerſa crebris maculis minime extuberantibus conſpergitur, iiſque interdum paruis, lentiginis inſtar, interdum multo latioribus, & vtriſque modo rubris, modo flauis, quæ vix ante deleri extinguive poſſunt, quam morbi radix prorſus ſit euulſa. Hæc in tenuiſſimo ſanguine virus habet, quam nulla grauiora ſequuntur ſymptomata. Tertia ſpecies grauior ac iam vera lues eſt. Hæc non ſolum maculas, ſed veras puſtulas tuberculave profert, primum quidem circa frontem, & tempora poneque aures, dein in capite, tandem vero & in reliquo corpore. Ea autem rotunda ſunt, minime tamen in acutum faſtigiata, ſed plana, ſicca, & ſine pure, ſed quæ dein ſicca cruſta obducuntur, & ſi negligantur, ſerpunt in ambitum, excauantque cutem, dum ex puſtula verum fiat vlcus, quod ſe-

re virulentum euadit ac ſordidum. Partes quæ ad podicem, ad nares atque ad fauces ſunt, quia tenellæ omnium primæ exulcerari ſolent. Emergunt autem tubercula quum iecur ipſum atque venarum ſanguis vitio perfuſus atque labefactatus eſt, à quo protinus carnoſis mollioribuſque partibus noxa communicari ſolet. Quarta his ſpecies ſuccedit, quum iam inueterata lues ſolidas partes, oſſa, vincula, membranas, ac neruos adoritur & corrumpit. In quibus contaminatis excrementa multa craſſa & glutinoſa, pro partium affectarum conditione, ſed tamen maligna congeruntur, quæ cum vel in tendones, vel circum oſſa & perioſtia confluunt, eaſque partes, præſertim vero membranas, malignitatis acrimonia feriunt, & ab oſſibus diuellunt, cruciatus cient implacabiles, hoc ab aliis doloribus diſſidentes, quod noctu ſemper ingraueſcant. Ab his excrementis partium in quibus hæſerunt calore craſſeſcentibus, tophi ſenſim ſuccreſcunt, cruciatu multo grauiore, qui oſſium duritiem adæquent atque ementiantur. Quod ſi in oſſibus figantur, ea adeo amplificant atq; diſtendunt, vt viſa ſæpe ſit oſſium monſtroſa magnitudo & figura. Quinetiam malignitatis ſuæ acrimonia, illa ſenſim exedunt & carie conſumunt, plerunque etiam illæſa cute ſuperpoſita. Sic non paucos vidimus, quibus (incredibile dictu) illæſa capitis cute pericranium & ſubiectum illi cranium ad meningas vſque, putredine prorſus exeſum, carieque abſumptum, deprehenſum, citra febrem vllam citraque vomitionē. E quibus vnus & alter etiamnum ſuperſtites viſuntur ſine cranio. In quo venereum virus fulminis naturam mihi imitari videtur, quod inte-

integris doliis, vinum exhaurire, & illæſis vaginis enſes confringere, veteres prodiderunt. Sub his ſymptomatis, corpus diuturnis vigiliis, & diris cruciatibus confectum, & atrophia marceſcens, tandem vita deſtituitur. Quæ luis natura, ac conditio, & quibus illa ordinibus tanquam differentiis diſcreta ſit, diximus.

Iam certa eius ſigna, quæ cauſæ efficientis ſymptomata ſunt, proxime relata ſeorſum numeranda & in epilogum coarctanda ſunt.

Quoties crebræ & exiguæ maculæ pulicũ punčturis ſimiles, aut lentiginis inſtar, aut etiam multo maiores, eæque modo rubræ, modo flauæ, in cute extima erumpunt, luis venereæ ſuſpicio eſſe debet: præſertim ſi vel vlcus in pene, vel bubonem in inguine, vel virulentam gonorrhœam præceſſiſſe intelligimus. Quod ſi his præterea capillorum & barbæ defluuium, citra morbum grauem & acutum accedat, re vera lues contracta eſt. Eadem ſententia ferenda, ſi rubræ aut flauæ puſtulæ, aut liuidæ circa frontem ac tempora, poneque aures. Dein in capite, & in podice, ac reliquo corpore extuberant, figura rotunda, quæ cum in initio ſiccæ eſſent & ſine pure, dein ſicca cruſta obducuntur, aut etiam exulcerantur excauanturq;, & in vlcus ſordidum & fere rotundum degenerant. Sed enim venerearum puſtularum & vlcerum ab aliis ſimplicibus diſtinctio vix plane & ad vnguem literis explicari poteſt, oculorum intuitu & frequenti inſpectione certius cognoſcenda. Si dolores & cruciatus ingentes noctu ingraueſcentes, non in articulis, ſed in mediis artubus affligũt, in quibus etiam tophi præduri inter oſſa & perio-

Digitized by Google

re virulentum euadit ac ſordidum. Partes quæ ad podicem, ad nares atque ad fauces ſunt, quia tenellæ omnium primæ exulcerari ſolent. Emergunt autem tubercula quum iecur ipſum atque venarum ſanguis vitio perfuſus atque labefactatus eſt, à quo protinus carnoſis mollioribuſque partibus noxa communicari ſolet. Quarta his ſpecies ſuccedit, quum iam inueterata lues ſolidas partes, oſſa, vincula, membranas, ac neruos adoritur & corrumpit. In quibus contaminatis excrementa multa craſſa & glutinoſa, pro partium affectarum conditione, ſed tamen maligna congeruntur, quæ cum vel in tendones, vel circum oſſa & perioſtia confluunt, eaſque partes, præſertim vero membranas, malignitatis acrimonia feriunt, & ab oſſibus diuellunt, cruciatus cient implacabiles, hoc ab aliis doloribus diſſidentes, quod noctu ſemper ingraueſcant. Ab his excrementis partium in quibus hæſerunt calore craſſeſcentibus, tophi ſenſim ſuccreſcunt, cruciatu multo grauiore, qui oſſium duritiem adæquent atque ementiantur. Quod ſi in oſſibus figantur, ea adeo amplificant atq; diſtendunt, vt viſa ſæpe ſit oſſium monſtroſa magnitudo & figura. Quinetiam malignitatis ſuæ acrimonia, illa ſenſim exedunt & carie conſumunt, plerunque etiam illæſa cute ſuperpoſita. Sic non paucos vidimus, quibus (incredibile dictu) illæſa capitis cute pericranium & ſubiectum illi cranium ad meningas vſque, putredine prorſus exeſum, carieque abſumptum, deprehenſum, citra febrem vllam citraque vomitionē. E quibus vnus & alter etiamnum ſuperſtites viſuntur ſine cranio. In quo venereum virus fulminis naturam mihi imitari videtur, quod inte-

integris doliis, vinum exhaurire, & illæſis vaginis enſes confringere, veteres prodiderunt. Sub his ſymptomatis, corpus diuturnis vigiliis, & diris cruciatibus confectum, & atrophia marceſcens, tandem vita deſtituitur. Quæ luis natura, ac conditio, & quibus illa ordinibus tanquam differentiis diſcreta ſit, diximus.

Iam certa eius ſigna, quæ cauſæ efficientis ſymptomata ſunt, proxime relata ſeorſum numeranda & in epilogum coarctanda ſunt.

Quoties crebræ & exiguæ maculæ pulicũ punčturis ſimiles, aut lentiginis inſtar, aut etiam multo maiores, eæque modo rubræ, modo flauæ, in cute extima erumpunt, luis venereæ ſuſpicio eſſe debet: præſertim ſi vel vlcus in pene, vel bubonem in inguine, vel virulentam gonorrhœam præceſſiſſe intelligimus. Quod ſi his præterea capillorum & barbæ defluuium, citra morbum grauem & acutum accedat, re vera lues contracta eſt. Eadem ſententia ferenda, ſi rubræ aut flauæ puſtulæ, aut liuidæ circa frontem ac tempora, poneque aures. Dein in capite, & in podice, ac reliquo corpore extuberant, figura rotunda, quæ cum in initio ſiccæ eſſent & ſine pure, dein ſicca cruſta obducuntur, aut etiam exulcerantur excauanturq;, & in vlcus ſordidum & fere rotundum degenerant. Sed enim venerearum puſtularum & vlcerum ab aliis ſimplicibus diſtinctio vix plane & ad vnguem literis explicari poteſt, oculorum intuitu & frequenti inſpectione certius cognoſcenda. Si dolores & cruciatus ingentes noctu ingraueſcentes, non in articulis, ſed in mediis artubus affligũt, in quibus etiam tophi præduri inter oſſa & perio-

ſtia ex craſſa lentaque materia ſuccreuerint, aut etiam carie conſumptum os exeſumque eſt: lues iam diu ſolidis partibus inhæret. Horum multis aut quibuſdam comparentibus lues contracta intelligitur, eſtque eius maturanda curatio. Multos video aliorum ſymptomatum ingentem multitudinem inter ſigna luis reponere, quæ quoniam illius propria non ſunt, cognitionem interturbant, & tyronum ingeniis nondum vſu & exercitatione confirmatis tenebras offundunt. Quorſum enim attinet laſſitudinem, proſtratam appetentiam, ſomnolentiam, faciei pallorem, linguæ ſcabritiem, aliaque innumera grauium omnium pene morborum communia ſymptomata, inter propria luis ſigna recenſere? Iam vero quoniam clanculum ſæpe lues ſerpit, hæretque interdum in corpore diutius, nullis ſignis prædictis conſpicuã, illius ab aliis affectibus differentia atq; diſtinctio accurate tradenda. Itaque quum ex dubiis ſignis de lue ambigitur, eius origo eſt altius inueſtiganda, & partes omnes adeundæ, à quibus initium habere poteſt. Etenim, quoniam non niſi attactu contrahi poteſt, neceſſe eſt labes aliqua in ea parte primum emerſerit, per quam inſertum eſt virus. Quendam, exempli cauſa, ſtatuamus multos iam menſes de ſcapularum & occipitis dolore noctu quam interdiu grauius affligente conqueri, qui iuſtis purgationibus & topicis remediis non ceſſerit. Quum dolor externus ſine manifeſto tumore aut abſceſſu tandiu afflixerit, frigidum ex capite humorem eo ſenſim influere, aut certe partis vitio & imbecillitate gigni cumularique neceſſe eſt. Qui enim à viſceribus in partes externas propellitur noxius humor,

humor, ſiue tubercula aut puſtulas excitet, ſiue ſcabiem, ſiue per vniuerſum corporis habitum diffundatur. dolores non efficit tam atroces, nec noctu excandeſcẽtes, ſed qui duntaxat circa partes membranoſas cumulatur. Luis enim initio, tametſi ex interioribus partibus noxia materia ad cutem expellitur, quæ poſtea in puſtulas & tubercula erumpit, nullus tamen ante affligit dolor, quam circum membranas venenata qualitate iam perfuſas, vitioſus humor maligna congeſtione collectus ſit. Et in hydrope anaſarca, licet totius corporis habitus cruditatibus diſtendatur, nullus tamen aut admodum obtuſus eſt dolor, vt nec in tumoribus pedum œdematoſis circa finem diuturnarũ febrium contingentibus. Vtrum vero frigidum hunc humorem ſimplex partis intemperies, an qualitas potius maligna ei perfuſa cumulet, accuratius inueſtigandum. Perſcrutandum ergo, num ante hos dolores quicquam in partibus obſcœnis comparuerit. Emergunt autem in his puſtulæ, vlcera maligna, virulenta gonorrhœa, & inguinum bubones. Hæc tametſi nondum lues venerea dicuntur, ſunt tamen veluti rudimentum & character eius impendentis, quorum, ſi quidpiam præceſſerit, quod poſtea quibuſdam remediis ſit ſublatũ, quoniam tamen ſcapularum dolores diutius perſeuerant, venenatæ cuiuſdam qualitatis inde relictæ ſuſpicio eſſe debet, quæ ſolidas partes iam obſidens, ac illarum concoctionem peruertens, excrementa multa congerit, eaque craſſa & maligna, quæque communia omnium deſtillationum remedia contemnunt. Si vel in faucibus, vel in ore vlcuſculum excoriatiove leuis, aut quauis alia cor-

potis parte contagione aliquid olim inhæſit, idem ſentiendum: licet enim reſiccatum fortaſſe fuerit vlcus, haudquaquam tamen prorſus euulſa eſt mali radix, ſed ſenſim interiora labefaciens ſuo tempore foras prodit. Suſpicionis porro occaſionem confirmabit circa mediam tibiam aut cubitum, aut frontis, aut alterius partis os, humor in callum & tophum concreſcens nocturno dolore fatigans. Hic enim cum vix aliunde naſci ſoleat, huic morbo familiaris exiſtit. Quod ſi prætereà inunctiones ex hydrargyro expertus eſt, multo certior erit cauſæ interioris coniectura. At vero ſi iſtorum nihil præceſſit, ſed ſolitarius dolor eſt, cauſæ inueſtigatio longe difficilior exiſtit, quam tamen hac ratione aſſequi licet. Dolor cuius cauſa inueſtigatur, vel in articulis, vel in mediis artubus & muſculis ſedem habet: qui in articulis, aut circa hos conſiſtit fixuſque eſt, raro venereus, ſed vel arthriticus, ſi conſuetus eſt, & ex interuallis repente inuadit, paulatimque ſoluitur, vel à ſimplici fluxione. Non enim venereus articulos, niſi in his, qui hydrargyro ſæpius iam inuncti ſunt, ſed medios artus obſidet, in quibus etiam diximus plerunque tophos cogi & ſuccreſcere, maxime in fronte, & capite, in clauiculis, in medio humero & cubiti oſſe, in parte priore tibiæ, nonnunquam & aliis quoque oſſibus. Iam vero ex iis, qui in mediis artubus fiunt, qui breui tempore exoriuntur à defluxione ſimplici, quæ repente è capite eo illabi ſolet, cuius etiam focus antea fortaſſe fuerat in vertice aut occipite deprehenſus. Qui vero ſenſim multoque tempore procedunt, ab eo excremento, quod pars male affecta paulatim congeſſit, luis naturam

redo-

redolent, atque idcirco cunctandum eſt diutius, dum alia ſe prodant ſymptomata. Neque incogniti & nondum plane perſpecti affectus, tentanda eſt vnquam curatio, niſi quæ & deſtillationi & lui venereæ poſſit ſuccurrere ſine vllo valetudinis damno. Solent enim ægroti commiſſum facinus cõſtanter denegare, dum dolorum ſenſim increſcentium vehementia & ingenti ſymptomatum turba reuincantur. Sed de his ſatis. Iam agnitæ luis prognoſis tradenda.

PROGNOSTICON.
Cap. V.

LVem veneream indies mutari, & iam ita inclinare atque conſeneſcere, vt ſit poſthac breui finem habitura multi literis prodiderunt. Aiunt enim tanta fuiſſe, quum primum oriretur fœditate, vt quæ nunc graſſatur, vix illius generis eſſe putetur. Vlcera erant innumera, in quernæ glandis ſpeciem & magnitudinem, aſpera exporrectaque, ſpurcus ab iis profluens humor, fœtor vero tantus exhalans, vt cuius nares contigiſſet, is mox infici crederetur. Color puſtulis ex nigro vireſcens, ipſo aſpectu non minus ægros, quam dolore, cruciabat. Fugiebant idcirco omnes eius aſpectum, contactu vero ſic abſtinebant, vt morbi præterea nullius. Qui vero ſequutus eſt, & nunc paſſim vagatur, puſtulas quidem habet paucas, vt & vlcera, dolores autem atroces cum tuberculis ſcirrhoſis, & vt fœditate tolerabilior, ita certe doloribus & cruciatibus immanior euaſit. Id vero minime ſeneſcentis luis naturæ & conditioni tribuerim, ſed præpoſteræ multorum curationi. Eſt enim hoc vitii genus

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

mortalibus adeo formidabile, vt vel illius minima ſuſpicione perculſi, confeſtim ad remedium ex hydrargyro concurrant, quod puſtularum ardorem extinguit exiccatque vlcera, ſed cerebrum refrigerat ac debilitat, deſtillationes exaſperat, articulorumque dolores plerunque diuturnos mouet. Itaque niſi Deus Opt. Max. ſua clementia iſtam huius ſeculi labem deleat, aut effrenatam hominum libidinem coerceat, nunquam illam penitus deſituram putauerim, ſed quandiu obſcœnæ libidini dabitur opera, humano generi perpetuam fore comitem. Porro hæc lues pro varia corporum, in quæ incidit conſtitutione, alias facile, alias ægre ſaneſcit. Quæ puro & integrè ſano ſunt corpore, facilius multo reſtitui ſolent, quam qui cacochymo & cachectico. Cacochymia ſiquidem præterquam quod veneni perniciem fouet, remediorum etiam vires hebetat & obtundit. Adhæc qui raro & laxo ſunt corporis habitu, ac cute perſpirabili, vt facilius quam qui contrario modo ſe habent, luem admittunt; ſic præhenſi, minus diſcruciantur, citiuſque ſaneſcunt. Sed & natiuam temperiem inſpicere oportet, nam qui vel temperati, vel calidi & humidi, & proinde benigno ſanguine præditi ſunt, ſi in luem incidunt, hos illa & mitiſſime affligit, & facillime ac citiſſime deſerit, nullo fere reuerſionis metu. Ab his ſunt frigidi & humidi, in quibus pituita redundat. Tertio loco ſunt calidi & ſicci bilioſi. Frigidos & ſiccos humore melancholico, terreniſque fæcibus, aut etiam atra bile perfuſos, vt omnium acerbiſſime angit lues, ſic omnium difficillime relinquit, ſæpe in totum conſumit. Poſtremo ex iis, quæ in cute effloreſcunt, indicatio petenda,

Digitized by Google

tenda. Siquidem quæ pilorum defluuio ſe prodit lues, omnium facillime tollitur. Eius enim pernicies in vapore, aut humore tenuiſſimo ſita, ſudoribus facile expirat. Non multo tenacius inhæreſcit lues, quæ crebris maculis, iiſque paruis, lentiginis inſtar, cutem deturpat, in tenui quippe ſanguine virus habet. Quæ tubercula aut latas maculas profert, ægrius tollitur. Omnium denique ægerrime, quæcunque vel laborantis incuria, vel medentis imperitia, eouſque inualuit, vt ſolidas partes obſidens, ſcirrhoſis iam tumoribus & doloribus, vel oſſium carie moleſta ſit. Quod ad anni tempora pertinet, vere & ineunte æſtate facile curatur hic morbus, nam & vires corporis tum temporis valent, & cutis rareſcit, & interim humores ſponte in ſuperficiem corporis feruntur. Æſtate media & gelida hyeme, ægrius profligatur. Æſtatis feruor vires exhaurit ad curationem neceſſarias. Gelidæ hyemis frigora cutim ita occludunt, denſantq;, vix vt quicquam exhalet ac perſpiret. Conuenit & incipiens autumnus, quod neque ingenti ardore corpora adurat, neque frigore vehementius adſtringat. Hoc tamen ſciri velim, luem veneream omni tempore curari poſſe, ſi quis in conclaui in quo ignis aſſiduus ſit hyeme concluſus, frigoris incommoda propulſet, vel æſtate in vmbroſo loco temperato ſe contineat. Qui cœli clementiam diutius expectat, morbum plerunque contumaciorem facit. Itaque quum primum genita lues eſt, nulla mora profligetur, ne tempore altius ſubiens interiora populetur. Quanquam autem luis curatio tot modis variat, nulla tamen tam fœda, neque tam inueterata occurret, quæ nō hac, quam

mox exponam, curandi ratione vincatur, ſi morigerum & firmis viſceribus præditum ægrum prudens & ſagax medicus nanciſcatur, ſicut iam antea teſtatus ſum: idque nulla amaritudine, nullo periculo, nulloque malo effatu memorabili digno.

QVÆ FVERIT LVIS VENEreæ vetus curatio. Cap. VI.

QVI omnium primi luis venereæ recens natæ, & vix dum ſatis cognitæ curationem ſunt aggreſſi, ſymptomatum fere tuberum nempe & vlcerum rationem tantum habuerunt. Ac primum quidem, quoniam corpus illa depaſcebantur, cauſticis comburere ac ſiſtere conati ſunt, verum quia vno extincto, mox noua renaſcebantur permulta, cogitauerũt vnguento eodem extinguere omnia, in aliarum puſtularum & ſcabiei modum. Aliter atque aliter hoc tentabant, verum nullo quiſquam effectu, argentum viuum qui non addidiſſet. Huius enim vſum ex Arabum ſchola, aui noſtri deduxerunt, quos conſtat hydrargyrum ad vlcera maligna & cacoethe coercenda, atque ad omnem ſcabiem ſiccam cohibendam fœliciter vſurpaſſe. Itaque eo, cum aliis quibuſdam oleis & pulueribus in vnguenti modum concinnato, inungebant brachiorum, & crurum iuncturas. Aliqui & ſpinam, & ceruicem, nonnulli etiam tempora, item & ventrem: atque iterum alii vniuerſum corpus: quibuſdam ſemel die, quibuſdam bis, nonnullis tertio iterum die, aut quarto. Claudebatur æger in æſtuario, quod calebat aſſidue, alius viginti, alius triginta totos dies, nonnulli plures. Perunctum in lectum qui intra æſtuarium ſternebatur, collocabant,

cabant, ac multa ſuperiniecta veſte ſudare cogebant. Empiricam hanc curandi rationem, quæ neglecta morbi eſſentia ſymptomatis tantum ſuccurrit, hactenus ſecuti ſunt medici ac chirurgi complures, nō ſine magno humani corporis detrimento. Tanta ſiquidem huius vnguenti crudelitas eſt atq; ferocitas, vt tertio ſtatim aut quarto aut quinto, aut ad ſummum ſexto die langueſcere incipiat æger. Quippe argentum viuum, quod in ſummo corpore eſt, & in toto corporis ambitu, ſumma ſua tenuitate colliquat atque diſſoluit: humiditate vero corrumpit atque putrefacit, ac tandem extrema refrigerandi qua pollet facultate ad interna repellit. Inde in ventriculum & thoracem, è quib. dein ſenſim partium continuatione ad gulam & ad os compellit, tanta tamque violenta iniuria, vt dentes (quibus vt & cerebro & neruis & articulis inimicum eſt) ſtatim omnibus vacillent, ac nonnullis liuidi decidant omnes. Quædam etiam è corpore, per ſudores diſſipat, quædam purgatoria vi in aluum deturbat magnis torminibus. Sæpe etiam peculiari eaq; occulta proprietate dyſenteriam mouet nonnullis lethalem: atque vt paucis complectar, omnibus certe qui ita curantur, exulcerantur fauces, lingua, & palatum, intumeſcunt gingiuæ, dentes vacillant, pleriſque ſputum per ora ſine intermiſſione profluit, omni protinus fœtore olentius, tanto contagio vt labia eius contactu vlcus contrahant, & intus buccæ vulnerentur frigefacto interim ſtomacho, & turbante fœtore appetentia cibi deſtituuntur ægri: quumque ſiti intolerabili crucientur, vix tamen bibere poſſunt, os alioqui totum vno obſidente vlcere. Quinetiam

lingua balbutiem,& aures ſurditatem contrahunt, nonnullis immedicabilem. Fœtet omnis circumhabitatio, atq; adeo durum eſt hoc curationis genus,vt perire morbo complures maliſint,quam tanto periculo tam acerbo diſcrimine leuari. Quanquam vix centeſimus quiſque leuatur,recidiuo vtplurimum morbo, qui tamen raro ſimilis eſt radici: neque iiſdem ſymptomatis exercet,ſed fere deſtillatione, arthritide, tophis,vel oſſium carie.Neque pari contagione eos cum quibus ſocietas eſt, afficit, quod humoris furor & impetus illis auxiliis repreſſus ſit, etiam nondum mali radice euulſa. Tempore ſiquidem ea reuireſcit, recurritque interdum poſt annum vigeſimum, aut etiam trigeſimum:tantoque interuallo mali fomes quaſi ſepultus intus deliteſcit. Fit tamen interdum, vt qui ita curati ſunt ſeque expertes mali prorſuſque expeditos putant, alios cum quibus concubuerint, contaminent, prolemque gignant ea lue conſperſam. Indicium ſane tum temporis mali fermentum in venis ipſiſque partibus reconditum reſeruari, & vt dicere ſolent, in ipſis quaſi medullis deliteſcere. Eſt igitur omnium curationum acerbiſſima, quæ hydrargyri perunctione fit: & in ea miſerrimum hoc quoque eſt, quod plerique omnes qui ſic medentur, medicinam non callent, ſed vt audaciſſimus quiſque aut in aliis vidit, aut ipſe tulit, ita medicum agit impudentiſſimum vno quopiam vnguento ad omnes vtens, &, vt ille ait, vno collyrio omnes perſanans, nullius neque temporis, neque corporum qualitatis habita ratione. Si quid accidat interim ægro, conſilii inopia,quid ſuadeat non habens, morbi peruicaciam & malignitatem arguit,

Digitized by Google

guit, quę niſi iterata ſimili vnctione tolli haud poſſit. Hinc alius bis, alius ter aut quater, nonnulli decies, atq; alii etiam vndecies, aut duodecies eandem curationem experiuntur, tanta cum doloris acerbitate & malorum aceruo, vt credi poſſit, nimis viuendi cupidus, qui non mori maluerit, quam ſic vitam proferre. Multis namque ad vertiginem, quibuſdam ad inſaniam vſq; infeſtatur cerebrum, poſt curationem. Tremunt multis nō manus tantum, ſed etiam brachia, pedes, crura, femora, & vniuerſum corpus: aliis quidem ad annos aliquot, aliis ad omnem vitam. Multos in media curatione interire vidimus, dum illos in hypocauſto, plus æquo calido concludunt, in quo illi ſalutis, quam ſic adepturos ſe ſperant, ſtudio, patientius conſiſtunt, donec reſolutis caloris vehementia ſpiritibus ac deficientibus animi viribus, mori ſe non ſentiant. Alios vidimus, intumeſcente ad fauces gutture, quum exitum non haberet ſanies pituitoſa aut ſpiritus interciperetur, ſuffocari. quoſdam cum meiere non poſſent. Alios exorta graui dyſenteria ac febre, alios extincto natiuo calore nullo doloris ſenſu commori. Omnino pauci ita conualeſcunt, iiq; valido & robuſto corpore, quibus malum inter initia conſiſtit, ſoluſque corporis ſpiritus aut humor, non autem partium ſubſtantia obſidebatur; atque illi hoc periculo, hac calamitate, his malis, quæ diximus, liberantur. Nam cum lues initium præterlapſa, ipſam iam partium ſubſtantiam obſidet, vt argentum viuum puſtulis, vlceribus, tophis, doloribus, aliiſque ſymptomatis, tanto periculo opem ferat, ſæpe tamen mali radicem haudquaquam euellit: & ſi quid adiumenti eius adfę-

rat vſus, id profecto vix ad paucos menſes, ne dicam dies, durare conſueuit. Attamen pro hac tam acerba, tamque periculoſa curatione, multi penitius (credo) naturæ arcana intuiti, veluti pro aris ac focis decertant, nec inuenta meliore fruge, glandibus etiamnum veſci deſinunt, veriti ne vel ſibi de ſuo aliquid decedat lucro, vel à iunioribus aliquid didiciſſe videantur.

Hanc medendi rationem quum docti aliquot medici inefficacem & parum tutam multorum periculo experti eſſent, aliam tentare aggreſſi ſunt, quam & ſcriptis mandare, & omnibus commendare poſtea cœperunt. Hi initio ſæpius & valide purgant, deinde ſanguinem mittunt pro plenitudinis & virium ratione, mox reliquias idoneis ſyrupis præparant, quas poſtea purgationibus identidem repetitis exhauriant. Ita luis radicem varia mitigatione præparatam, penitus euelli, citra vllam virium iacturam, aut corporis noxam ſperantes. Quæ quidem curatio, ſi vitium recens eſt contractum, ſoluſque ſpiritus, aut humor contaminatus, interdum liberare poteſt, ſi modo poſt purgationes guaiaci decocto, ſudores aliquot matutinis promoueantur. At ſi iam obſeſſa eſt partium ſubſtantia, impetum quidem morbi, & veneni furorem reprimit, ac mitigat: ſed quod poſtea crudelius excandeſcat, ſenſim & clanculum radice altius defixa, vixq; vllis remediis inueteratum poſſit extirpari. Hæc igitur curandi ratio, ſymptomata lenit, non cauſam eorum euacuat, differt perniciem, non aufert. Quod cum reprehendiſſent poſteri, cœperunt tenui, extenuanteque victu & potu è guaiaco, vel ex chinarum aut ſarceparrillæ radice

corpus

Digitized by Google

corpus magis exiccare, humores attenuare, atque in vrinas & ſudores digerere ac diſſipare. Sic enim neceſſe eſt, puſtulas & vlcera cum corpore extenuari & ſuccreſcere, tophos præduros incidi atque diſſolui, ex hiſque natos dolores miteſcere. Quæ curatio tametſi quam ſuperiores multo tutior ſit & mitior, periculo tamen recurſus minime liberat: quum præſertim lues initium præterlapſa, & doloribus & tophis ſcirrhoſis moleſta eſt. Itaque quibus machinis firmiſſima, ac munitiſſima iſta arx iam diu obſeſſa, tandem aliquando ſubuerti & expugnari poſſit, dicere aggredior, ab ipſius amuleto exorſus.

LVIS VENEREÆ AMVLEtum. Cap. VII.

QVVM lues venerea totius ſit ſubſtantiæ morbus, iſque occultus, contagioſus, & venenatus, nemini mirum videri debet, ſi tamdiu vera eius deſiderata fuerit curatio. Vt enim eorum affectuum inexplicabilis fere vis & natura eſt: ſic remediorum quæ tota ſubſtantia, totoque genere, & abſtruſa quadam facultate illis reſiſtunt & aduerſantur perdifficilis exiſtit inueſtigatio. Hæc namque vulgata & ſimplici via aut ratione inueniri nullo pacto poſſunt, vt quæ manifeſtos morbos perſpicua contrariorum virtute oppugnant, ſed ſola experientia, quemadmodum & deleteria & purgatoria. Quæ enim facultates totius ſubſtantiæ proprietate fiunt, à methodo & ratione omnes alienæ ſunt. Cur hic lapis, inquit Galenus, tacto vulnere ex quo ſanguis prorumpit, curſum eius reprimat ac reſiſtat, haud nouimus. At in oculorum

medicamentis, quas vires habeat lapis quem vocant hæmatiten, haud latet, nam id rationis inuentum eſt. Deinde quod lepus marinus ſolum pulmonem, cantharides, renes ſolos & veſicam exulcerent, coriandrum in furorem agat, hyoſciamus inſaniam ebrietati ſimilem inducat, papauer vehementem ſoporem, ſtuporemque excitet, non aliter quam longa obſeruatione & vſu cognouimus: ſicuti nec quod rhabarbarum, bilem flauam, ſenna melancholiam, agaricus & ſcammonium pituitam expurgant. Cur enim à papauere ſtupor, ab hyoſciamo vero inſania, quæ & naturam & cauſas habet maxime à ſtuporo differentes, proueniat, quum vtrumque frigidum exiſtat? Aut cur rhabarbarum & ſenna bilem vtramque & craſſa lentaque excrementa, è viſceribus primiſque venis ſubducant, neglectis ſeroſis, tenuibuſque humoribus in abdomine cumulatis, & ad fluendum paratiſſimis: ſcammonium vero & agaricus tenues ſeroſoſque humores vel è longiſſimis corporis partibus extrahant, craſſis lentiſque excrementis circum viſcera relictis? Hæc, credo, cauſa etiam fuit, cur hactenus febris peſtilentis nullum ſatis efficax amuletum ſit deprehenſum, quod tamen & eſſe & inueniri poſſe non diffido, ſi medici omnes in id ſtrenue incumbant. Siquidem verum id eſt, quod doctiſſimi philoſophi literis mandarunt, naturam mundi huius procreatricem ex contrariorum permiſtione, ita omnia contemperaſſe, vt nihil prorſus in eo notari poſſit, cui illa contrarium non protulerit, etiamſi noſtra incuria, ne dicam ignauia, multa hactenus nobis ignota deliteſcant. Ita enim affecti ſumus plerique fere omnes, vt aut

Digitized by Google

lucro potius, quam publicæ vtilitati ſtudentes, & veterum inuentis nimis forte inhærentes, à nouorum remediorum inueſtigatione, vel nouis emergentibus morbis abſtineamus. aut ſi quod nouum præſidium experiamur, id inuidiæ ſtimulis perciti, veluti arrhitum & arcanum quoddam nobis recondamus.

Ioannes Fernelivs præceptor meus, medicus clariſſimꝰ, ab hydrargyri vſu alieniſſimus, primus auſus eſt luis venereæ curationem polliceri, ſine illius ope, medicis & chirurgis, huiuſce vrbis, quibus hactenus perſuaſum eſt citra hydrargyri litum & ſputationem neminem à lue venerea vindicari poſſe, repugnantibus: multa domi ſuæ alexipharmaca componenda curauit, quæ aduerſus eius morbi perniciem cum guaiaco, aut etiam ſine hoc adhiberet. E quibus præſtantiſſima & efficaciſſima iſthæc comperi, quæ proxime deſcripta ſunt. ℞ ſcordii, &c.

℞ *Foliorum ſcordii* ℥ ß.

Polii montani Pulegii Praſſii Origani Calamenti Hyperici Centaurii minoris Stæchados Chamædryos Chamæpityos Spicæ nardi	Singulorum ʒ ij.

Seminum, aniſi
Fœniculi
Petroſelini
Dauci
Sileris montani
Rutæ
Ocymi
Hormini
Thlaſpi
Baccarum lauri
Iuniperi
Sem. pæoniæ maris
} Singulorum ʒ ß.

Radic. ariſtolochiæ
Gentianæ
Dictamni
Valerianæ
Azari
} Singulorum ʒ j.

Zinziberis
Nucis Moſchatæ
Caryophyll.
Piperis
Croci
} Singulorum ℈ iiij.

Cinnamomi electi
Myrrhæ
Caſtorei
Styracis calamitæ
} Singulorum ʒ iij.

℞ Mor-

Digitized by Google

℞ Morſus diaboli	
Scabioſæ	
Pimpinellæ	
Florum calendulæ	
Verbaſci	
Plantaginis	
Meliſſæ	Singulorum ʒ iij.
Rutæ	
Florum geniſtæ	
Origani	
Anthos	
Roſarum rubrarum	

Sem. Citrii	
Acetoſæ	
Fœniculi	
Cardui benedicti	
Radicis dictamni	
Tunicis	Singulorum ʒ ij.
Tormentillæ	
Ariſtolochiæ rotũdæ	
Gentianæ	
Zedoariæ	
Doronici Romani	

Cornu cerui	
Raſuræ eboris	
Ligni aloes	Singulorum ℥ ß.
Santali citrini	
Cinnamomi electi	

Croci	
Caryophill.	Singulorum ʒ ij.
Nucis moſchatæ	

Primam compoſitionem, opiatam maiorem, ſecundam minorem vocitabat. Alterius ʒ ß cum cõſeruæ bugloſſi pari pondere, & mitridatii ℈ ß. pro doſi exhibebat, interdum & ſine mithridatio fœlici ſucceſſu vtebatur, ea methodo, quæ poſtea tradetur, minorem tanti faciebat, vt vel mithidatio, & theriace in febribus peſtilentibus, & aliis morbis malignis, anteponeret. Ego, quum è viuis exceſſiſſet, ex vtraque adiectis etiam aliquot aliis medicamentis, quæ aduerſus venena valere, & ad ſudores ciendos aptiſſima eſſe compereram, vnam concinnaui, quæ hactenus neminem fefellit, qui, qua ratione poſtea dicetur, vſurpauerit. Parata proſtat in vico Antoniano apud Antonium Fanerea, nobilem pharmacopœum. Et ſic habet:

℞ Scordii ʒ ß
Morſus diaboli
Scabioſæ
Pimpinellæ
Polii montani
Pulegii
Calamenti
Praſſi albi odorati
Origani
Menthæ
Hyperici
Centaurii minoris
Stœchados
Chamædryos
Chamepithyos
Plantaginis
Meliſſæ

(Scabioſæ … Meliſſæ:) Singulorum ʒ ij.

Rutæ

Rutæ
Thymi
Sampſuchi

Hyſſopi
Saluiæ minoris
Foliorum polypodii } Singulorum ʒ ß.
Verbenæ
Veronicæ vtriuſque

Florum betonicæ
Calendulæ
Verbaſci
Geniſtæ
Rotiſmarini
Iaſmini
Saluiæ } Singulorum ʒ iij.
Roſarum rubrarum
Hyperici
Bugloſſi
Borraginis
Violarum
Nympheæ

Seminum aniſi
Petroſelini vtriuſque
Dauci
Granorum tinctoriorum
Hyperici
Sileris montani
Rutæ } Singulorum ʒ j. ß.
Liguſtici & Smyrnii

Ocymi
Baccarum lauri
Baccarum iuniperi
Seminis pæoniæ v-
triuſque
Seſeleos

Seminis citrii
Acetoſæ
Cardui benedicti
Fœniculi
} Singulorum ʒ iij.

Radicũ pæoniæ maris
Ariſtolochiæ rotũdæ
Gentianæ
Calami aromatici
Ireos Florentiæ
Cyperi
} Singulorum ʒ j.

Angelicæ
Dictamni
Tunicæ
Tormentillæ
Zedoariæ
Doronici Romani
} Singulorum ʒ ij ß.

Margaritarum electarum ʒ ij. ß.

Cornu cerui
Raſuræ eboris
} vtriuſque ℥ j.

Ligni aloes
Santali citrini
Oſſis de corde cerui
Corallii vtriuſque
} Singulorum ℥ ß.

Cinna-

Cinnamomi electi ʒ j. ß.
Xylobalſami, ſi haberi poteſt ℥ j.
Lapidum omnium pretioſorum, ſingulorum ʒ ß.

Nucis moſchatæ Macis Caryophillorum Myrrhæ Styracis calamitæ Benioin Croci Caſtorei	Singulorum ʒ ß.

Succi glycyrrh. ℥ j.

Oleorum è ſemine fœniculi E ſemine aniſi E ſaluia E menta E iunipero E nuce moſchata E caryophill. Opobalſami rubri ex America allati, ſi in manu eſt	Singulorum ʒ j.

Legantur ſingulæ herbæ, flores & radices quo tempore viribus pollent maximis, ſiccentur, ac in papyraceis ſacculis aſſeruentur, dum in puluerem tenuiſſimum omnes redactæ vino & melle excipiantur, & in electuarium coquantur, donec mithridatii bene præparati craſſitudinem aſſequatur. Poſſunt tamen flores ſaccharo condiri & aſſeruari,

vt aliis miſceantur ſub coctionis finem. Libra mellis puluerum vnciis duabus miſceatur. Seruetur in ampliſſimo vaſe terreo, cuius tertia pars vacet, ne ebulliat aut efferueſcat: nec in vſum qui mox tradetur, veniat ante triennium. Huius loco mithridatium à Galeno deſcriptum, è ſelectiſſimis medicamentis confectum, fœliciter ſæpe vſurpaui: nonnunquam & id, quod à Nicolao traditur. Sed pharmacopœorum impoſtura tanta eſt, vt vix vſquam fideliter paratum habeatur, & multa deſunt medicamenta, ad id recte conficiendum neceſſaria. Ideoque vel opiata ſola, vel ea cum mithridatio permiſta, ei vtendum eſt, qui perfecte ac tuto curari deſiderat.

Aquæ cardiacæ deſcriptio, quæ opiatæ ſuccedanea ſit.

℞ Foliorum ſaluiæ, mentæ, maioranæ, rutæ, hyſſopi, origani, ſummitatem betonicæ, ſingulorum M. j. Contrita omnia in fictile maiuſculum reconde loco calido, & aqua attractylidis, quem carduum benedictum vocant, obrue ne extent, quotidie rudicula agitentur antequam aceſcant, (quod quarto quintoue poſt die contingit) expreſſus humor ſeruetur & magma abiiciatur. Rurſus ℞ foliorum plantaginis, calendulæ, meliſſæ, verbaſci, hyperici, centaurii minoris, pimpinellæ ſingulorum M. ij. his, poſt quatridui macerationem & expreſſionem, abiectis, rurſus accipies ſcordii, morſus diaboli, fœniculi, petroſelini, bugloſſi, borraginis, angelicæ ſingulorum M. j. quibus dies totidem maceratis expreſſis & abiectis.

℞ Radicum angelicæ, dictamni, tormentillæ, betonicæ, zedoariæ, ſingulorum ℥ ß. rad. cyperi

ʒ iij.

ʒ iij. nucis moſchatæ caryophyll. vtriuſque ʒ j. ſeminis fœniculi, citrii, acetoſæ, cardui benedicti, baccarum iuniperi, ſingulorum ʒ ij. raſuræ eboris, cornu cerui, ligni aloes, ſantali citrini, cinnamomi ſingulorum ʒ j. croci ʒ ß. paratum puluerem expreſſo liquori commiſcebis. Exin amuleti luis, mithridatii ſelectiſſimi vtriuſq; ſeſquilibram, theriaces veteris ℥ iiij. pendes & dicto liquori atque pulueri confuſa in allenbico vitreo aut terreo vitrato recondita Iunii ardoribus, ſex octoue dies expones, dum conferueant, & perfecte fermententur, tandemque fiat deſtillatio in diplomate igni quam lentiſſimo. Si deſcripta ſimplicia olla noua indita cum aqua attractylidis dies quindecim fimo equino calente conferueant, præſtantior aqua elicietur.

℞ Aquæ prædictæ ℥ iij. ſyrupi de limonibus & violati ſingulorum ʒ vj. fiat doſ.

Pulueris deſcriptio.

℞ Raſuræ eboris, cornu cerui iunioris, margaritarum electarum, ſingulorum ʒ ß. ligni aloes, ſantali citrini, oſſis de corde cerui, ſingulorum ℈ j. ſem. fœniculi, coriandri præparati, vtriuſque ʒ j. foliorum mentæ, plantaginis, verbenæ, pimpinellæ, ſingulorum ℈ ij. radicis tormentillæ, betonicæ, zedoariæ, ſingulorum ʒ ß. florum betonicæ, calendulæ, geniſtæ ſiccorum, ſingulorum ʒ ß. ſacchari roſati triplum: fiat puluis tenuiſſimus: doſ. cochlear vnum initio paſtus, & ante ſudorifici cremoris hauſtum, ſi æger opiatæ vſum refugiat.

LVIS VENEREÆ PRÆcautio. CAP. VIII.

CAVSAS externas quum nobis occurrunt, nihil in nos moliri poſſe ſine afficiendi corporis præparatione ac imbecillitate multi arbitrantur: qui quum vident ex iis, qui in eodem peſtilente aere diu verſati ſunt, alios febre peſtilenti opprimi, alios vero incolumes euadere: rurſumque ex iis, qui cum eodem ſcorto volutantur, alium penis vlcus, alium bubonem, alium luem veneream contrahere, alios vero nihil perſentire iſtiuſmodi: nullam aliam tantæ varietatis cauſam inueniri poſſe dictitant, quam quod alii puro & minime cacochymo ſint corpore, alii multa illuuie ſcateant, concipiendæ putredini, aut cuiuis aliæ labi admittendæ aptiſſima. At vero cum diuturna obſeruatione compertum ſit, homines nulla nec plenitudine, nec cacochymia oppreſſos, ſed exacte ſanos, febris tamen peſtilentis aut luis venereæ non raro diſcrimen incurriſſe, quod cacochymi & cachectici ſæpe effugiſſent, præter eam quam certis ſignis internoſcere licet afficiendi corporis præparationem in humorum plenitudine ac vitioſitate poſitam, aliam occultam ſuperiore multo periculoſiorem ſtatuere cogimur, quæ nec certis ſignis deſignari, nec verbis explicari poſſit, vt occulti morbi, occulta ſit nulliſque notis conſpicua præparatio: hanc qui volet in luem veneream procliuitatem, aut propenſionem appellet occultam. Hæc certe cauſa fuit, cur eos qui tuto & impune, vel in peſtilenti aere verſari, vel cum impuris ſcortis permiſceri poſſint, ab aliis qui citra grauem noxam

non

non poſſint, nemo hactenus docuerit internoſce-re. Quæ quum ita ſe habeant, ſi cui luem veneream declinare eſt animus, eum vel in totum ab impuro concubitu, alioque venereo attactu abſtinere, quod Chriſtianos omnino decet, vel ita corpus præparare ac præmunire oportet, vt eam minime admittat. Hoc autem non tam venæ ſectione, & purgantibus medicamentis vitium facientibus humoribus accõmodatis, quam alexipharmacis perficitur, quæ quum viribus & facultate ſua corpus immutent, ſuaque qualitate imbuant, ipſum ſimul aduerſus eum morbum, cui tota ſpecie aduerſantur, veluti adamantinum reddunt. Vt igitur Mithridatem regem ſuo alexipharmaco corpus aduerſus venena ſibi ſuſpecta ita comparaſſe commemorant, vt nullius poſtea veneni pernicie lædi labefactarique potuerit: ſic nos luis venereæ contagionem prohibere malignumque eius virus arcere cupientes, antidotum ſeu amuletum inuenimus, cuius vſu hominum corpora aduerſus luis incommoda, tuta reddantur. Quo tamen perditos ſcortatores grauiſſimas flagitiorum ſuorũ pœnas tandem daturos ad explendam libidinem abuti nolim, quin potius cupiditatibus frænum iniiciant, ſummam diuini numinis iram & vltionem ſibi ante oculos ponant, & ſcortari deſinant ſedulo moneo, medicoſque & chirurgos omnes oro & obteſtor, ne libidinoſis morem gerentes iſthuc communicent atque patefaciant, neue libidinum fautores ſe prębeant. Videndum autem antequam amuletum porrigas, purumne & integre ſanum ſit corpus, an cacochymum. Nam ſi vel plethora, vel cacochymia, vel obſtructione, vel alia graui & ma-

niſeſta præter naturam cauſa tenetur, non ante amuleto vtendũ, quam plethoram, obſtructionem, aliamve cauſam præter naturã medendi arte ſummoueris. Hæc ſiquidem antidotorum vires infringunt. In cacochymia quæ ventriculum, primas venas, viſceraque ipſa occupat, occultæ alexipharmaci vires quaſi ſepultæ franguntur atque hebeſcunt, perinde ac ſi in lutum ſordidiſſimum demergeretur. In obſtructione, ſiue ab humorum copia ſit, ſiue ab eorum craſſitie, præcluſæ ſunt ac impeditæ viæ, quibus eſt iter ad pudenda, aliaſque partes externas, nec eo poteſt antidotus integris virib. peruenire. Itaque ad eam quam quærimus luis venereæ præcautionem, ſi purum & integre ſanum ſit corpus, ſtatim nulla curatione præmiſſa præter venæ ſectionem: ſin impurum eſt, poſt venæ ſectionem & conuenientes purgationes, alexipharmacum impuros & ſuſpectos concubitus anteuertat, dum ipſius vi & qualitate imbutum prorſusq; perfuſum corpus luis perniciem repellat ac ſuperet, quod plurimum ſolet quindecim aut viginti ad ſummum diebus euenire.

℞ amuleti luis mithridatii veteris deſcriptione Galeni, vtriuſque ℥ vj. conſeruæ bugloſſi, florum geniſtæ & anthos, ſingulorum ℥ iij. miſce, præbe ʒ j. aut ʒ j. ß. aut ʒ ij. ad ſummum, mane horis duabus ante cibum octo aut decem continuos dies. Si iuuenile corpus eſt, & iecur calida intemperie laborat, recte permiſcentur conſeruæ refrigerantes è floribus cichorii & nymphеæ. Nec vero aduerſus luis venereæ perniciem, ita ſemel corpus præmuniiſſe ſatis ei ſit qui ſuſpectam habet vxoris pudicitiam, aut contaminatis aſſidet: ſed quarto quo-
que

que die amuleti ſuprapoſiti ℨ j. mane deglutienda eſt:ne ea qua imbutus erat amuleti qualitate extincta, luis perniciem facile ſuſcipiat. Iam vero ſi quis in impurum ſcortum, ſine ea quam dixi præparatione, vel etiam poſt eam, incidit, è quo vel penis vlcus, vel virulentam gonorrhœam, vel inguinum bubones venereos contraxerit, quoniam ex iis partibus, longo vſu & diuturna obſeruatione compertum eſt malignum virus per venas & arterias, aut etiam per continuatas quaſque partes, in iecur aliaque viſcera, ſæpe clanculum ſeſe inſinuare, è quibus, ſi non arceatur, in totum corpus poſtea ſpargitur, eiuſque mox conſtitutionem peruertens luem infligit veneream: quum primum illa apparebunt maiori neceſſitate quam vnquam in luis præcautionem incumbendum eſt, eſtque hæc vera certa & nemini negligenda luis præcautio. Itaque modo deſcriptum alexipharmacum arripiendum, eius ℨ j. aut ℨ j. ß mane & ante cœnam deglutiendæ octo decemue dies continuos, cuius vis, vt remotiores partes facilius attingat, eo deuorato zulapii huius nonnihil ſtatim ſuperbibere expedit, quo veluti vehiculo, quoquouerſum deferatur.

℞ Aquarum cardui benedicti pimpinellæ & ſucciſæ ſingulorum ℥ ij. ſyrupi de ſucco acetoſæ & de limonibus vtriuſque ℥ j. ß. fiat zulapium ad duas doſes ſtatim poſt aſſumptam amuleti ℨ j. ß. mane & horis duabus ante cœnam hauriendas, Quod ſi nihilominus, vel multum ſerpere, accreſcereque modo propoſita pudendorum vitia videbuntur, vel diutius affligere, poſt vacuationes vniuerſales guaiaci aut ſarceparrillæ decoctum, qua ratione in

Digitized by Google

luis curatione dicemus comparatũ, alexipharmaco adiungendum eſt, promotis mane quotidie eius beneficio ſudoribus, dum res in tuto eſſe videatur. Ita enim dubio procul luis pericula vel proxime imminentia declinantur, tutumque corpus redditur à ſæuiſſimis, quæ neglecta præcautione tandem aliquando emergerent, ſymptomatis. Quum autem vix vlla lues incidat, quin diu ante vel vlcus, vel gonorrhœa virulenta vel bubo in obſcœnis partibus ſe prodiderit, ſi horum quopiam exorto medici ac chirurgi continuo ad hanc quam proxime poſui præcautionem, ægros remittant: vix vlla in poſterum lues venerea in toto orbe deprehendetur: tanta eſt remediorum deſcriptorum efficacia, tamque facilis imminentis huiuſce morbi præcautio. Sed etiam atque etiam vereor, ne medentium auaritia admiſſum hoſpitem eiicere malit, quam aduentantem repellere, quod illinc multo vberius lucrum eſſe ſoleat. Si cui nimium diſplicebit amuletum, & aqua cardiaca ſupra deſcripta in promptu non ſit, ex illo arte chymica aqua prolicienda, cuius ope inſertum in corpus extinguatur venenum in hunc modum.

℞ Amuleti huius ℔. ß. mithridatii ℥ iiij. theriaces ℥ ij. conſeruæ roſarum, bugloſſ. violarum, borrag. ſingulorum ℥ vj. ſucci endiuiæ, aquæ cardui & ſuccifæ, ſingulorum ℔ j. Extrahatur aqua in balneo mariæ. Cuius ℥ iij. cum ſyrupi violarum, aut è limonibus ℥ j. ſudore deterſo propinabis.

QVÆ

QVÆ AD LVIS CVRATIONEM recte instituendam prænoſcenda, quæque curationi præparatio præmittenda ſit.

Cap. IX.

ANTEQVAM agnitæ luis curationem aggrediaris, primum quamdiu illa ægrum afflixerit, & quibus ſymptomatis ſtipata ſit, videto. Recens contracta nullo graui ſymptomate comitata, ſolis maculis, aut puſtulis quibuſdam conſpicua, humores & carnes tantum obſidens, aut vix dum ſolidas attingẽs, facile curationem recipit: ægrius, quæ præterea doloribus & ſcirrhoſis tumoribus moleſta eſt: omnium difficillime confirmata, quæ doloribus, tophis, oſſium carie, & vlceribus exedentibus ſe prodit, quam in interioribus etiam viſceribus vlcera & tubercula multa excitare in mortuorum corporibus diſſectis notaui. Conſiderandus eſt præterea totus affecti corporis habitus, & viſcerum, præſertim vero iecoris natiua conſtitutio. Nam quibus calida & ſicca, aut alioqui imbecilla ſunt viſcera, maxime vero qui ventriculi os debile nacti ſunt, mitiora quam qui contrario modo ſe habent, remedia expoſcunt: quemadmodum qui raro & laxo ſunt corporis habitu, leniora quam qui craſſo & denſo. Idem de his quoque ſentiendum, qui improba viuendi ratione, tales euaſerunt. Hi enim omnes nec magnam inediam, nec validas vllas purgationes perferre poſſunt, quin tenui bile & malis humoribus os imbuatur ventriculi, atque grauiter compungatur, vnde in graues & ſtomachicas syncopas incidunt. Inſpicere vero oportet, & qui in ipſis viſceribus humores

exuperant. Nam ſi vel partium nutrientium inſito vitio, vel viuendi errore & longa crapula, vel alimentorum impuritate & vſu intempeſtiuo illuuiem multam in primis venis & viſceribus congeſſerunt, quæ etiam inde in venas maiores effundatur: antequam luis propria ſuſcipi poſſit curatio, purgandum corpus ſæpius eſt, & cacochymiæ ſentina prorſus exhaurienda: primum quidem apozematis aliiſque quibuſlibet blandioribus medicamentis catharticis, primæ corporis regioni expurgandæ deſtinatis: deinde paulo validioribus, quæ è venis maioribus aliquid etiam attrahant. Quin & vena ſecta ſanguis mitti debet, ne qua in venis plenitudo relinquatur, quæ morbi curationem retardet ac præpediat. Quod ſi quis temerarius, & rei medicæ faciendæ ignarus, cacochymia & plenitudine neglectis, ad propriam luis curationem (quæ per alexipharmaca & ſudorem prouocantia fit) aggrediatur, vt ipſam rem ſane perdifficilem radicitus tollat, corpus tamen variis affectibus in omnem fortaſſe vitam obnoxium relinquet. Non enimblioſa, melancholica, aliaue craſſa illuuies, circum viſcera collecta, tota in ſudores digeri diſſipariue poteſt: vt pituitoſa quæ circum membranas aliaſue neruoſas ac ſolidas omnes partes maligna luis congeſtione ſuccreſcit: ſed tenuiori parte reſoluta reliquum ſicceſcit, impingiturque viſceribus, ac tandem acrem malignamque qualitatem contrahens, ipſorum ſubſtantiam labefactat. Hinc profecto curata lue ſæpe lienis, interdum & iecoris ſcirrhus conſequitur, non ſine hypochondriorum tenſione: hinc & herpetes ſæpius in manibus, nonnunquam & in aliis corporis ſedibus maligni ena-

enaſcuntur, qui non niſi longa viſcerum deterſione, humectatione & refrigeratione miteſcunt. Contrario errore tenentur, qui partibus externis iam impactam craſſam lentamque materiam, aluum ducentibus, aut vomitoriis medicamentis validioribus reuocare, atque ita luem veneream curare contendunt. Hi certe ventriculum & viſcera omnia grauiter offendunt, ac multis ſymptomatis nullo pene vſu laborantem conuellunt, eiuſque vires adeo proſternunt, vt nequeat poſtea totam curationis viam conficere. Neque igitur, eam quæ in primis eſt corporis ſedibus humorum illuuiem per vrinas aut ſudores euacuare, neque quod externis partibus tenacius iam inhæſit excrementum per aluum reuocare tentādum, ſed Hippocrati auſcultandum, quæ ducere oportet per loca conferentia, quo natura vergit, ducere monenti. At vero ſi per vniuerſum corpus, fuſa iam ſparſaque erit cacochymia, quæ tamen è viſceribus prodierit non modo ante luis curationem, primæ ac ſecundæ corporis ſedes, iuſtis purgationibus identidem repetitis detergendæ erunt, & ab omni illuuie liberandæ: ſed etiam per totam curationem, ſic enim ne quæ in male affectis viſceribus denuo ſuccreſcant ſordes, diligenter prouidebitur. Nam ſi bene habiti (vt recte cenſuit Alexander Aphrodiſeus) fameſcentes, ſolito cibi vſu prætermiſſo, bileſcunt, & materiam congerunt acriorem: multo certe magis, quibus viſcera latenti vitio & praua affectione laborant, per inediam alimenti portionem corrumpēt. Itaq; purgatione, quod ſic quotidie cumulabūt extrahetur, vt vacuū maneat ægri corpus tutiorq; ſit alterius affectus curatio.

Conſideranda & conſuetudo, hæc enim nec ſanis, nec ægris repente mutari poteſt ſine diſcrimine: oportet igitur ad inſueta paulatim tranſire. Videndum & quod anni tempus ſit, quæ regio, quæ ambientis aeris conſtitutio, hæc enim ſi ad calidum declinauerint, blandioribus agendum eſſe ſuadent: ſi vero ad frigidum, validioribus. Ætates quoque puerilis & ſenilis, eandem præbent indicationem, cæteræ contrariam: ſed & ſymptomata grauia quum ſuperuenerint, ſi vires adimant, curationis ordinem peruertent, dum leniantur. Sed de his ſatis. Iam guaiacum, quod cauſæ ſine qua nec commode, nec cito perfici poteſt curatio, vim obtinet, paucis perſtringamus ab eius deſcriptione exorſi.

GVAIACI DESCRIPTIO.
Cap. X.

INSVLA quædam ſuperioribus annis inter nouas terras, & antiquis incognitas reperta eſt, cui Hiſpaniola à repertoribus Hiſpanis nomen inditum eſt. Ipſius inſulæ incolis luem quandam venereæ hîc graſſanti perſimilem, ſæpe familiarem eſſe & endemiam, quemadmodum exanthemata & ecthymata epidemica hîc nobis, literis prodiderunt. Huius igitur luis vnicum illis remedium eſſe ligni cuiuſdam decoctum, quum animaduertiſſet nobilis quidam Hiſpanus illic lue venerea, quam in Hiſpania contraxerat, diutius & immanius diſtortus, eadem medicina vſus fœliciter conualuit: cuius idcirco vſum poſtea in Hiſpanias attulit, primum anxius ne non trans mare, qualis in inſula, eius eſſet effectus. Nomen ei ligno fecerunt guaiacum,

Digitized by Google

cum, quod cum hiatu huaiacum pronuntiant inſulares. Aiunt creſcere qua apud nos fraxinus, proceritate, arborem teretem, folia habere fraxini neruoſa, rotunda, dura, & nuces gignere caſtanearum ſimiles. Cortex huic quum ad nos peruenit, colore cineritio haud ita denſus, ſed immodice durus. Color fere qui buxo ligno externæ parti, nigreſcens internæ, quam medullam dicunt. Pondus ei, quale nulli præterea ligno. Nulla eius quantumuis minima pars in aqua fluitat, ſed demergitur continuo, & ſubſidet. duritie robur omne ſuperat, ſed tamen ſæpe dehiſcit, rimiſque & fiſſuris diffinditur, hiatum reſina propria referciens. Suffitur, vritur, & inflammatur ob pinguedinem, odore iucundo ſine fumi tædio. Ab accenſo reſina profluit ſubnigra, ac prædura vbi refrixerit: ſapor huius ſubamarus leui acrimonia palatum ac fauces compungens, qui ſemel cognitus, nunquam errare in dignoſcendo ſinit emptorem, vt neque odor. Huius varia ad nos aduehuntur fruſta, alia craſſiora & nigriora, quæ ab arbore: alia minora intus, & foris fere albicantia, quæ ab eius ramis deciſa putant. Præferendum quod recens ſatis, non vetus ac carioſum exiſtit, cui cortex proxime adhæret, quod quamplurimũ nigri habet, quod quammaxime pingueſcit & pondere valet. Eius enim ſenecta leuitas eſt & marcor. Quod igitur vndequaque albeſcere ac omnino buxeum eſſe guaiacum videtur, vt minus odoris habet, ſic minus ad luis venereæ curationem efficax exiſtit. Et certe huius decoctum clarum & lympidum cernitur, nulla aut admodum exigua acrimonia fauces vellicans. At quod intus nigri multum continet vt odoratius &

acrius, ita decoctum facit obſcurum magis & minime lucidum, quod fauces acute compungit atque mordicat: plurimam enim obtinet reſinam, quæ aquæ incocta turbidam illam albidamq; reddit, ſero lactis nuper expreſſo perſimilem. Eſt enim rationi conſentaneum arbori quam ramis maiorem ineſſe vim, & quanto fruſtum quodque radici propius accedit, id tanto eſſe præſtantius. Ac rurſum qui ab arbore nec ſenio marceſcente, nec recens orta deciduntur rami nuper natis, aut ſeneſcentibus multo eſſe præſtantiores & efficaciores. Præcipiunt tamen nonnulli fugiendum eius vſum, cuius rami adferuntur magni & valde craſſi in totum fere nigri. Id enim contingere ſeneſcentibus arboribus & ſucco deſtitutis, vt paulatim nigreſcant. At vero quum craſſiſſima illa fruſta experiundi gratia ſæpius diſſecuiſſem, in his reſinam copioſam concreuiſſe animaduerti, quæ accenſo ligno guttatim ſtillarit. Itaque eius decoctum vſurpare cœpi, quod vt maxime craſſum & albidum, ita omnium efficaciſſimum longa experientia deprehendi. Quocirca ego vel naturali ſolo, vel arboris parte non ſolo ſenio ab aliis differre exiſtimo, eiuſque vt maxime ſucculenti vſum inprimis commendo.

Quanquam autem guaiaci cortex multo maiore acrimonia & amaritudine pollet, atque idcirco validius fortaſſe ſiccare, attenuare ac digerere poteſt quam lignum: quoniam tamen non tam his quam occulta quadam proprietate in humido illo præpingui (quod ligni internæ parti plurimum ineſſe diximus) inſidente maligna & venenata luis venereæ natura profligatur, eiuſque cohibentur ſympto-

ſymptomata: idcirco ſane pars guaiaci interior in luis curatione cortici & externæ ligni parti præferenda eſt. Adde corticem tanta ſiccitate non parum viſceribus, ipſi præſertim iecori diuturno vſu nocere, præſertim vero in calidis & ſiccis corporibus: nam in frigidis & humidis commode vſurpatur. Iam vero quum in multis Americæ inſulis reperiatur guaiacum, nullius tamen literis certo proditum legi, ex qua omnium mittatur præſtantiſſimum. Qui Americam ipſam rerum nouarum deſiderio luſtrarunt literati viri, duas in ea reperiri ſpecies, mihi ſancte affirmarunt, quarum vna lignum in totum fere nigrum exhibet, corticeque tegitur admodũ tenui & leui. Altera vero lignum habet in totum fere albicans corticemque gerit craſſum, inæqualem & aſperum. Atque illud quidem hoc longe efficacius, & ad omnia multo præſtantius barbara gens arbitratur, eoque ſolo recēti vtitur, ad endemiam puſtularum eruptionem cohibendam.

Vtcunque res habeat, olim ex inſulis cruci & Dominico ſacris, magnam copiam albicantis quod imbecillius diximus, perexiguam vero nigri, eiuſque in inſula Ioanni ſacra nati, ad nos aduehebant. Nunc vero luſtrata, credo, penitus America, nigri ingens copia mercatorum diligentia ſuppetit. Itaque guaiacum aliud ab alio differt, vel pro arboris parte à qua deciditur, vel pro ſolo in quo ortum incrementumque ſumpſit, vel certe pro ætate. Eſtque nigerrimum & maxime ſucculentum ad luis venereæ curationem ſeligendum.

Digitized by Google

DISPVTATIO IN QVOSDAM de guaiaco parum philoſophice ſentientes. Cap. XI.

Lignvm guaiacum quod omni ex parte albicat eo quod interiorem partem cineritiam vel nigram exhibet, longe acrius, odoratius, & amarius eſſe, & idcirco illius quam huius craſſius, pinguius & acrius eſſe decoctum, huius ætatis medici quidam literis tradiderunt hiſce firmiſſimis (ſi Diis placet) rationibus impulſi: Eo nigrius cernitur lignum guaiacum, quo ad maturiorem ætatem peruenerit arbor, à qua fuerit deciſum: contra vero, tanto magis albeſcit, quanto minus illa adoleuerit. At quo magis adoleuerit arbor, eo ſiccius eius lignum exiſtit. Nam quælibet conſeneſcens planta (quod animalibus etiam euenit) continuo exareſcit humidoque priuatur. Quo vero recentior, ac minus annoſa, eo humidior ac proinde efficacior. Itaque in eo guaiaco quod omni ex parte albicat, vtpote iuniore non ſolum vis ineſt vegetandi præſtantior, ſed & maior optimi ſucci vbertas & vis ad luis curationem quam in nigriore præſtantior. Quapropter in luis curatione albidum ac buxeum, vt efficaciſſimum & peculiari nomine ſanctum appellatum ei præferendum eſt, quod parte interna plurimum nigricat. Illorum qui ſic ratiocinantur opinionem, quum plerique omnes medicinæ tyrones, magno ægrotantium damno amplexentur certis argumentis refellere conabor. Primum igitur quoniam illi medicamẽtorum vires, pro humorum qui in illis ſunt copia, aut penuria firmas imbecilleſue eſſe contendunt, qui

qui id cum veterum ſententiis conſentiat, inueſtigandum.

Ariſtoteles Philoſophos veteres inſectatus, qui naturalium corporum facultates atque vires à calore, frigore, humore & ſiccitate proficiſci contendebant, rati ex his & per hæc omnia effici luculenter demonſtrat elementarias illas naturalium rerum qualitates, cauſæ cuiuſdam præſtantioris, quæ rei cuiuſque ſua ſit, & propria (quæque aut forma aut natura appelletur) inſtrumenta duntaxat eſſe, cuius vi niſi cierentur, per ſe otioſa prorſus & inutilia manerent. In naturali namque rerum effectione ſpecies ſiue forma primum & præcipuum efficiens habetur, in qua vires & facultates quædam ineſſe intelliguntur, quibus temperamentum & materia tanquam inſtrumenta ſubſidio veniant: pro quorum apta aut inepta conſtitutione commodior aut infirmior formæ ipſius euadit effectio. Itaque à guaiaci perfectione formaue, actiones eius omnes primum & per ſe proficiſci ſtatuere oportet: quæ tamen guaiaci calore, ſiccitate & materiæ tenuitate ad tenuandum ſudores, mouendum & ſiccandum vtatur: non autem eo qui in recens natis, cum animantibus, tum ſtirpibus exuperat aqueo crudoque humore. Quod nobis luculentius explicandum videtur.

Triplex quum ſit omnium viuentium humor, vnus primigenius (radicalem dicunt) pinguis & olei perquam ſimilis, atque idcirco ad flammam concipiendam aptiſſimus. Alter ſuperiore tenuior, minime ad inflammationem idoneus, ab alimentis accitus (alimentarium idcirco dicunt) & per corporis molem diſperſus. Tertius omnium craſſiſſi-

mus, quo tanquam viſco terrenæ corporum partes inter ſe iunctæ cohærent, vniuerſum inanimorum genus conglutinatum ſuſtinens. Neminem tamen non dico philoſophorum, ſed ne medicorum quidem proximas ſenſuique ſubiectas cauſas ſpectantium inuenias, qui calefaciendi, attenuandi, & ſudores promouendi facultatem ab ipſorum quopiam deducat. Omnes ſiquidem efficientes iſtorum operum proximas cauſas agnoſcant exuperantem in temperamento calorem & ſiccitatem vna cum partium tenuitate: niſi forte aliquiſpiam ad humorem referens, humoris nomine, non ſolum pinguem illum & oleo perquam ſimilem humorem primigenium nuncupatum, ſed etiam vitalem & natiuum calorem, cuius humidum illud fundamentum & pabulum exiſtit, intelligat: in quo tamen calorem efficientem agnoſcat neceſſe eſt. Non igitur quo humidius, ſed quo calidius & tenuius, hoc ad luis curationem efficacius guaiacum cenſeri debet. Quanquam autem quicquid viuit primo vitæ ingreſſu humidiſſimum quum eſſet, indies longius procedens magis atque magis ſiccatur & exareſcit, eius tamen calor (quo ſtatim vt in lucem editum eſt ingenti affluit) ad medium vitæ curſum non mutatur, ſi quidem Galeno credimus, qui ſingularum ætatum temperamenta tactu explorans, cum pueros, adoleſcentes, iuuenes ſæpius obſeruaſſet, & præterea eundem infantem puerum, adoleſcentem, iuuenemq; factum, hunc nihilo calidiorem deprehenſum cõfirmat nec puerum quam ætate florentem, nec ætate florentem quam puerum. Hoc tamen diſcriminis intercedit, quod puerorum calor multo alimentario humore ſe-

re ſepultus, halituoſus ſit & tangenti blandior ſentiatur: Ætate vero florentium calor ſubacre quiddam ac non ſuaue referre percipiatur. quod ille de hominum calore affirmat, id nos ad ſtirpes commode transferre poſſe arbitror. Sunt enim vt animalium, ſic & ſtirpium ſuæ ætates, plerunque etiam multo longiores, pro quibus vt hominum, ſic illarum temperamentum immutari eſt neceſſe. Si calorem eundem aut etiam acriorem in matureſcente guaiaco quam in eo quod minus annoſum eſt, maioremque partium tenuitatem ineſſe ex Galeni ſententia fateri cogimur, quid cauſæ eſt cur album immaturum nigro maturo & acriore validius cenſeatur? In vtroque idem agens calor eſt, inquis, ad ætatem conſiſtentem vſque, ſed in albo recentiore humoris maior copia, altrixque facultas validior quam in nigro, quod magis adoleuit: Ita enim videris philoſophari. Albicans guaiacum quia nigro minus adoleuit & humidius eſt, ideo altricem vim maiorem obtinet, quocirca efficacius & præſtantius eſt, & ad luis venereæ curationem nigro præferendum venit. Bona verba. Quaſi vero & ſtirpium & animalium vires omnes à natiuo calore profectæ, humorum reſpondeant copiæ, & non ſæpe potius copia humoris hebeſcant & refrænentur. In infantibus quidem & recens editis ſtirpibus altricem vim firmiorem, maioremque humoris copiam ineſſe veteres prodiderunt, quam ætate florentibus: reliquas autem functiones omnes à calore aut ſiccitate, aut partium tenuitate profectas multo imbecilliores. Primum enim animales functiones omnes in infantibus infirmas eſſe & obſcuras, compertum habent medi-

ci omnes: idque non alia ex cauſa, quam quod caro illis inſit præhumida atque mucoſa: deinde nerui, vincula, imo & oſſa præ humoris copia tenera, flexilia adeo vt facile ſequantur quocunque ducas. Quæ ſi aliter ſe habere in guaiaco aliiſque ſtirpibus contendas, tota (quod aiunt) erras via. Quid enim? Immaturum piper, aut vix dum è terra emergens origanum, vel ſerpillum, vel pulegium, vel mentam, quia non ita adoleuerunt, humidiſſimaque ſunt, validiuſne calefacere, ſiccare, digerere & roborare exiſtimabis, quam illa ipſa æſtate media cum vigent maxime collecta, & ſacculis ad vſus futuros aſſeruata? Abſurda ſane opinio, quam vix medicorum quiſpiam audire ſuſtineat. Nam vt medicamenta, quæ refrigerandi, aut humectandi facultate pollent, præſtantiora & efficaciora concedimus, non ita pridem nata & viridia, quam matura, ſicca, & arida (humore ſiquidem in quo vis illa refrigerandi & humectandi inerat exhauſto, infirmiorem illam reddi neceſſe eſt) ita certe quæ partium tenuitate aut calore, aut tota ſubſtantia agunt ſuperuacanei humoris expertia ſiccaque, & quæ maturam attigerunt ætatem, recentibus & humidis efficaciora eſſe contendimus. Illorum quippe inſitus calor in humido primigenio inhæreſcens alimentario humore (quo copioſiſſimo ſtirpes recens ortas ad ſui incrementum perfundi neceſſe eſt) obtunditur, atque hebeſcit, illorumque materia mollis ac mucoſa vt odore fere & ſapore, ita viribus incidendi & attenuandi pene deſtituitur. Quod animaduertentes qui de legendis reponendiſque herbis, ſeminibus & radicibus præcepta tradiderunt: quæ attenuando, di-

do, di-

do, digerendo, ſiccando & calefaciendo, aut etiam tota ſubſtantia proſunt, quo tempore viribus pollent maximis (quas maturitatem illis adferre inter eos conſtat) legi reponique voluerunt. At quæ refrigerandi aut humectandi facultate valent recentia ac viridia, ſiccis multo præſtantiora, atque idcirco ſi haberi nequeunt, ex iis aquas quo tempore multo humore turgebant arte prolectas ad futuros vſus adſeruant. Quis enim vel plantaginem, vel cichorium, vel eius claſſis reliqua ſicca humidis præferre viſus eſt, aut in humidorum locum ſufficere? Si quo à maturitate longius abeſt guaiacum, quia humidius, hoc efficacius eſt eius decoctum: nonne quo maturius eſt, quia ſiccius, hoc eius decoctum imbecillius & infirmius eſſe oportet? vide in quem abſurdum errorem tua te deducat opinio. Sed iis omiſſis quid de guaiaco ſentiendum, paucis perſequi præſtat.

Lignum guaiacum vt reliqua omnium ſtirpium genera, quum primum è terra prodire cernitur, humidiſſimum eſſe argumento eſt, quod à ſemine terrea humiditate perfuſo, nuper ſit concretum, quodque valde molle & quocunque velis ductile flexibileque ſit: quod denique guſtantis linguam nec ſiccet nec mordicet, nec iucundum odorem ſpiret, atque poſtea quum ætate progrediente ad maturitatem peruenerit. Aqueum autem eum humorem quo perfunditur eius alimentum eſſe, è terra nuper prolectum, & idcirco nondum probe elaboratum nec concoctum, nemo in naturæ cõtemplatione vel leuiter verſatus negauerit. Trahitur autem humor hic elementarius ab eo, qui à ſemine arbori ipſi eſt inſertus natiuo calore omniū

naturalium functionum auctore ab alendi facultate ſtimulato per radicis tenuiſſima quæque filamenta longe lateque per terram extenſa: idque in arboris corticem, in quo aliquandiu moratus primam concoctionem ſubit, & è quo poſtea in totam nutriendam arborem ſpargitur, hoc indicio, quod cui arbori cortex ademptus eſt, tandem illa alimento deſtituta, & quaſi conſumpto penu ſicceſcat & emoriatur. Maxime autem partes arboris craſſiores, ipſum inquam, truncum & ſtipitem hic humor peruadit, quem conſtat veteres animalium viſceribus comparaſſe, quod præcipua vis arboris in eo recondita deliteſcat. Arboris porro alendæ vis atque facultas in caudice ſita, alimenti varie elaborati atq; concocti puriſſimam portionem primigenio ſuo humido à ſemine ducto (quantitate quidem exiguo, ſed viribus maximo) ne id præpropere deficiat, licet non perfecte aſſimilans, eius molem continenter auget, dum vigorem attigerit: impuriorem vero ad externas ignobiliores partes alendas amandat: excrementitiam denique amaram, acrem & prorſus alendæ arbori ineptam partem, vel in cortice relinquit, vel in eam poſtea regerit, circum quē eam ſicceſcere iudicabit quiſquis ætate continenter non ſolum craſſeſcere, ſed etiam denſas cruſtas cōtrahere animaduertet: qua ex cauſa acrior longe & amarior guaiaci cortex deprehenditur. Primigenium autem & ingenitum guaiaci humidum oleagineam aut reſinoſam potius ſubſtantiam refert, eamque nigricantem & inflammationi cōcipiendæ aptiſſimam, cuius portio maior in caudicis parte nigricante (medullam dicunt) haud ſecus quam ſanguis in animalium venis

nis reconditur, in eaque elaborationem, & ſummam perfectionem nanciſcitur. Quæ res efficit, vt neque ea ligni pars facile inareſcat, neque facile refrigeretur: quin humoris eius præpinguis beneficio vritur ac facile inflammatur, & ex ea accenſa, non autem è parte externa buxea reſina nigricans deſtillat. Quod etiam animaduertentes artis chemicæ periti guaiaci oleum multis expetitum è parte ligni nigra facile & copioſum proliciunt: vix vnquam aut paucum ex albida & buxea. Quibus intelligere eſt guaiaci fruſta omnino, aut magna ex parte ſubflaua ac buxea, vel ab immatura arbore deciſa eſſe, vel certe maioris eſſe ramos, & idcirco ad luis venereæ curationem nigricantibus multa reſina perfuſis merito poſtponi. Quippe præcipuam guaiaci vim & facultatem luis venereæ malignitati aduerſam, in calore inſito, cuius pinguis illa ſubſtantia pabulum eſt, inſidere inter omnes medicos longa experientia claros conuenit. Quod & ſenſus commonſtrant, quibus quo nigrius guaiacum & pinguius, hoc & odoratius & maiori acrimonia præditum deprehenditur, decoctumque efficere, vt craſſius, ſic certe efficacius: Quo vero albidius videtur, & à maturitate longius abeſſe, hoc minus odorum & minus acre percipitur, decoctumque clarum & ptiſſanæ vulgaris inſtar fere limpidũ efficit. Immaturam porro voco arborem, quæ copioſo illo humido alimentario perfuſa, nõdum eo ætatis proceſſit, vt oleagineæ ſubſtantiæ multum collegerit. Iam vero quum à primo ſtatim ſui ortus die ad conſtans vſq; tempus (quo omnia viuentia in eodem ſtatu aliquandiu manere ſeruarique aſſeuerant) maiorem in dies ac maiorẽ præ-

pinguis illius ſubſtantiæ, quam præcipuam guaiaci partem diximus, copiam ſibi reponat, ſenſimque idcirco in dies magis ac magis nigreſcat pars eius interior, eouſque eius quoque vires magis magiſque accreſcere putantur. At vbi ætate conſtante elapſa ſenectutem iam attigit, vt ſenſim humor illi inſitus abſumitur: ita certe vires guaiaci paulatim atteri frangique neceſſe eſt, dum eo prorſus exhauſto ſicceſcens virib. deſtitutum cariem tandem contrahat. Quocirca certæ quædam notæ, quibus guaiaci ætates internoſcuntur, adiungendæ, vt ad malignam illam veneream luem depellendam efficaciſſimũ eligi poſſit. Quod igitur internam partem nigram exhibet guaiacum, ſi ſciſſuris veluti lineis quibuſdam colore fuſco in orbem vt nigrum actis per longum interſectum eſt, efficax quidem illud cenſendum, ſed quod tamen vel ex arborum ramis deciſum eſt, vel certe ætatem maturam nondum attigit. Idcirco enim comparent lineæ huiuſmodi, quod præpinguis illa ſubſtantia, quam in medio arboris caudice recondi cumularique diximus, nondum ita redundet, vt internas omnes ligni partes impleat. At quod in totum parte interna nigricat ſuperficie duntaxat albicante, id ſiquidem integrum, firmum, ponderoſum & odoratum exiſtit, leuique acrimonia linguam vellicat atque compungit, vel nullis lineis interſectum eſt, vel iis reſina plenis: ideoque dum accenditur præter odorem, quem ſpirat iucundum, reſinam etiam reddit ſubnigram, id, ſummam maturitatem extremumq; bonitatis ac perfectionis gradum aſſequutum eſſe putato, atque ex arboris ſtipite deciſum. Sin vero lineis diſtin-

ctum

Digitized by Google

ctum & foraminulentum quum ſit, attamen neç pondere, nec odore, nec acrimonia valet, nec inflammatum reſinam de ſe profundit, id ſenectutem attigiſſe certum eſt, ac proinde eius vires in dies magis magiſque hebeſcere.

GVAIACI VIRES.
Cap. XII.

QVvm medicamentum vnumquodque calidum aut frigidum, humidum aut ſiccum ad corpus humanum dicatur, quod ipſum per ſe ac ſemper calfaciat, refrigeret, humectet aut ſiccet: guaiacum temperamento calidum & ſiccum eſſe putandum eſt. Etenim ſi quis ipſius ramentum aut puluerem diutius mandat, caliditatem quandam percipiet acrimoniæ participem: quin & externa vlcera eius decocto ſi abluantur, diu poſtea calor & acrimonia quædam in iis ſentietur. Huic opinioni ſubſcribunt odor & ſapor. Nam, vt auctor eſt Galenus (etſi ex odoribus medicamentorum temperiem ac vires non poſſe certo coniici exiſtimo) odorata omnia calida eſſe, certum eſt. Fit enim, vt ſcripſit Ariſtoteles, odor à vaporatione ſeu exhalatione quapiam, quorum vtrunque calorem arguit. Sed quoniam quæ in guaiaco percipitur acrimonia, moderata eſt, mediocrem & mitem caliditatem declarat, quæ ſecundi ordinis finem non tranſcendat. Eſt enim ſecundo ordine calidum, frigidum, humidum, ſiccumue medicamentum, quod manifeſte ſuam qualitatem imprimit: primo vero quod obſcure. Neque (vt quibuſdam placet) ſiccitas in eo ita obſcura eſt, vt in primo ordine ſubſiſtat, quin potius ſecundi finem aſſequi ex mani-

Digitized by Google

feſtis morborum humidorum curationibus opinor. Quanquam vero guaiacum calidum & ſiccum deprehenditur: eſt tamen humoris cuiuſdam particeps, maxime parte intima nigra præpingui & reſinacea, quo viſcerum, & partium ſolidarum humidum primigenium conſeruat, fouet & alit, præterquam dum ſudores promouentur. Quod ſi cuipiam mirum videatur, veteres conſulat artis proceres, qui medicamentum vnum & ſimplex ſæpe pluribus, iiſque interdum plane contrariis pollere facultatibus prodiderunt, vt excalfaciendi & refrigerandi, aut exiccandi & humectandi, aut tenuium partium & craſſarum. Et certe niſi primæ illæ & efficaciſſimæ qualitates ita in vno medicamento confunderentur, haud ſane quæ ex illis oriuntur ſecundæ ita implicatæ forent. Iam vero materia guaiaco eiuſq; cortici ineſt valde tenuium partium, cuius vi quam ſua temperie præſtantiora edit opera. Hinc enim craſſa attenuat, lentaque incidit, & deterget, obſtructa aperit, & liberat, ſudores & vrinas ciet, ventriculum præhumidum, nauſeabundum, & reſolutum ſua ſiccitate adſtrictionis participe exiccat & corroborat, vt & alia omnia viſcera. Oris fœtorem tollit, diuturnas & inueteratas iecoris & lienis à frigido potu aut ab aliis crudis potulentis & eſculentis obſtructiones, icterum, hydropem, aliaque vitia ex iis orta profligat. Omnium corporis partium ſuperfluos humores frigidos diſſipat atque abſumit: capitis deſtillationes omnes exhaurit, ex iiſque natos dolores tollit: Anginam notham, podagram, chiragram, iſchiadem, omnemque arthritim mire iuuat: Aſthmaticos, paralyticos, ſtupidos, & quouis modo reſolutos

lutos in integrum reſtituit: frigidis neruorum affectibus omnibus ſubuenit, tumores frigidos & duros ad ſuppurationem perducit, vlcera cacoethea & chironia ſiſtit, exiccat & cicatrice obducit. Luis puſtulas, tubercula vlceraque omnia, & omnes ex iis natos dolores, aliaue ſymptomata nulla corporis noxa, nullaque virium iactura, ſi quis oportune vtatur, paulatim cohibet & tollit, vt non abs re lignum hoc guaiacum ob admirabiles in hoc percurando morbo dotes, ſanctum à multis nuncupetur. Vt autem cortex ligno aliquanto acrior & amarior guſtu deprehenditur, ita ſane maiorem quam lignum vim ſiccandi, tenuandi, & ſudores promouendi obtinet, præſtantiorque & efficacior in hoc profligando morbo merito cenſeretur, niſi & iecori calida ſiccaque intemperie laboranti & febricitanti officeret. Adde luem veneream non tam tenuantibus & ſiccantibus, quam occulta proprietate agentibus profligari, quæ nequaquam in cortice, ſed in oleaginea guaiaci ſubſtantia inhæreſcit.

GVAIACI PRÆPARATIO.
CAP. XIII.

LIGNVM cortice ſpoliatum in ſcobem leuiſſimam & puluerem tenuem redigere oportet, quo & penitius permeet, & eius vis in decoctum transfundatur facilius. Nonnulli ad tornum vſque ad minutias comminuunt, quæ res inefficacius quidem, ſed limpidius & aſpectu iucundius reddit decoctum. Huius igitur pulueris dodrantem aquæ fontanæ aut fluuialis libr. vj. diem integrum macerare conuenit in fictili olla noua, plumbo intus il-

Digitized by Google

lita, & diligenter prius elota, dein percoquere, idque ad prunas dum ad libras duas decreſcat, magna cura & obſeruatione, ne nimio calore ebulliens & exæſtuans regurgitet, & in fumum diſſipetur. Nam quod exundauerit potiori facultate exhauſta, multum de vi & efficacia ſua deperdit, ob idque ad flammam coqui non ſuſtinet, & prunam quoque modicam petit, ac ollam quæ non repleatur, ſed cuius quarta pars vacet, ne ſuperfluat, vel diffundatur, quæque perpetuo ſit operculo tecta, vt quam minimum virium expiret. Sunt qui ad dimidias partes tantum percoquant, ſed illud certe decoctum in frigidis & humidis naturis magis probo, quod ad ignem diutius fuit, & è multo ligno paucum euaſit, ita vt ſuadeam in pituitoſa cacochymia, ſi natiuus calor nimium elanguit, ad quartam etiam partem decoquere, præterquam quum hepatis ſqualor, aut eius ineſt ſuſpicio. Sic decoctum guaiacum perfrigere ſinendum, dum ſcobs reſideat, dein percolare & in vitreum calicem transfundere oportet, qui orificio diligenter obducto, frigido loco ad vſum ſeponitur, & cremor guaiacinus appellatur. Color huic decocto ineſt qualis aquæ ex limo aliquantum conturbatæ, ſapor guſtanti ex amaro ſubacidus, primum quidem delibanti inſuauis & ingratus, ſed paulatim aſſueſcenti iucundus. Vulgata & pharmacopœis vſitata præſcribendi ratio hæc fere eſt.

℞ Pulueris guaiaci nigerrimi quartaria tria, horis xxiiij. aquæ puriſſimæ tepentis libris ſex macerato, dein igne remiſſo percoquito dum tertiam ex toto reliquam feceris, vbi inalſerit tranſcolato, & vaſe terſiore exceptum aſſeruato.

Simpli-

Simpliciſſimum exiſtit hoc guaiaci decoctum in ſimplici affectu, vbi neque corporis impuritas, neq; partium ſolidarum inſignis quædam intemperies aliorſum medentis animum abduxerit, vſurpandum. Fere tamen ægrotis decocto paſſis, & glycyrrhiza dulcorato gratificamur adblandimurque, & perniciei morbi cardiacis obſiſtimus in hunc modum. Adde ſemihora priuſquam coctio ſit abſoluta, paſſarum mundatarum, glycyrrhizæ, ſeminis cardui benedicti contuſi, ſingulorum ℥ ß. ſeminis citrii, fœniculi, acetoſæ radic. tunicis, & pentaphill. raſuræ cornu cerui, ſingulorum ʒ j. Eſt & alia præparandi decocti guaiacini ratio, in qua nihil prorſus virium ipſius deperit, vel diuaporat.

℞ Pul. guaiaci interioris nigerrimi dodrantem, vuarum paſſarum, glycyrrhizæ, ſeminis cardui benedicti, ſingulorum ℥ ß. raſuræ cornu cerui ʒ j. macera horis viginti libris tribus aquæ fontanæ tepentis in olla noua diligenter luto chymico obſignata, dein in deplomate feruefacito horis minimum decem. Hæ quidem in decoquendo guaiaco obſeruationes non immerito teneri ſolent. Reddunt enim ipſius cremorem vi tota ligni in liquorem transfuſa quam efficaciſſimum: citra quas tamen ſi minus religioſe paretur, non idcirco tota eius facultas exolui & diſſipari poteſt. Quippe quæ in eo tanta ſit, vt parte profuſa atque perdita, non mediocrem tamen ad ſiccandum & digerendum retineat efficientiam.

Quibus in genis floridus color elucet, his ſic comparatum decoctum ſua ſiccitate non parum incommodare ſolet. Sunt enim feruido & tenui

ſanguine, qui per inedias, & potionem meracam breui exardeſcit & exuritur tenellaque iecoris & pulmonum ſubſtantia, quæ facile reſiccatur & inareſcit. Sed iſta mala adiectis meraciori decocto tribus quatuorue vnciis radicis cichorii facile declinantur. Qui vero pituitoſum aut melancholicum habitum præ ſe ferunt, non modo deſcriptæ potionis vim diu ſuſtinĕt citra vllam viſcerum noxam, ſed etiam meraciorem atque calidiorem deſiderant. Siquidem melancholicæ naturæ tardius remediorum omnium vim perſentiſcunt: pituitoſæ vero remedia poſtulant, quæ vna ope luem veneream extirpent, ſimulque frigidam & humidam intemperiem emendent. Sic igitur in eiuſmodi naturis præſcribendum.

℞ Raſuræ medullæ guaiaci ℔. ß. corticis eiuſdem leuigati ℥ ij.ß. macerantor horis viginti aquæ tepentis libris vj. percoquantor dum libræ quatuor abſumptæ ſint. Adde ſub finem coctionis paſſarum purgatarum, glycyrrhizæ, vtriuſque ℥ ß. baccarum iuniperi ℥ j. ſeminis cardui benedicti ʒ vj. raſuræ cornu cerui ʒ ij. rad. tunicis & tormentill. ſeminis fœniculi, ſingulorum ʒ j. foliorum ſaluiæ minoris, ſummitatum betonicæ, florum roriſmarini, ſingulorum p. j. Quod quum refrixerit, colator & ad vſum ſeponitor. Eſt quidem in baccis iuniperi magna quædam vis aduerſus luis perniciem, ſed ob inſuauitatem pleriſque ſic paratum decoctum reſpuitur. Nonnullis ex relicta ſcobe cum libris decem aquæ quandam quaſi loram & ſecundariam potionem comparant ad libras octo admiſtis vuis paſſis & glycyrrhiza: hoc tenue percolatum in epulis potui dant, quum medicinæ

loco

loco mane & ante cœnam cremor ſorbeatur.

Ego vero puluerem crudum è medulla guaiacina ſelibræ pondere cum glycyrrhiza & paſſis in aquæ tepidæ libris decem, horis quindecim maceratum ad prunas coquo, dum ad ſex octove libras redeat, & hoc mihi potius vtendum cenſui. Nam præterquam quod ſuauius eſt, alit etiam plenius, & morbum validius oppugnat ac depellit, licetque ea potione & in ipſis epulis, & quauis hora ſitim explere.

℞ Raſuræ guaiaci ℔. ß. macerato horis quindecim aquæ tepentis libris decem ad prunas dein coquitor, dum duæ treſve portiones expirarint, adde ſub coctionis finem paſſarum mundatarum & glycyrrhizæ tuſæ, vtriuſque ℥ j. ß. ſi modo eum dulcorem æger non auerſetur. Colato & aſſeruato ad vſum.

Grauiſſima hîc quæſtio æquales noſtros exercet, aliis ſolius guaiaci vſu (dum ſibi non ſatisfaciunt extollendo) luem poſſe percurari cõtendentibus: eiuſque vim rerum aliarum miſtura conſeneſcere & intermori. Aliis aliarum rerum permiſtione eius exſuſcitari facultatem profitentibus, & qua parte manca atque inops vis eſt in guaiaco, nonnullis ſuccedaneis & operarum ſociis ſuppleri confirmantibus. Ego vero dum ita indefinite alii extollunt, alii deſpiciunt, ab vtriſque aſſenſionem lubenter cohibeo: nec enim tanti eſt guaiacum, vt veneni venerei radices & omnẽ perniciem breui prorſus extirpet: nec ita imbecillum, vt nihil ſine aliorum ope & connixu proficiat. Eius quidem vnius vſu abſumptis humoribus omnia luis ſymptomata tandem ſopiri atque prorſus deliteſcere

certum eſt: ſed tamen venenata mali labes, quæ iam partibus ſolidis inſederit, in pleriſque eo præſidio expugnari prorſuſque extingui haud poteſt. Quo fit, vt hydrotico decocto ſemper aliquod aut præmittam, aut permiſceam alexipharmacum, quo in omnibus perfecta ſuccedat curatio. Itaque ſi ſola lues profliganda ſuſcipitur, ſolius guaiaci decoctum ad ſudores proliciendos, omniaq; eius ſymptomata cohibenda ſatis eſſe profiteor, ſed cui ad extinguendam latentis veneni perniciem, atque ad morbi reuerſionem præcauendam, & ſuſpicionem omnem metumque demendum, deſcriptum alexipharmacum adiungi neceſſe eſt. Poſſunt etiam haud incommode ſicut ante commonefeci ad ægroti gratiam vuæ paſſæ & glycyrrhiza guaiaco incoqui, quæ ipſius decoctum ſuauius & iucundius reddant, ſed in miſtione modum teneri valde neceſſum eſt. Exoluit enim medicamentorum ſimplicium ingens copia, quæ guaiaco combulliit, eius decoctionis facultatem adeo, vt optatis vix vnquam reſpondeat. Ineſt enim medicamentis ipſis inter ſeſe quædam nonnunquam conſenſio, nonnunquam diſſenſio, quam niſi medicus longo vſu habuerit comprobatam, ſæpe quæ ignorat miſcendo, ea quæ nouerat, obſcurabit & extinguet. At vero ſi lues corpus præhenderit quod aſthmate, arthritide, iecoris, lienis obſtructione, ſcirrho aut inſigni aliqua intemperie laboret, quorum vno tempore ratio habenda ſit, decocto deſcripto ea accedent, quæ & affectibus implicitis & particulis affectis erunt idonea. Exempli cauſa, ſi aſthmati lues venerea ſuperuenerit diris ſymptomatis diſcrucians, vterque quidem affectus diuturnus & contu-

contumax : ſed hæc quoniam multo quam illud crudelius ſæuit, primam medici cogitationem ad ſe transfert, cum ea tamen aſthmatis ſollicitudine, vt guaiacino cremori ea incoquat, quæ ipſius ſcaturiginem fontemque deſiccent, cerebroque opitulentur, nimirum flores roriſmarini & ſtœchados, folia ſaluiæ & betonicæ: & quæ pulmones multa lenta craſſaque pituita infartos expediant. Quo in negotio probantur helenii (ſed hæc decoctum valde amarum reddit) & ſerpentariæ maioris radix, vtraque ſicca, glycyrrhiza, polypodium, hyſſopus, ſcabioſa, tuſſilago, mel: nonnunquam & liquor cyrenaicus & ſtyrax calamita, ſi nulla ſubeſt ſqualidioris hepatis & feruidioris ſanguinis formido.

℞ Raſuræ guaiaci nigerrimi ℔. ß. corticis eiuſdem triti ℥ ij. macerentur horis viginti quatuor libris ſex aquæ puriſſimæ & egelidæ, dein coctionis finem ne prius facito, quam libræ quatuor deceſſerint: media in coctione adde radicis inulæ campanæ ſiccæ, & in orbiculos ſectæ, polypodii querni, glycyrrhizæ, ſingul. ℥ ß. gran. iuniperi, ſeminis cardui benedicti contuſi, vtriuſque ʒ iij. in fine coctionis rurſus immitte foliorum ſiccorum ſaluiæ, ſummitatum betonicæ, bechii ſcabioſæ, capilven. florum ſtœchados & anthos, ſingulorum p. j. mellis albi optimi ℥ iiij. Conducet ſub curationis finem, præſertim ſi valde craſſus, lentus, frigiduſque toto in corpore humor abundauerit, & bronchia pulmonum occupauerit, ſtyracis calamitæ, & ſucci laſeris didrachma. Huius decocti vſu luem & aſthma, grauiſſimos hercle morbos tam valenter profligari ſæpe notauimus, vt vno prope tempore

vtriuſque contigerit ſanatio. Et quod de aſthmaticis, exempli cauſa hîc notatum eſt, ad omne morborum implicitorum genus pari ratione trahi debet. Sic enim iecore male affecto hepatica, liene laborante ſplenica, & affecto capite cephalica vtiliter guaiaco incoquuntur. Et vt in pauca conferam, in affectibus lui venereæ complicatis, ea guaiaci decocto vel incoquere, vel admiſcere licet medicamenta, quæ cum aduerſus implicitum affectum vires habere, tum partes primario obſeſſas ab excrementis & intemperie vindicare & roborare putantur. Eſt enim guaiaci decoctum, optimum aliorum omnium, quæ illi vel præmittuntur vel permiſcentur vehiculum, ad ſolidas quaſque partes etiamnum illa deducens. Quum igitur ſimpliciſſimum guaiaci decoctum, & in ſimplici lue vſurpandum, huius capitis initio, deſcripſerim, non erit difficile, vt occurret morborum cum lue complicatio atq; connexio, ita remediorum naturas iuſtis & idoneis portionibus ad ægri ſalutem confundere & permiſcere.

DE CHINÆ VIRIBVS ET PRÆparatione. CAP. XIV.

RADICEM quandam exoticam ante annos aliquot Luſitani mercatores è vaſtiſſimo Chinarum regno huc ad nos aduehere cœperunt, cui chinæ idcirco nomen eſt impoſitum, lampatam tamen Chinenſes indigenæ vocant. Trium aut quatuor palmorum altitudine aſſurgere traditur, cauliculis tenuibus qui raris foliis cinguntur, mali Aſſyrii minoris ſimilitudine, ſuoque amplexu hederæ modo proximas arbores ſcandunt. Radicem autem

autem habere palmi longitudine, interdum craſſam, interdum tenuem, quæ recens eruta adeo tenella ſit, vt cruda aut elixa mandi poſſit. Chinenſes enim hac adhuc tenera cum carne elixa veſci, velluti apud Belgas napis & rapis cum carnibus elixis veſcitur vulgus. Quum ergo in Chinarum regione ſæuiret lues venerea, multoſque ea correptos hydrargyri litus perdidiſſet, Deum opt. maximum illius regionis incolis vſum iſtius radicis aperuiſſe tradunt: quemadmodum in America, vbi venerea lues ab omni hominum memoria endemia eſt, monſtrauit guaiaci vſum, quo humanæ huic miſeriæ opem ferret. Hanc partim in maris litoribus legi, partim in paludibus & montibus atque etiam mediis in ſyluis (vbi paſſim enaſcitur) effodi mercatorum nautarumque teſtimoniis comperimus. Quæ in paluſtribus litoribus, aut quorundam magnorum fluminum in mare illabentium ripis creſcit, plerunque vndarum impetu proximos margines alluentium è ſolo eruitur, & in vaſtum pelagus aquarum vortiginoſo lapſu rapitur, tandemque exonerante ſe mari, à partibus æſtuoſis, in tranquillas, id eſt, ab aquarum vortigine in litora reiicitur. Radix eſt tuberoſa, inæqualis, in varia fruſta quum ad nos peruenit, diſrupta. Quæ in maris litoribus legitur, rubeſcit magis, quemadmodum cocta quam cruda: quæ è ſolo eruitur & illota ad nos trãſportatur, minus. Quæ paluſtrium & vliginoſorum locorum eſt indigena, craſſior, fungoſa magis & leuior exiſtit: quæ apricorum & montium vt magis tuberoſa, geniculata, compactaque, durior & ponderoſior, ita ſuam integritatem tuetur diutius. Sapor recenti qualis ſit, nos an-

te hac latuit, exiccatæ & huc tralatæ plane nullus vt neque ſapor, neque odor. Antefertur tuberoſa, quæ pondere grauior colore albicanti, nec teredinibus, nec carie tentata, nec inter reſecandum puluerulenta. Hæc enim vt rubore decoctum plenius tingit, ita & efficientia præcellit. Vix vnquam ad nos è Chinarum ditione viribus integris aduehitur, non tam locorum interuallo, quo diſtinguimur, quam cœli plaga atque tractu torrido, quo mercatoribus & nautis non modo nauigationibus remigrandum, ſed ſæpe aut commeatus reparandi, aut aquationis gratia, aut aduerſa tempeſtate commorandum. Ideoque tolerandus eſt immenſus feruor eius ſpatii, quod inter duos tropicos iacet, vbi neceſſe eſt, quicquid in ea humoris reſtiterit, ſummo ardore atque æſtu retorreri & exuccum reddi. Hæc quanquam inſipida & plane inodora, carioſa, & emarcida à nobis tractatur, aliqua tamen partium tenuitate etiamnum prædita, ſudorib. eliciendis manifeſtiſſimo experimento cōducit, ſed multo quam guaiacum imbecillius: Cuius vſurpandæ vulgata hæc fere ratio eſt. Chinæ vnciæ duæ cum ſemiſſe in orbiculos acutiore cultro reſectæ in olla fictili & terſa aquæ tepidæ & puriſſimæ libris quatuor, horis xij. macerantur, poſtridie igni remiſſo ad mediæ partis reſolutionem decoquuntur, perfrigeratum & colatum id totum condo, datur, vt ſit vſui. Huius decocti color ad vini fului, aqua copioſa diluti ſpeciem accedit quam proxime. Reliquos orbiculos plerique denuo ſiccant, vt ex iis potum alimentarium concinnent. Ego vero quum prima coctione totam facultatem emarcidæ iſtius radicis in iuſculum transfuſam &

exo-

Digitized by Google

exolutam præ tenuitate deprehenderem, vncias tres orbiculorum crudorum horis duodecim aquę puriſſimæ libris octo maceraui & percoxi, dum aquæ libræ duæ diſcuſſæ ſint. Hæc decocta ſi quis paſſis & glycyrrhiza cōdiat, ſapori ſane aliquid adiecerit, vtilitati nihil ademerit. Non aliæ ſunt vtendi leges, non alia victus ratio obſeruanda in chinæ vſu, quam quæ in curatione per guaiacum ſequēti capite exponetur, præterquam quod paulo pleniorem victum requirit quam guaiacum: vt idcirco quæ ſit his de rebus fuſior oratio & prolixior & ſuperuacua videri poſſit. Cum primum ad nos per Luſitanos delata eſt exotica hæc radix, licet carioſa & emarcida, tanto omnium ſtudio atque applauſu excepta eſt, vt guaiaci & auctoritatem & gratiam eleuarit atque ademerit, & à proceribus & magnatibus ad diuturnorum affectuum curationem quaſi certatim ſit expetita. Hæc autem (ſi quid iudico) à mercatoribus rei & lucro inhiantibus primum cōficta eſt, dein hominum ſcriptitantium ſubornatis teſtimoniis & per Europam diſiectis libellis cōfirmata opinio. Chinam quanquam inſipidam, ob partium tamen tenuitatem tenuandi, reſerandi & digerendi facultate ligno guaiacino plurimum præſtare, vrinas & ſudores mirę promouere, omnis generis excrementa abſumere, viſcerum ſordes omnes extergere, eorum obſtructionibus inueteratis mederi, ſanguinem vel impuriſſimum à putredine vindicare, capitis deſtillationes omnes & externarum partium natos ab iis dolores compeſcere, conuulſos contractoſque artus laxare, laxatos & remollitos ſiccando roborare. Ea res Carolum Quintum, Imperatorem

arthritide laborantem ad chinæ vſum pepulit. Sed & præter egregias dotes illas, literis eſt proditum vna hac china luem veneream ſiue recens ſit, ſiue iam diu occupauerit, percurari, & omnia ſymptomata multo præclarius & perfectius quam guaiaci ope poſſe conſopiri. Quod commentum hoc argumento veriſimilius eſſe duxerunt, quod quum china temperata ſit, omni ſexui, ætati, corporis habitui atque etiam febricitanti tuto dari poſſit; quas opes in guaiaco nemo vnquam audeat profiteri, quum palam ſit hoc lignum ſiccis & bilioſis naturis omniq; morbo à ſqualida iecoris affectione non leuiter aduerſari. Hæc igitur confidenter de exotica radice inſtitores primi confirmarunt, quæ tamen quam longe à veritate abſint, magno ſuo incommodo ſunt experti, quotquot fere huius vtendæ tenuit deſiderium: niſi forte ex tanta turba vnus aliquis, qui neque hydrargyri litu, neque guaiaci potione ante ſit leuatus, chinæ decoctis ad ſanitatem dicat ſe reuertiſſe, cui ego poſſim reponere naturam remediorum varietate gaudere, ideoque nonnullos qui diu guaiaco vſi fuerant, aut ſæpius per hydrargyrum inuncti, à chinæ alteriuſve parum efficacis præſidii decocto aliquando fuiſſe alleuatos, atque idcirco in recidiuæ luis leuiuſculæ percuratione chinę decocta non eſſe forte aſpernanda. Verum id ne leuamen naturæ morbum ex aliis remediis imminutum conficientis, & tenuis victus beneficio, an chinæ viribus magis obtigerit, haud facile coniectari poteſt. Quum enim exteram illam radicem emarcidam, & puluerulentam, inſipidam & inodoram, experiundi cauſa, in vſum guaiaco ſuccedaneam, arte ac methodo re-

do retuliſſem, præterquam quod illam vſu diuturno in magna etiã victus parſimonia aduerſus luem inefficacem comperi, ſæpe etiam eius decocto ita humeſcere ventriculus viſus eſt, & calor natiuus opprimi, vt lienteria grauis ingenſq; cruditas non raro iis ſit ſubſequuta, quibus imbecillus inſiti caloris fomes inerat. Sed præter has incommoditates & vitia, quæ commemoro, non raro lienis tumores atque duritiem diutius vtentibus inducit. Vnde quam imbecilliter calfaciat, ſiccet, extenuet, digerat ſudores & vrinas ducat, manifeſtum eſt. Nec vero tota ſubſtantia, aut occulta proprietate aduerſus luem præcellentes vires habet, quum in morbum recidiuum, qui ſibi bene eſſe eius vſu crediderunt, quotidie collabantur. Itaque commentitias illas & falſas impoſtorum nugas antehac nimio emptas deſerentes nunquam ſatis laudatum lignum ſanctum abunde ſucculentum, & inde aduectum, vnde primo morbus exortus eſt, in frigido hoc terrarum tractu amplexemur, cuius exploratiſſimæ facultates neminem hactenus, qui eius decocto diu & recte vſus fuerit, fefellerunt. Sed ita eſt hominum ingenium, vt peregrina quæque & rara, licet plerunque inefficacia & putida, magno in pretio habeant & admirentur: vulgaria vero & quæ paruo conſtant, flocci pendant. Quis neſcit infinita remedia omnium manibus contrectari, & pedibus conculcata ſordeſcere multo potiora? quæ tamen ſi quis in vſum accire deſideret, tanquam popularem & imperitum ſe ad ludificandum exhibeat? Ita noſtra contemnimus, externa probamus omnia.

Garcia ab Horto proregis Indiæ medicus literis

Digitized by Google

prodidit, recentem hanc radicem inſigniter adeò calfacere, vt ſi quis eius decocto paulo meraciore vtatur, aut calidum hauriat, ob nimium medicamenti calorem, in maximos hepatis ardores, in eryſipelata, in phlegmonas atque in alia grauiſſima ſymptomata incidat, quæ pericula hîc nemini metuenda ſunt, quum non niſi carioſa & longa vectura emarcida ad nos perueniat.

Mirabiles recentis huius radicis vires eſſe ſcripſit, ſi quis methodice vtatur: vtpote cuius decoctum interdum intra vigeſimum diem luem veneream percuret: ita tamen vt ad decimum quintum vſque diem dolores augeantur, deinde paulatim leniantur ac miteſcant. Ille tamen fatetur nonnullos ſe vidiſſe, qui, licet aliquoties hoc decoctum hauſiſſent, attamen poſtrema tantum dietà curati ſunt: alios item qui nullo modo curati ſunt, vt nemini mirum eſſe debeat, ſi carioſa & puluerulenta radix huc allata inefficax pene, & inutilis deprehendatur. Ille hanc efficaciorem putat in inueteratis morbis, quam in recentibus: ego autem interdum illis profuiſſe comperi, qui guaiacino decocto nondum plane reſtituti fuiſſent. Cuius tamen rei cauſam ad naturæ vim referri poſſe exiſtimo: quæ poſt longam per guaiacum & hydrargyrum curationem, paulo pleniore victus ratione recreata, interdum contumacium morborum reliquias per ſe profligat atque percurat, multo magis cum etiam leuiuſculo aliquo præſidio iuuatur. Eſt & alterum chinæ genus, quæ nuper è terra Florida afferri cœpit, qua, ſi quis vtendum contendat, non magnopere recuſem. Hæc enim (vt aliquid etiam aduerſus conſuetudinem decernam) quoniam recens

cens eſt &amarore quodam guſtanti ingrata, multo efficacior eſt, quam cariola illa ante per Hiſpanos aduecta, & hactenus à Gallis tanti habita. Huius, vt & Hiſpanicæ propinandæ locus eſt, in tenellis & macilentis corporibus, ſudore facile diffluentibus, in leui recentique morbo, aut poſt longam per guaiacum curationem, quæ corpore nimium reſiccato morbum radicitus non extirparit. Quæ quoniam quamplurimis ægrotis ſaluti fuiſſe mihi ſæpe comperta eſt, vnde ad nos aduecta ſit, & qua proprietate prædita, ſilentio præteriri non debet.

Ante annos aliquot noua quædam terræ plaga Americæ contigua per Nortmanos luſtrata eſt, quæ ob cœli clementiam & loci fertilitatem atq; amœnitatem, Floridæ nomen retinuit. Illi non aliter ad auſtrum, quam Paleſtinæ ad ſeptentrionem ab æquatore receſſus, non altera cœli & ſoli temperies contigit: ideo multis herbis, fruticibus & plantis ea terræ plaga decoratur & luxuriat, quibus noſtra, quæ multo plus à ſole abceſſit, Europa deſtituta eſt. Iam enim nos & opobalſamo & xylobalſamo, & aliis medicamentis præſtantiſſimis illinc aduectis fruimur. Illinc & radix quædam chinæ finitima afferri cœpta eſt: quæ primum in maris litoribus à nautis reperta, dein vero in ſyluis & montibus & paluſtribus locis inuenta eſt. Stipes huic qui rubi aut vitis aculeis cinctus, humi proſtratus & repens ingredienti moleſtiſſimus. Color quum effoditur, ſecanti primum albus apparet, ſed mox in fuſcum abit, ſeruatque dum ſenſim ſicceſcens, ſenſim quoque candorem recuperet. Huius duæ ſunt ſpecies, alia enim magis tube-

roſa, quæ in locis ſaltuoſis & nemoribus naſcitur: Alia vero minus vulgaris acoro, aut appellatæ nobis galangæ ſimilior. Neutra enodis, ſed acori vulgaris inſtar geniculata, ſapore aſtringenti & ſubamaro quandiu recens eſt. Nam reſiccata & inueterata (quo magis china cenſeri poſſit) apios fere exiſtit. Recentis decoctum vini nondum plane defecati, veteris & ſiccæ, dilutioris & limpidioris colorem repræſentat. Vtraque iecoris obſtructiones ſoluit, recens tamen efficacius, ſed quæ ſudoribus excitandis, quam ſicca eſt ignauior. Nec me fugit aliter eius ſpecies à nautis eſſe primum diſtributas.

Affirmant enim radicem vni eſſe exiguam, ſtipitem procerum, & ſemina baccas lauri referentia: Alteri ſtipitem ſine ſeminibus, radicem craſſam & longe per terram ſparſam, modo magis, modo minus tuberoſam, qualis acorus noſtras cernitur. Hanc radicem cum guaiaco in vſum potionis adhibês, aduerſus luem efficaciſſimum decoctum eſſe deprehendi, eiuſque etiam vnius decocto, quum alexipharmacum aceeſſiſſet, complures ſanitati reſtitui: Nam & ſudores ciet, & venenatam morbi qualitatem foras propellit, & viſcerum obſtructiones ſoluit, illorum etiam impuritatem in aluum interdum protrudens. Valeat igitur illa Luſitanorum & Hiſpanorum falſis nominibus & titulis gratioſa china, quum noſtrorum commerciis multo præſtantiore potiamur.

DE

DE SARCAPARRILLA. Cap. XV.

ADvehvnt & radicem aliam ex India Luſitani & Hiſpani mercatores, nõ minus quam china inſipidam & inodoram, ebuloſorum aut ſmilacis aſperæ radicibus exiccatis non multum diſſimilem: hanc alii ſpartam parillam, alii ſalſamparrillam, & qui Hiſpanice ſciunt, ſarçamparrillam nominarunt. Et ſparta quidem appellata eſt Veſalio, quaſi parua morus, ſed manifeſto errore, quum nec ſpecie, nec viribus cum parua moro vllam habeat affinitatem. Salſaparrilla vero ab imperitis linguæ Hiſpanicæ, quæ ſarçamparrillam illam appellandam hortatur ob ſimilitudinem, quam cum ſmilace aſpera, planta ſpinoſa, & hederæ folia ferente, habere videtur. Ob ſpinas quidem ſarçam (dumus enim Hiſpanis ſarça eſt) & ob folia & racemos parillam: inde proprio idiomate ſpinoſam vitem vocant. Naſcitur paſſim in prouincia Peru, quam Honduras dicunt, idque in ſæpibus, vt lupus ſalictarius & ſmilax aſpera, & vitis alba, quibuſcum affinitatem, & ſimilitudinem quandam habet.

Radix lata illi, quæ ſæpe pōdus ſeſquilibræ pendit, interdum multo plus. Hæc de ſe multas fibras perinde atq; elleborus promit, & per terram longe adeo lateque diſperſas, vt ſæpe ſex cubitorum longitudinem ſuperent, & complicatæ in faſciculum aſſurgunt trium quatuorve librarum pondere. Præfertur recentior, lenta, alba & craſſa. Ab orbe nouo aſportatur, ex loco qui Honduras dicitur, Rubra, emarcida, ſqualida & pulnerulenta,

quum frangitur, pene inutilis eſt. Ruffa decoctum reddit ſubrubrum, paulo quam chinæ obſcurius & conturbatius: Alba vero multo limpidius. In fruſta reſecta, & chinæ exemplo aquæ incocta, ad promouendos ſudores guaiaci ope vicaria propinatur profectu ſane quam china meliore. Tubercula namque vlcera & dolores, reliquaque luis ſymptomata profuſis ſudoribus paulatim reſtinguit & imminuit, dum tandem (quod aut quadrageſimo, aut quinquageſimo poſt ſuſceptam curationem die contingit) penitus aboleat. Vis eius eximia in inueterata lue, quæ guaiacino decocto, aut hydrargyro minime ceſſerit, atque in omni eius reuerſione ac recurſu. Nullus enim dolor tam contumax, neque tam diuturnus occurrit, quem non tandem aliquando conſopiat atque eximat, ſi quis eius decocto diu ac conſtanter vtatur. Neque dubium eſt, quin nodoſos omnes luis tumores, qui oſſei non ſint, quacunque parte conſiſtant, extirpet, liquefacta, & ſudoribus profuſa, aut intus conſumpta, & in ſenſili perſpiratione vacuata eorum materia. Eadem de vlceribus ſententia ferenda. Sed & fluxionum omnium frigidarum ſcaturiginem ſiccat & exhaurit, natoſque hinc dolores compeſcit. Nulla tamen qualitate noxia eſt, niſi forte præ nimia eius copia craſſius decoctum, meraciuſque concinnetur ad modum decocti corticis vlmi, quem hominum etiam plagium & impoſtura pro guaiaco auſa eſt venditare, & ad luis venereæ curationem eius decoctum propinare.

Quanquam enim luis venereæ aliorumque frigidorum morborum materiam incidit, attenuat, & in ſudores digerit, eaque ratione ſiccare & calfacere

facere videtur: nullus tamen in eius temperie caloris exceſſus tangenti aut guſtanti occurrit, qui vel iecori ſicciori, vel ſqualido corporis habitui noxius eſſe poſſit, ſi vuis paſſis eius decoctum condiatur. Contra enim vſu compertum eſt, eius decoctum lentoris cuiuſdam eſſe particeps, quo viſcerum humidum primigenium fouere videtur, & præproperam illorum ſiccitatem præpedire. Quam dotem nulli præterea ex his, quæ ſudores mouent, conceſſam video. Quumque ad hominem relata vel temperata ſit, vel ſecundi gradus initium non tranſcendat, non tam caloris vi, quam partium tenuitate tenuare, aperire, & ſudores ciere coniicienda eſt: quod nemini paradoxon videri debebit, quum hydrargyrus quem quarto ordine frigidum ſtatuunt, eadem efficacius præſtare tradatur. Quod ſi verum eſt, id maxima qua pollet materiæ tenuitate, non frigida & humida natiua ſua temperie efficit. In hunc autem modum ſarçeparrillæ decoctum concinnetur.

Vnciæ duæ cum ſemiſſe fruſtatim reſectæ macerantur horis duodecim in aquæ puriſſimæ libris quatuor, dein coquuntur igne remiſſo, dum pars media exhalarit, decoctum colo transfuſum vſui aſſeruatur. Vuis paſſis & glycyrrhiza condiri poteſt, velut & guaiacinum, & adiectis aliis ſimplicibus medicamentis ad alios affectus implicitos vna & eadem opera eximendos accommodari, ſi curationem moderanti medico viſum fuerit. Quoniam autem, quæ huiuſce decocti beneficio intercidiſſe videbantur luis venereæ ſymptomata curatione intermiſſa in pleriſque recrudeſcere comperiuntur, veneni reliquias in corpore demerſas

F

reſtare neceſſe eſt, quæ propriis antidotis huic adiectis profligandæ ſunt, ſi morbi perfecta quæratur curatio. Ideoque noſtra alexipharmaca, qua methodo poſtea tradetur, ſarçeparrillæ ſemper adiungimus, quæ venenatam perniciem intus deliteſcentem extinguant, ne ea aliquando denuo pullulet. Iam vero vſu comperi ſarçamparrillam contuſam, ſic decoctam vt nihil virium depereat, multo maioris eſſe profectus. Quatuor eius vncias aquæ libris ſeptem macerant, & in diplomate percoquunt vaſe ſic obſignato, vt nihil tranſpiret. Decocto percolato mane & ante cœnam ad ſudores eliciendos & in epulis vtuntur.

QVA ARTE AC METHODO *guaiaci aut ſarçeparrillæ decoctum deſcriptum, ac luis alexipharmacum adhiberi debeant.* Cap. XVI.

Lvis venereæ curatio hyeme in cubiculo, aeri minime obnoxio, nedum ventis perflato ſuſcipienda eſt: vbi focus perpetuo colluceat, aut (vt in Germania fit) in æſtuario tepido, cuius oſtio aulæa intus foriſque obducta in ingrediendo & egrediendo neceſſitatem intromittendi flatus & aeris prohibeant. Satius enim eſt corporis ſpiracula laxa & patentia reſeruari, quo virus quauis corporis parte facilius tranſpiret. Æſtate tam diligens cautio & ſuperuacua eſt, & plerunque intolerabilis. Primo ſtatim curationis die aluus leui cathartico ducenda eſt, vt quod in primis corporis ſedibus heſerit excrementum, expellatur: alioquin attenuante decocto concitatum, inchoatam curationem neceſſario abrumpet & interpellabit. Poſtridie purga-

purgationis tundenda vena alterutrius cubiti interna (axillarem vocant) maxime ſi ſucculentum & bene habitum ſit corpus, aut venarum plenitudine laboret. Vacuationis vero modus ex plenitudinis, virium ratione & cæterarum rerum, quæ à Galeno peculiari traditæ ſunt libro, captandus eſt. A venæ ſectione ante decocti ſudorem prolicientis vſum ſemel iteratoque, ſi opus ſit, repetenda fuerit purgatio, tantoque ſæpius, quanto prima corporis regio erit impurior: nec tamen continuatis diebus, ſed vel alternis tantum, vel bidui mora interpoſita. Sic enim ad puritatem corpus citra virium iacturam reducetur. Sin corpus quod medicationis opem implorat, minimum habuerit impuritatis, vna alterave purgatio præparationi ſatisfaciet. Nam toto morbi decurſu aluus libera fluxaque retinenda eſt: quæ ſi ſponte excrementa quotidie non deponet, alternis diebus vel enemate, vel caſſia, vel catapotiis ex aloe, vel alio blandiore præſidio ante cibum exhibito, ſollicitanda eſt: etiamſi ante contractam luem, aut inceptam medicationẽ corpus excrementis vacauerit. Quod ſi excrementis ſcatebat, & viſcerum obſtructionibus tenebatur, præter ſuperiorem purgandi modum, ſemel ſaltem quaque hebdomada validior inſtituetur purgatio, indictis eo die decocto hydrotico & æſtuario feriis.

Debet autem, vt medicamenti quantitas pro virium robore, ita & ſpecies & qualitas habita humoris exuperantis ratione à perito exercitatoque medico præſcribi. Quibus omnibus abſolutis quaſi fauſtiſſimis auſpiciis, negotio eſt incumbendum. Prius illud & valẽtius decoctum (cremorem non-

Digitized by Google

nulli vocant) bis die propinetur tepidum, pondere ſelibræ, vel vt fert ægrotantis natura plenius aut parcius, mane quidem ad quintam circiterve horam, veſperi quarta aut quinta. Hauſto decocto in lecto quietum horis aliquot ſtragulis obuolutum & contectum eſſe conducit, dum caloris natiui robur medicamentum in artus parteſque diſperſerit atque diſtribuerit, eiuſque vi ſudores promouerit, quibuſcum venenum exudet atque tranſpiret. At quum permulti, qui laxa & patenti ſunt cute, ſeroſiſque humoribus referti, à potionis hauſtu ſtatim madore & ſudoribus diffluant: alii vero, quorum denſior firmiorque eſt corporis habitus, humores craſſi, lenti & frigidi non niſi exactis vel duabus vel pluribus horis, nemo poſſit certis carceribus ſudoris excipiendi tempus præfinire. Conſtat tamen eos, quibus quamprimum ſudores ab exhauſta potione dimanant, maturius eſſe reſiccandos linteiſque tepidis abſtergendos, ne vis deficiat: alios multo tardius. Sudandum ergo cuique fuerit, quamdiu per facilem tolerationem licuerit. Nam ſi vis exolui, aut labaſcere ſentietur, etiamſi paulum ſudoris promanarit, ceſſandum eſt. At ſi forte hauſto guaiaco ſudor non facile elicitur, vtres aqua calente aut decocto attenuante pleni, vel lapides candentes, vel titiones vino extincti pedum plantis & genubus ſunt admouendi, vt applicito tepore fuſus liquatuſque humor in corporis extima citius ſubduci, & per cutim meare poſſit. Qua etiam ratione, ſi nihil negotium promouetur, ſacculi è milio, ſale, ſemine aniſi, fœniculi apte calentes capiti inducendi ſunt, caputque totum linteo calenti obuoluendum, ne qua infera-

tur

tur ab externo aere iniuria. Hæc tam ſedula ac diligens cautio hyeme, præſertimque in regione frigida perneceſſaria eſt: in iis maxime, quos capitis dolor conficit, ac diuexat: neque enim, qui in capite firmatus infartuſque humor conſedit, ſine topicorum ſuppetiis, facile ſolius decocti vi digeritur. Sudore igitur quantum vires perferre poſſunt profuſo, linteis tepidis extergendum exiccandumque corpus eſt, & leni frictione quod partibus extimis adhæſit, diſſipandum. Caput omnium maxime reſiccari & frictione exerceri poſtulat. Fere autem accidit, vt vitioſi humores ante cœptam curationem in corpore deliteſcentes ſexto, aut octauo, aut aliquo poſt huius curationis die incidentis attenuantiſque decocti vſu concitati, non modo ante curationem natos dolores exaſperent, ſed etiam multo grauiores inferant, aliaque inſuper inuſitata & varia ſymptomata pro partis in quam decumbunt, conſtitutione, producant. Nam quum (verbi gratia) accidit in os ventriculi humorum deriuatio, & nauſeam & inappetentiam, & interdum ſyncopas cardiacas: In pulmones vero tuſſes, initio quidem ſiccas & inanes, quum aquoſus & tenuis humor, ſed tandem vbi incraſſatus & concretus eſt, humidas: In thoracis partes externas, dolores nouos & atrociſſimos, & ſpirandi difficultates pleuritim ementientes: In dorſi & lumborum vertebras, aut in iſchium diros cruciatus, & dira dolorum exempla edunt, quibus ita animus & vis ægrotantium frangitur ac proſternitur, vt peiore loco quam antea, res eſſe videatur. Quæ res non modo ſpem laborantis de recuperanda valetudine diminuit: ſed etiam medicos nondum vſu confir-

matos de cœpta curandi ratione plerunque dubitantes & ancipites deturbat, & ad aliam nouamque meditationem tranſuerſos rapit. At ea certe guaiaci eſt proprietas atque natura, vt quos initio impetus fuſis liquefactiſque humoribus concitarit, hos tandem iiſdem abſumptis cohibeat & cōpeſcat, ſi quis eius cremore diu ac conſtanter vtatur. Sed tamen vbi apparet tanta humorum concitatio, intermiſſo ſudatorio decocto, appoſitiſſimus erit vſus phlegmagogi, aliuſve cathartici ægri naturæ conuenientis.

Ad diem huius curationis decimum aut duodecimum corpore exquiſite repurgato, reſeratis viſcerum obſtructionibus, patefactis omnium partium occultis & cæcis meatibus, deſcriptum alexipharmacum guaiacinæ potioni hoc pacto eſt adiiciendum. Quotidie mane & veſperi ante cœnam guaiaci cremorem hauſturus amuleti ʒ j. deglutiat, ac continuo ipſum cremorem exorbeat, & in lecto appoſitiſſime ſe ſudoribus incitandis componat, vel vaporarium ingrediatur. Quorum præſidiorum vſus eſſe continuus debet dies quindecim, aut ſi morbi cōtumacia requirit, diutius, dum veneni radix penitus euulſa ſit, & plane confecta pernicies. Id enim alias breuiore, alias longiore temporis interuallo, pro laborantis habitu, & morbi contumacia atque diuturnitate conſequimur. Cum primum à vaporario in lectum æger ſe receperit, calente adhuc corpore patentibuſque adhuc cæcis meatibus deſcriptæ aquæ cardiacæ ℥ iiij. exhauriet: vt gemino connixu opiatæ & cardiacæ, tanquam duplici machina venenum propulſetur. At ſi quis præ mollitie opiatæ tædia & amarorem detre-

detrectet, huic eius loco, ante guaiaci cremorem deſcripti pulueris cardiaci cochlear vnum vorandum eſt, & in vaporarii egreſſione deſcriptæ cardiacæ doſis exorbenda.

Qui perfectiſſime periculo defungi cupit, hyeme aut cœlo frigidiore, & aquilonio, conclaui, in quo pernoctatur, non egrediatur: non ante remediorum vſum aut remittat aut intermittat, quam morbo profligato ad certam, & non vacillantem valetudinem redierit. Tutior ſane in vtendis hiſce remediis eſt, quæ fit paulo vltra progreſſio, quam quæ infra ſubſiſtit: vt idcirco ſuadeam ſedatis doloribus aliiſque ſymptomatis omnibus, ſuperiorum remediorum efficientia ſublatis, ne quid ex altis radicibus & Medicum latentibus denuo propagetur & ſcaturiat, cremorem guaiacinum decem duodecimve dies poſt omiſſam opiatam continuandum: vel eius loco ſarçeparrillæ decoctum, & aquæ cardiacæ aduerſus luem veneream alioſque venenatos morbos valentiſſimæ tres, quatuorve vncias ad ſummum deterſo ſudore exhauriendas. His abſolutis ad priſtinam viuendi normam æger redeat, & aeri cœloque ſe committat: ſed hyeme quidem conſideratius, nec primum in aeris aperti & ventorum tempeſtate, ſed pedetentim in ædificii cœnaculis, mox in vicinia obambulet, dum aeris iniuriis occalleat. Nihil enim hic repente fieri aut mutari debet: omnibus paulatim aſſueſcendum. Nonnulli vicenum, alii tricenum dierum latibula ſatis eſſe ad percurationem putāt, morbiq; reliquias naturæ inſtinctu poſt penetralis egreſſum, & remediorum intermiſſionem celerrime poſſe conſaneſcere, modo ſe confeſtim

ægrotus ad vinum non conuertat, ſed dies vt minimum quindecim, ſecundario dilutiſſimo indulgeat. Æſtate vero vel cœlo clementiore domi obſeratos ægrotantes habere duco ſuperuacaneum, ſed expreſſis ſudoribus matutinis ac deterſis pranſos vel voluptati ſe tradere, vel negotiis concedo, ſi & viribus valent, & veſpertinis æſtuariis ſe abſtinent, decocto ſine ſudorum profuſione contenti, quibus nihilominus cum iſta gratia, perfecta ſuccedit præ medicamentorum efficacia, curatio. Sed quia quam leuiſſimum luis fermentum, ſi in corpore relinquitur, recurſiones morborum ſuſcitat, quamdiu vel vlcera, vel tubercula, vel maculæ, vel dolores ſupererunt, tamdiu profecto fideli medico ſuſpecta debet eſſe ſperata valetudo. Quamobrem ſi quis integram exiſtimationem tueri, & nominis famam præclaris curationibus propagare contendit, remedia non ante intermittat, quam omnem luis ſobolem funditus ſuſtulerit, tantique ac tam immanis tyranni veſtigia deleuerit. Sed quia quæ melancholico ſucco redundant corpora, & ad recurſus morborum ſunt proniora, & ad medicationem ineptiora minuſq; idonea, eis longiore tempore ad adipiſcendam valetudinem opus eſt, vt neque de dierum numero, neque de ligni & opiatæ pondere quicquam certi poſſit præfiniri. Recens inquinati ſæpe triginta aut quadraginta ad ſummum diebus perfecte reſtituuntur: præſertim vero ſanguine puro præditi, & quorum genæ lucido rubore florent. Expendunt ligni ſeptem octove libras, antidoti vncias quatuor. At melancholici, & quicunque morbi diuturnitate extenuati, aut tuberculis & doloribus nodoſis obſeſſi,

Digitized by Google

ſeſſi, vix ante ſeptuageſimum aut ſexageſimum diem conualeſcunt, ligni que libras viginti aut eo plus, & opiatæ ſelibram inſumunt. Multo plus negotii & difficultatis exhibent, qui ante hanc curationem hydrargyro ab alyptis noſtris ſæpius peruncti ſunt, tum quod hydrargyrus à noſtrorum remediorum perceptione naturam ægrotantium ſummo ſuo frigore alienarit, tum quod huius veneni vomitem atq; cauſam altius impegerit. Subuerentur nonnulli, quum prægracilis aliquis & ſiccus, aut morbi diuturnitate exanguis & ſqualidus medentis opem implorat, ne aut in medio vacuationum & ſudationum progreſſu conſternatur, aut hecticæ febri exponatur, aut atrophia peſſundetur. At certe multorum fide & experientia comprobatum eſt, cremore guaiaci longa per hydrargyrum curatione reſiccatos humeſcere, & macros pingueſcere, eaque eſſe natura vt vtentem quam maxime refocillet, ideoq; ſine periculo quantumuis infirmis atque collapſis, & ab hydrargyro debilitatis exhiberi, quum ſanitatem non ſubitario impetu, ſed lento proceſſu promoueat, & eius maleficium corpori impreſſum deleat. In aliis qui calido & ſqualido ſunt corporis habitu, guaiaci calor & ſiccitas ita aliorum adiectione temperentur, ne calidis, aut ſiccis viſceribus obeſſe poſſint, aut in vicem guaiacini, ſarcepartillæ decoctum vſurpetur. In iis vero, qui morbi diuturnitate, aut imperfecta curatione ſupra modum contabuerunt, parce ſudores cieantur, donec vires cremore guaiacino, aut ſarceparrillæ decoctis & euchymis alimentis paulum recreatæ, largius ſudandi & vacuandi facultatem facient. Ita quidem Fernelius olim ſu-

dorem in lecto ſollicitandum & eliciendum curabat: cuius exemplo quamplurimos quoque reſtitui. Verum quum longius curationis iſtius tempus perſpicerem, & qua non niſi recens contaminatis breuiori ſpatio fideliter proſpiceretur, cœpi potiorem viam inueſtigare, atque omnium tandem certiſſima ac breuiſſima viſa eſt, quæ in laconicis & vaporariis conſiſtit. Quippe attenuantium herbarum ex aqua & vino feruentium vapor, è caldario per tubulos in æſtuarium tranſmiſſus, non externas duntaxat corporis partes attingens & irrorans, ſed etiam penitius & cutis ſpiraculis hiantibus, & ore & naribus ſeſe inſinuans, non modo humores quouis corporis loco latentes partim vi ſua, partim caloris natiui quem ſuſcitat impetu, colliquat & meatuum reſeratione maximam ſudoris vbertatem profundit, ſed etiam guaiaci cremorem atque vna cum eo amuletum in omnes corporis partes venenata qualitate perfuſas, celerius diſtribuit. Itaque ſi quis celerrime ac tutiſſime ſaneſcere cupit, vorata antidoto hauſtaque potionis ſelibra, non in lecto, ſed in vaporario quotidie mane ſudoribus ſeſe exponat, ibique quamdiu vires tolerabunt, permaneat. Tolerant autem quoque diluculo hora prope dimidia, pro vaporarii calore & affecti corporis virtute: vt etiam à quibuſdam bis vno die ſudoris moleſtia, mane & ante cœnam facillime poſſit ſuſtineri: debet autem æſtuarii calor tepore eſſe paulo intenſior, ne feruido partes inteſtinæ excandeant, & vires confeſtim reſolutæ aut nullo, aut minimo ſudore profuſo laborantem ad egrediendum compellant. Ita igitur ignis lebeti ſubditus à clinicis diſpenſetur, vt vaporarium ingre-

gredienti benignus calor occurrat, diutius commoranti certo tenore, ſed paulatim increſcat, dum deſudandi finis fiat. Non tamen omnibus naturis vnus calor idemque conueniet: ſiquidem frigidæ naturæ ſero aut ne vix quidem vel feruido calore hyeme præſertim, aut aquilonia tempeſtate concaleſcunt: calidæ vero vel blando tepore, idque maxime æſtate & auſtrino cœlo ſudoribus diſſoluuntur. Hoc in omnibus perpetuum eſt, vt priuſquam virium exolutio, vel exolutionis ſuſpicio cõtingat, ex laconico ad cubile, ex labore ad quietem traducantur, nec ante reſurgant quam vim caloris eos dimiſiſſe, & venas concidiſſe deprehenſum ſit, & apotherapiæ, quæ in reſiccando & extergendo ſita eſt, ſatisfactum.

DESCRIPTIO ÆSTVARII. Cap. XVII.

Asseres querni ſeptem pedes alti, opere fabrili expoliti & artificioſe complanati, impagibus firmiſſimis cohærentes, mutuis proceſſibus & ſinubus quaſi ginglymis ſeſe excipiunt ea conformatione, vt moles æſtuarii quadrata ſeptem pedes alta, quatuor vero lõga & lata exurgat. Nam altitudo hominem erectum ſine moleſtia & corporis inflexione debet capere. In anteriore vaporarii parte ad ægros & inducendos, & educendos oſtiolum conſtituatur, quod feneſtram habeat, quæ, ſi opus fuerit, occluſo oſtiolo aperietur, vt æger frigidiorem auram ducat, induſium & ſudaria à clinicis accipiat, aut vehementiorem calorem aeris externi appulſu moderetur. Laquear ne rimis dehiſcat, neve aerem admittat, lateribus fide-

liſſime adhæreat. Solum geminum eſſe debet, externum quidem cum reliquis hypocauſti partibus arctiſſime committatur: internum, quod ab externo iuſto palmo aut dodrante diſcedit, crebris foraminibus ad vaporis aditum tranſpiret. Redditur enim ex caldario per ſalientes & tubos ignis vi ſublata expiratio in æſtuarii infimum ſpatium interlacunare, vnde ſe ſummittens ſuperiorem partem & quaſi cœnaculum implet, corpus ægroti circunfundens, qui ſedi circa æſtuarii poſticum inſideat, ac eo corporis ſitu ſe contineat, qui ad tuendas vires eſt idoneus minimeque defatigat, vt eſt crurum moderata diuaricatio, & in ſede quæ ſit indolens pedum ſublatio, omniumque partium, vt Hippocrati videtur, media quædam inter extremitates flexionis & protenſionis compoſitio. Incumbet autem tripodi focario vas aheneum tutiſſimo operculo tectum, quod parte fiſtulari tubi alterum extremum ſubeat, altera labrum caldarii comprehendat. Tubus vero altero extremo laconico inſeratur, in id comparato inter vtrunque ſolum foramine. Liquor & exhalationis materia, quæ ex cephalicis & attenuantibus conſtat, medium ſaltem aheneum impleat, quod quinquaginta librarum aquæ capax, plus minus, eſſe debet.

Hæc igitur lex in præſcribendo vaporarii decocto obſeruetur, vt primo die aquæ fontanæ libris triginta vini albi ſex immiſceantur cum iuſtis deſcripti cuiuſque ſimplicis medicamenti partibus. ℞ ſaluiæ, betonicæ, ſtœchados, ſampſuchi, origani, foliorum lauri, roriſmarini, mentæ, florum chamæmeli, meliloti, anethi, hyperici, ſingulorum M. iiij. ſeminum aniſi, fœniculi, radicum cyperi,

peri, calami aromatici, iridis florentinæ ſingulorum ℥ iiij. miſce omnia fruſtulatim conciſa. Quotidie ea aquæ copia, quæ videbitur, cum vini libris tribus & deſcriptarum ſtirpium florum atque ſeminum manipulo adiici debet, ne exhauſta materia, & caldarium igni exuratur, & vapor deficiat.

QVÆ VICTVS RATIO SERuanda ſit. Cap. XVIII.

HAc in luis curatione cibus (vt aliquid etiam de dieta perſtringam) bis quoq; die exhibendus: nimirum exactis à ſumpta guaiaci potione quatuor horis, id eſt, ad nonam matutinam, & ſeptimam pomeridianam, ſatis quidem tenuis, boni ſucci, & facilis coctionis. Nam inanem ventriculum guaiacum imprimis deſiderat. Itaque qui ad ſanitatem maturant, cibum ſumant, non qui vires augeat, ſed ſuſtentet, non erigat, ſed refocillet, ac deficere non ſinat: & quo quiſque pleniore & humidiore erit corpore, eo tenuiorem ſicciorem que rationem victus ſine infirmitatis metu inſtituat. Tanta enim ad confirmandum in guaiacina medulla vis eſt, vt hactenus neminem, quantumuis exacta vteretur parſimonia, præcipitem dederit, ſed ſuſtinuerit, & ad propoſitum curationis ſcopum perduxerit. Quod in ſua xyphillide non ineleganti poemate cecinit Fracaſtorius.

Quid mirandum æque memorẽ ſuper omnia victum,
Quam tenuem quam magna cibi ieiunia poſcant?
Quippe ſolet ſatis eſſe ipſum dum corpus alatur,
Dum ſuperet vita, & tantum ne membra fatiſcant:
Ne tamen, ah, ne tanta time, ſacer illicet hauſtus

Ille modo ambroſiæ vires reficitque fouetque,
Inq; occulta gerit ieiunis pabula membris.

Quoniam vero è mutata conſuetudine, ſi repente fit, quamplurima conſequi ſolent incommoda, paulatim cibum deduco. Initiis quidem media cibi portione detracta ſenſim progredior, dum conſueti cibi tertia parte æger contentus ſe nutriat, qui vt quantitate exiguus, ita qualitate atque ſucci bonitate præſtantiſſimus, eſt deligendus. Itaque piſcium, caſei, lacticiniorum, aliorumque omnium crudorum, & vix coctilium ciborum vſu, laboranti interdico. Carnes quidem, ſed aſſas quam elixas potius concedo, quæ tamen, tanquam ex lege ſumptuaria, pulli vel gallinacei, vel columbini quantitatem non tranſcendant: præſertim in iis quos adhuc vegetos & valentes venerea lues recens occupauit.

Nam languidos & morbi diuturnitate effœtos operæpretium fuerit, vt curationi pares ſint, paulo liberalius enutriiſſe. Ergo diuitibus caro vitulina interdum conueniet, interdum capreoli fruſtulum, interdum perdix iunior, interdum pullus gallinaceus aut columbinus: nonnunquam carnes aliæ ad coquendum faciles. Sit autem in paſtu vnius generis & naturæ alimentum, ne ex varietate & epularum diſſidio exoriatur in ventre conturbatio. Egenis vero oua ſorbilia, vitulinæ aut veruecinæ carnis fruſtulum aliuſve laudabilis ſucci cibus, & paratu facilis. Omnibus vitanda ſunt iuſcula & ſorbitiones. Adhæc ſalſa, ſaccharo, pipere, aliove aromate condita: & quæcunque vel difficilis concoctionis, vel praui ſucci eſſe auctorum teſtimoniis comprobantur. Nec clam me eſt quampluri-

mos

mos carnes omnes laborantibus negare, ſolum biſcoctum panem põdere vnciarum duarum cum prunis, vuis paſſis corinthiaceis aut damaſcenis cõcedentes. Quod vt in inueterato morbo & altius defixo interdum tolerari poteſt: ita in recenti minime neceſſarium videtur. Sed illi in ſiccantium medicamentorum adminiculis ſpem omnem curationis collocarunt: nos guaiaci decocto, & alexipharmaco luis malignitatem facile extingui & euelli poſſe obſeruauimus, citra eam, quam tanti faciunt, corporis reſiccationem maciemque. Itaque carnem concedimus, ſed ea moderatione qua vires ſuſtententur, non opprimantur. Primis etiam menſis aliquot pruna cocta, quo aluus ſit liberior, indulgemus. Secundis vero vuas paſſas, aut panis nautici, aut intermediæ panis cruſtulæ, quæ ad ignem exaruit, nonnihil. Quinetiam capparum fructus, qui ſalis vim depoſuerint, & ſi ſitis vrgeat, mala arancia aut citria condonamus. Sit igitur in ſumma tenuis ſiccanſque vitæ ratio laborantis naturæ accommodata. Nam quo tenuior vitæ lex inſtituitur, hoc mihi breuior ac ſecurior ſemper viſa eſt curatio. Cauendum tamen eſt, ne quid nimis. Nam viribus magna cibandi parſimonia exolutis, proſtratiſque, neque morbus ferri, neque medicamentum ſuſcitari, neque venenum cum ſudoribus abigi poteſt. Sed & in ἀνάληψι, id eſt, in ea Medicinæ parte, quæ in naturalem habitum reſtituit eos, qui à morbo conualeſcunt, multus ineſt languor & valde difficilis, ac ſera ad negotiorum tractationem reuerſio, cõtra quam fit quum ea quam deſcripſi adhibetur cibi moderatio. Potus eſto cũ in paſtu, tum extra ſuprapoſitum guaiaci deco-

ctum dilutius, quo quantolibet perfruatur. Vinum delibare toto curationis tempore, qui ſunt valetudinis auidiores, haud debebunt. Nonnulli cœna abſtinendum præſcribunt, horiſque duntaxat meridianis reficiunt. Ego bis die ſudoribus tuto corpus diu exerceri haud poſſe exiſtimem, niſi exactis ſudoribus ſingulis animi viriumque iacturam leuior cibus reſarciat. Alii non ante cœnam, ſed trib. horis ab ea ſudores hauſto guaiacino cremore proliciunt, crudum & inconfectum cibum in totum corporis habitum diſiicientes. Porro id tempus quod inter vtrunque paſtum interiacet, iucundis hiſtoriarum recitationibus, gratiſſimiſque familiarium colloquiis & facetiis cantorum, & citharœdorum modulis, aliiſque animi oblectationibus tranſigendum eſt: omnia vero negotia, omnes grauiores cogitationes circumcidendæ, cauendum ab omni ſolicitudine & iracundia, quæ bilioſam materiam accendunt, denique à venere, tanquam à nefario tyranno fugiendum.

INFANTIVM LVE VENEREA affectorum curatio. Cap. XIX.

Præscriptis remediis, quæ natu grandes & adultos à lue venerea poſſunt vindicare, ad tenellos infantes, & puerulos transferenda eſt oratio. Multos enim nec deſcriptum guaiaci decoctum ebibere, nec alexipharmacum deguſtare, nec ſudorem tuto poſſe perferre crediderim. Sed ſua nihilominus cuique ætati eſſe præſidia, haud obſcurum eſt: & aliquam mortalium partem morbis diripiendam ſine medicinæ adiumentis relinqui & iacere, turpe & ignominioſum eſſet. Itaque lactan-

lactantem infantulum, quum primum à contaminata nutrice venereum venenum ſuctu prolectaſſe comperiemus, ſi ea erit ætate, qua cibos ſolidiores & alias à lacte potiones conficere poſſit, vt paulatim eis aſſueſcat, curabimus. Nam ſi illum alii nutrici nutriendum credamus, vſque dum adoleſcat, eam mali contagione quam breuiſſimo temporis interuallo contaminabit. Cibos inuſitatos ſi primum refugiet, lac caprinum, aut aſininum tepidum recenſque emulctum propinandum eſt, dum & iuſculum carnium ſorbere, & oua tremula alioſque cibos coctu faciles deglutire cõſueuerit. Quo quum ventum fuerit, antequam curationem mediteris, à mamma diſiungendus eſt. Fruſtra enim, quamdiu mali materia aliunde miniſtratur, in vllis præſidiis ſpes ſanationis collocatur. Primum igitur potus illi deſignetur, vel ſarceparrillæ, vel chinæ decoctum, qua mox ratione præſcripſero.

Macera horis xxiiij. medullæ guaiacinæ ℥ iiij. tepentis aquæ ℔. decem, dein lento igni percoque, dum libræ duæ abſumptæ ſint, adiice ſub finem paſſarum mundatarum ℥ ij. glycyrrhizæ ℥ ß. mellis optimi aut ſacchari ℥ iiij. decoctum colo tranſmiſſum loco frigidiore in vſum recondito, ne tepidiore protinus corrumpatur aut aceſcat. Eadem de cauſa æſtate quoque biduo, hyeme vero quoque triduo iterato.

Vituperant id quidem pleriq; & abiiciunt, quia, quum ſit calidum & ſiccum, puſionum naturam longo vſu demutat, & vitæ primordia, quæ in humido vernaculo conſiſtunt, præpropere abſumit: ſed experientia rerum magiſtra compertum eſt, puſillis per trimeſtre aut amplius ſine vlla viſcerũ

& facultatum læſione, & vitæ incommoditate exhiberi poſſe.

Qui tamen ab eo tantopere metuent, ſarçeparrillæ decoctum ſubſtituant, eius vnciis duabus pro guaiaci ℥ iiij. in aquæ ℔. viij. incoctis, dum duæ abſumptæ ſint. Hæc enim in calidis & ſiccis naturis commodius vſurpatur.

Pullum gallinaceum aut columbinum, aut carnem vitulinam, in huiuſce decocti libris duabus, & aquæ fontanæ libra vna, coquito, dum libra vna ſuperſit. Decoctum per pannum ſetaceum trãſmiſſum à lacte depulſo infanti pro alimento eſt, veluti & caro in eo elixata. Sed vtroque crepuſculo nonnihil amuleti, ſi vorare poterit, huic potioni præmittendum: quod ſi auerſetur, aquam cardiacam ſuccedaneam ſufficimus, exhibemuſque quater quotidie modo cochlearis vnius.

Horum remediorum tanta & tam conſtans debet eſſe continuatio & perſeuerantia, vt in menſes duos aut amplius propinentur: & ſi quid his intermiſſis repullulet, atque reuireſcat, repetantur, dum vitium omne exhauſtum atque extinctum ſit. Neque tamen in penetrali puer eſt continendus, niſi hyems vigeat, cuius frigore denſata, occluſaque cute venenum exitu prohibeatur.

Et horum quidem præſidiorum tantam efficientiam perſæpe notauimus, vt ſine ſudorum aſpectabili profuſione omnes externas maculas deleuerint, puſtulas reſoluerint, & vlcera deſiccarint: in aliis quidem maturius, in aliis ſerius, vt ſe morbi vis atque veneni diduxerat, & corporis natura occurrebat.

Si

Siquæ tamen vel in ano, vel in ore ſordidiora erunt vlcera, interim bis terve quotidie aqua ſublimati repurganda erunt, & exiccanda, dum ad cicatricem ſint perducta. Dum hæc elucubrarem, illuſtris familię infantulum hiſce præſidiis à lue percuratum: nec hunc modo, ſed & olim alios complures varii habitus, variarumque fortunarum dimiſi, qui nec decoctum guaiaci melle aut ſaccharo dulcoratum, nec deſcriptam antidotum detrectarunt: quotquot autem refugerunt, ſarçeparrillæ decoctis diu continuatis, & aqua cardiaca reſtituti ſunt.

Qui ſunt quadrimi aut natu maiores, vel in vaporario, vel in lecto ſumpto guaiacino, aut ſarçeparrillæ decocto ad leuiuſculos ſudores exciendos detenti, conualeſcunt facilius, & ſi id cum modo fiat, periculo non exponuntur. Qua arte ac methodo, quibuſque præſidiis ab vbere auulſus lue correptus venerea, curandus ſit, ſatis conſtat. Iam quid facto ſit opus, quum per ætatem ſolo nutricis lacte & pulte veſcitur, explicandum.

Primum quidem contaminatæ nutrici, quam citiſſime fieri poteſt, auferendus, & alteri integræ ac ſanæ committēdus, dum ætatem ſit aſſequutus, quæ propoſita remedia poſſit ſuſtinere. Nutrici vero ne ſtatim inquinati infantis contagione luem contrahat, prouidendum.

Alumnus cuius os nullis vlcuſculis ſcabrum eſt, quanquam reliquo corpore tum iis, tum puſtulis ſcatet, ſerius nutricem contaminat, qui contra, citius. Itàque oris vlcera quum inſunt, generoſo eoque innoxio præſidio ſæpe eluenda exiccandaque

ſunt. Quinetiam ante ſuctum nutricis papillæ aqua plantaginis, vt conniuentes earum pori, cæcique cutis ductus virus ægrius admittant, perfunde, & poſt ſuctum aqua tepida, ne quod venenum ex ſuctu & præmanſione ſupereſt, ſe intromittat, eluendæ.

Sed omnium efficaciſſima præcautio alexipharmaci vſu perficitur, cuius occulta & cæca vi perfuſum nutricis corpus aduerſus luem non modo adamantinum euadet, ſed & alumno ſimul cum lacte vim amuleti ad ipſius ſalutem & conſeruationem traducet.

℞ Amuleti luis ℥ j. mithridatii optimi ℥ ß. conſeruæ, bugloſſi, borrag. roſ. nympheæ, florum violarum & tapſi vnicaulis, ſingulorum ʒ ij. miſce: cape ʒ j. ß. in ſingulas doſ. dein ſuperbibat ℥ iiij. decocti ſarçeparrillæ.

Nutricis cibus eſto vitulina aut veruecina caro, aut gallina, aut pullus gallinaceus, aut columba iunior, aut alius eius generis ex decocto ſarçeparrillæ elixus, & frequens ex iis ſorbitio. Potus vero cum in paſtu, tum extra quum ſitis premet, dilutius guaiaci aut ſarçeparrillæ decoctum.

Infans interea minime negligendus. Plures enim mihi olim occurrerunt maculis, puſtuliſque venereis obſiti, quos vnius aquæ cardiacę frequens potio, in os ex cochleari iniecta incolumes ac vegetos prorſuſque ſanos effecit. Ea igitur frequenter ingeratur, puta tertia aut quarta quaque hora modo cochlearis vnius. Sed & in pultem puluis cardiacus indatur, & aquæ cardiacæ momentum.

His per duos treſve menſes continuatis, niſi in totum euanuerit morbus, quum iam bibere & edere

dere poterit puer, ſuprapoſita curatione tractandus, dum nihil veteris & peruicacis mali ſit reliquum. Deſcriptam porro in legitima luis curatione aquam cardiacam, non niſi cum maturo ſucco turgeſcunt herbæ, quibus conſtat (quod hic vix ante medium Iunium euenit) efficacem parari poſſe, medici omnes pronuntiarunt. Attamen, ſi aliquando eius erit penuria, extemporanea comparanda eſt, quæ ad illius vires accedat quam proxime, hunc in modum.

℞ Amuleti luis venereæ, mithridatii optimi, vtriuſque ℔. ß. theriaces veteris ℥ iiij. conſeruæ florum roſ. bugloſſ. geniſtæ, tapſi, roriſmar. cichorii & nympheæ, ſingul. ℥ iij. ſem. fœniculi, cardui, citrii, acetoſæ, rad. betonicæ, coronariæ, tormentill. dictamni, ſingulorum ℥ ß. aquarum cardui, bugloſſ. ſucciſ. ſcabioſæ, ſingulorum ℔. ß. ſucci plantag. acetoſæ, vtriuſque ℥ v. miſce, exponantur ſoli aut igni remiſſo diebus tribus, vt leuiter ferueant, dein fiat deſtillatio in diplomate. Aqua ſeruetur ad vſum: Vſus tempore ſic comparetur.

℞ Aquæ cardiacæ ℥ iiij. ſyrup. de limonibus, & ſyrupi violarum, vtriuſque ℥ ß. miſce, vtatur ex cochleari ſæpe vel poſt deterſum & exiccatum ſudorem.

Sin alterutrius parentis ſemen impurius infanti vitium communicauit, vix vlla perfectæ ſanationis ſpes ſuperſit. Nulla enim ars nullaq; induſtria congenita ſeminis & naturæ vitia prorſus eximet: leuantur tamen & in longum tempus vitam producunt ſupra poſita curatione.

Puellam, quæ à patris male curati ſemine virus

hauſit ante triceſimum ætatis annum, ſexies miſerabilem hydrargyroſim perpeſſam, vlceribus & tuberculis renaſcentibus, cum in capite, tum in reliquo corpore etiamnum cõſpurcatam video. Antequam igitur infantuli lue inquinati curatio ſuſcipiatur, nutricis an parentis vitio contigerit, quærendum: illi enim, quemadmodum expoſui, medicina etiamnum ſupereſt, huic vero quaſi manca & imperfecta, deeſt.

FINIS LIBRI PRIMI.

I. PAL-

I. PALMARII DE LVE VENEREA LIBER SECVNDVS.

LVIS ALIIS AFFECTIBVS implicitæ aut inueteratæ curatio. Cap. I.

CVRATIONEM luis venereæ ſimplicis, & non ita pridem contractæ, quam breuiſſime licuit, perſtrinximus. Nunc quum vel aliis morbis implicita eſt, vel iam diu inueterata, quænam tenenda ſit curãdi methodus, perſequendum. Morbis autem quibuſcum implicatur, vel omnino conſentit curandi genere, vel ab iis diſiungitur. Conſentit, quum & lui & connexis vna prouiſio atque curatio remedio eſt, aut neutri ſaltem incõmodat: diſſentit, quum quæ lui peculiaris eſt medela, reliquis officit, & impedimento eſt. Lui conſpirant & conſentiunt arthritis omnis, dolores externarum partium omnes à frigida capitis deſtillatione, intemperies iecoris, aut ventriculi, aut lienis humidior & frigidior, hincque nata obſtructio, atque etiam hydrops, epilepſia, ſtupor, paralyſis, pernicioſique alii complures affectus à frigida & humida cauſa morbum adhuc fouente contracti. Hos itaque & ſimul cum lue, & ſeorſum, quemque ſanare licet.

Digitized by Google

Sed quum implicitorũ cura diuiditur, ab eo quod magis vrget, magiſque fatigat, ſemper auſpicandum, altero quoad fieri licet, minime neglecto. Diſcrepant febres omnes, iecoris ſiccior & calidior intemperies, pſora, lepra, aliaque omnia ſiccæ ſcabiei genera, omnis ſanguinis ſiue ex vtero, ſiue ex ano, ſiue ex pulmone reiectatio, omnes denique affectus quos vel calida cauſa progenuit, vel genitos fouet ac conſeruat. Horum enim legitima curatio, poſt vacuationes neceſſarias, refrigerantibus & humectantibus interdum & aſtringentibus abſoluitur, quorum vſu, quoniam luis cauſa multo fit deterior, ipſa quoque lues multo difficiliorem ac magis anxiam curationem eſt habitura. Verumtamen quum horum aliquiſpiam acutus & præceps, qualis eſt pleuritis & cauſus, lui ſeſe implicuit, ea certum in tempus poſthabita, ad complicati affectus curationem properamus, illius memores quo iubemur, in omni complicatione affectuum, grauiſſimo atque vrgentiſſimo, vel præpoſtero ordine, quam celerrime ſubuenire: iis tamen remediis, quæ aliorum cauſam quamminimum irritent. Id autem grauiſſimum cenſetur, vel quod in vitæ diſcrimen celeriter adducit, vel de quo ægrotus maxime conqueritur. Sæpius interfui, vbi quum ab alyptis & empiricis in maximo reliquorum morborum lui implicitorum cruciatu, vnius luis ratio habita fuiſſet, mors eſt conſequuta: velut quum anginam venereo faucium vlceri implicitam, temerarius inunctor vel ſpernens, vel minime agnoſcens, fluxione ex frictionibus & litu hydrargyri concitata hominem iugulat: Aut aſthmaticum lue prehenſum adhibito ex argen-

argento viuo remedio, proritata in fauces & thoracem pituitoſa materia, derepente ſuffocat. Haud mitius cum aliis agitur, qui lue prehenſi, temerariis indoctorum alyptarum manibus ſeſe committunt, quoties vel febris implicita eſt continua, vel grauis morbus aliquis ſuperuenit, cuius poſtponitur curatio. Iam vero ſibi lui diſſentaneus affectus, & diuturnus & lentus implicatus ſit, cuius quamprimum curatio non poſſit abſolui, & à quo aliquandiu neglecto, minus quam à lue periculi impendeat, eo poſthabito ſolius luis curatio recte ſuſcipitur, dum nihil fiat, quod implicito affectui poſſit officere. At ſi æque graues & periculoſi exiſtũt, neutri curationis primas partes, ſed æquas vtrique impartimur, remediorum contrariorum confuſione atque temperatione, eadem opera vtrique ſuccurrentes.

Exempli cauſa, faciamus iuuenem annorum viginti quinque, lue contaminatum, corpore ſicco & arido, variis febribus bilioſis obnoxium, inappetentem, ſiticuloſum, cui & manuum volæ, & pedum tarſi impendio caleant, & os amarore perfuſum ſit, nunc ad ideam curationis proponi. Quem, ſi quis prædictis remediis confiſus, nulla cachexiæ & intemperiei viſcerum ratione habita, quamprimum ſudorificis extenuet & reſoluat, maximo vitæ diſcrimini atque periculo obiiciet. Itaque ſingulari ingenii ſolertia ſummaque methodo, vel potius æquitate opus eſt, quæ vno tempore & iuſtis (geometrarum non arithmeticorum more loquor) portionibus confuſis medelis, vtriſque affectibus ſubueniat, vt inflammationum incrementis digerendi & reprimendi conſiliis con-

iunctis paremus. Sit autem huiuſmodi: Primum victus inſtituatur, non vt in curatione ſuprapoſita, valde tenuis & exiccans, ſed qui moderate humectet & refrigeret. Itaque per initia guaiaci loco, aut ptiſana vulgaris, aut ſarçeparrillæ aquoſius decoctum propinetur: In eſculentis vero omne cibi euchymi & eupepti genus, cuius aſſatio (nam elixa ſunt potiora) condimento acido & refrigerante corrigatur. Exhibetur autem cibus non bis tantum, vt ante præſcripſi, ſed ter aut quater diebus ſingulis, verum vnumquemque paſtum moderatur parca manus. Deſcripta victus lege prima corporis regio blandioribus catharticis ἐπικρασικῶς expurganda, ſanguiſque ducendus eſt pro plenitudinis & virium ratione. Neque propriæ luis curatio prius ineunda, quam partim idoneo victu, partim crebra vacuatione, ſed blanda, viſcerum impuritas magna ex parte exhauſta ſit. Quo quum ventum erit, ptiſanæ ſuccedet potio guaiacina, qua ſe non ſolum quum cibus apponetur, ſed quoties ſitis vrgebit, quantum appetet, ſatiabit. Nullis enim in hoc morbo fallaciis ſitis eluditur, quum in pleniore potu liberalior inſit medicatio. Itaque ſemilibra ligni ſancti nigerrimi recens in minutias redacti, horis vigintiquatuor in aquæ tepentis puriſſimæ libris decem maceretur, dein igni remiſſo bulliat, dum ad octo libras decreuerit. Adiicientur ſub coctionis finem, vuarum paſſarum & glycyrrhizæ cuiuſque ſeſcuncia, & radicum cichorii tres quatuorve vnciæ: denique decoctum ad vſum colo traiectum reponetur. In deſcripta corporis conſtitutione ſarçeparrillæ decoctum tuto vſurpari poteſt, ſed guaiacinum deſcriptum multo maiore

iore profectu: quod ſi amarore faſtidium afferet, cichorio ſyluestri, endiuia, ſcariola & plantago ſubſtituantur. Ad ſudores quoque proliciendos meracius ſarçaparrillæ decoctum concelebrant. Sed magis probo cremorem guaiacinum, in hunc modum comparatum. Sæpe enim carioſa, & virib. deſtituta ad nos peruenit ſarçaparrilla.

℞ Radic. cichorii ſylueſtris ℥ iiij. paſſarum, glycyrrhizæ, vtriuſque ſemunciam. Coquito in aquæ puriſſimæ libris octo ad libras ſeptem. Adde ad finem plantaginis, endiuiæ, ſcariolæ, borraginis, bugloſſi, ſcabioſæ, morſus, pimpinellæ, ſingulorum M. j. In colati decocti libris ſex, rurſum ſexdecim horis guaiacinæ medullæ dodrantem, & polypodii querni vnciam vnam macera, dein igni remiſſo, dum duæ tantum libræ ſupererunt, coquito, adiecta hora vna ante coctionis finē foliorum electorum ſennæ ſeſcuncia. Coletur, vbi refrixerit. Sic paratum decoctum, vna eademque opera & luem percurat, promotis ſudoribus quibuſcum venenum expirat, & cacochymiæ fontem exhaurit, nulla viſceribus illata noxa. Ideoque extenuatos & macros, in pleniorem & pinguiorem habitum reducit, & omnia ſymptomata à calida & ſicca iecoris intemperie profecta emendat. In ſolitariæ & ſimplicis luis curatione præſcripſimus aluū perpetuo mollem ac facilem eſſe oportere: quod hîc tanto impenſius curandum eſt, quo ad illuuiem exhauriendam, cachexiam tollendam, & virus ſummouendum, bonumque corporis habitum reſtituendum, magis neceſſarias dotes habet alui liberior ſubductio. Non enim ſine graui periculo excrementa in meſenterio circa iecur aut

ſplenem colligi, indureſcere ac reſiccari ſinuntur. Sic enim laborantes hepatis aut lienis ſcirrhum contrahunt, vitamque reliquam calamitoſam & valetudinariam degunt. Itaque ſi decocti vſus cœperit eſſe odioſus, eo intermiſſo, ſiue adſtricta, ſiue fluxa aluus extiterit, quoque quatriduo aluus cienda ſyrupo purgatorio, vel caſſiæ atramento, vel alio blando cathartico, vt quod iampridem venas obſtruxit, vel de quotidianis cibi reliquiis congeſtum circum viſcera vitium contrahit, frequenti purgatione deducatur: ita tamen, vt quo die purgandi conſilium erit, ſudorum nulla tentetur prouocatio. Qui quarto aut ſexto quoque die ſennæ ſemunciam in decocti guaiacini vnciis ſex macerant, coquunt ac colant, apozema reddunt purgando, & ſudores promouendo aptiſſimum. Verum, quoniam nonnullos innoxie purgant ſenna & caſſia, alios diris torminibus & ventriculi morſu cruciant, peculiares ſingulorum proprietates & naturæ, medico ante delectum cathartici medicamenti ſunt explorandæ. Sed præſtat quo minus medicationis ægrotum tædeat, ſyrupum deſcribere, quo bis quaque hebdomade ei vtendum fuerit, qui decoctum purgatorium reſpuet.

℞ Rad. cichorii ℥ iij. rad. acetoſæ, graminis oxylapathi paſſul. polypodii, ſingulorum ℥ ß. radicis dictamni, tormentillæ, cuiuſque ʒ j. ß. endiuiæ, ſcariolæ, lupuli, borraginis, bugloſſi, fumiterræ, betonicæ, eupatorii, ſingulorum M. j. capill. ven. politrichi, ceterach. ſcolopend. ſucciſæ ſcabioſæ, pimpinell. ſcordii, plantag. florum cord. anthos, nympheæ, geniſtæ, ſingulorum p. ij. ſe. iiij. frigidor. maior. ſem. citrii, acetoſ. fœnicul. & aniſi, ſem.

ſem. cardui, ſingulorum ʒ j. foliorum ſennæ ℥ iiij. coquito ad libram vnam. Adde in fine agarici albi ℥ ij. cinnamomi ʒ ij. In expreſſione diſſ. ſacchari albiſſimi ℔. j. fiat ſyrupus mediocriter coctus. Cui adde ſub coctionis finem, maxime ſi robur iecoris nimium elanguet, expreſſionem vnciæ vnius rhabarbari electi, macerati in aqua bugloſſ. cum ʒ j. ß. cinnamomi. Doſis erit vnciarum binarum, ſeu per ſe ex cochleari, ſeu cum ptiſana, idque mane tribus horis ante cibum.

Iſtorum præſidiorum alternato vſu, quum primum potior, eaque craſſior cacochymiæ pars per aluum detracta, & tenuior in ſudores digeſta videbitur, corpuſque ad opiatæ vſum rite præparatum: balneum ex aqua tepente aduerſus feruorem & ſqualorem viſcerum inſtruatur: in quo quaque hebdomada biduum mergetur, bis quoque die, mane & ante cœnam, quod priuſquam ingrediatur, definita opiatæ moles mandetur, ac guaiaci decoctum ebibetur. Sic autem concinnabitur opiata, in propoſito corporis habitu.

℞ Opiatæ luis mithridatii optimi, conſeruæ nympheæ, florum cichorii, roſarum, bugloſſ. & borrag. ſingulorum ʒ ij. miſce. cap. ʒ j. in ſingulas doſes.

Porro in inſeſſu horam integram commoretur mane & ante cœnam, dein in lecto obuolutus ſudorum profuſionem ac moleſtiam tacitus quietuſque perferat pro virium modo. Balnei tepore non ſolum copioſus ſudor è ſqualido corpore facile elicitur, quo cum venereum virus emanat, ſed etiam viſcerum & partium ſolidarum calida & ſicca intemperies ſic emendatur, vt ſudorum eru-

ptionem & ſiccantium remediorum vſum innoxie tolerent. In primis autem naturis calidis & ſiccis conducit, quas curatio per guaiacum & alexipharmacum lui venereæ eripuit, ſiue in ipſa curatione, ſiue ea abſoluta adhibeatur. Sed quoniam, quod media in curatione vſurpatur balneum, dura mollire, craſſa attenuare, fundere ac digerere par eſt, poſt eius egreſſum ſudorem in lecto promouere oportet. Quod vero peracta curatione, ad ſqualorem viſcerũ temperandum humectandumque imperatur, tepidum duntaxat eſto: vt diu in eo inſidere poſſit, citra ſudorem ac citra virium iacturam, neque in lecto poſtea ſudor eliciatur. Alioqui quod humectare & reficere oportuit ſqualidum corpus, exiccari & elangueſcere continget.

Sunt autem qui lue venerea recens correptos non prius audeant balneis committere, quam abſoluta ſit curatio, quod venereum virus quoquouerſum diffundant, & in ſolidas quaſque partes deducant. Ego vero in media curatione, fœliciter eo ſæpe ſum vſus in ſiccioribus naturis. Quod tamen ſi metuitur, eius loco vaporarium commendo, cuius tot ſunt cõmoditates in huiuſce luis profligatione, vt ſiue quis per argentum viuum, ſiue per guaiacum & alexipharmacum curationem inſtituat, ipſius vſum minime negligere debeat, quocunque temperamento, aut corporis habitu fuerit, ſi modo eius calor ſingulorum aptetur naturis. Abſoluta curatione ſi vel in facie, vel in alia quauis parte rotundæ maculæ, vel herpes, vel in volis manuum ſciſſuræ ſuperſint aut expullulent, minime ſtatim ad vini potum ſe conuertat æger: ſed diluto decocto, quod ſecundarium nuncupant, vtatur

tur dies minimum quindecim. Hîc quod è china aut ſarçaparrilla conficitur, ad paſtum præſentiſſimæ opis atque ſubſidii comperi, & ad mali reliquias amoliendas, & ad partium intimarum ſqualorem decocto guaiacino contractum temperandum. Continuatur autem dum omnia recurrentis morbi veſtigia deleta ſint. Sed interim mane quoque die ſequētis decocti doſis in balneo exorbenda, nulla ſudorum prouocatione primum, deinde etiam iis promotis, ſi opus videbitur.

℞ Sarçeparrillæ, & chinæ, polypodii, paſſul. radic. cichorii, ſingulorum ℥ j. plantaginis, agrimoniæ, bugloſſ. borrag. fumiterræ, ceterach. ſcolopendriæ, endiuiæ, ſcariolæ, pimpinell. calendul. ſuccifæ, ſingulorum M. ß. flor. comm. & geniſtæ, ſingul. p. j. ſem. iiij. frigidorum maiorum ſem. fœnicul. ſingul. ʒ j. ß. raſuræ eboris & cornu cerui vtriuſque ʒ j. ſem. citri & cardui rad. tunicæ & tormentill. ſingulorum ℈ iiij. foliorum ſennæ ℥. j. ß. coquito ad libram. Incolato diſſ. ſyrupi de ſucco acetoſæ, de limonibus & violarum, ſingul. ℥ j. ß. Concinnetur apozema ad quinque doſes, quas capiat mane in inſeſſu, in quo tepenti horam ſaltem vnam maneat. Conueniet tamen & ſine balneo, quum nec æſtus ingens, nec ſqualor à nimium ſiccanti victu & guaiacina potione viſcerib. impreſſus videbitur.

EORVM QVI PER HYDRARgyrum reſtitui non potuerunt, Curatio.

Cap. II.

Iam vero ſi vel neglecta, vel per hydrargyrum male curata lues venerea, tandiu in corpore mo-

ram fecerit, vt non dolores modo implacabiles, ſed & ſcirrhoſos etiam nodos malignaque vlcera & cacoethe conuexerit, ſuperior quidem curandi methodus tenenda, ſed cui pro laborantium natura, & ſymptomatum varietate ac magnitudine, multo plura eaque potiſſima & lectiſſima remedia accedant. Quæ res quo plus habeat perſpicuitatis, è ducentis quorum ſaluti profuimus, vnus hic ad curationis exemplar in medium producetur.

Vir quidam honeſta familia, annos natus quadraginta, corpore mediocriter carnoſo & bene cõſtituto, venerea lue perculſus, accitos celebriores Lutetiæ medicos ac chirurgos de recuperanda valetudine conſuluit. Cui communi ſententia poſt catharſim & phlebotomiam, litus ex hydrargyro decernitur, & aliquot diluculis adhibetur. Exinde quum & multa ſputatio ſeptimo poſt die, & alui fluor contigiſſet, ſpes miſello breui affuturæ ſanitatis iniicitur. Sed quum poſt exactũ vicenarium (quanquam omnia ſumma fide ac ſedulitate fierent) nullatenus ſe leuari ſentiret, eos ipſos, quorum ſe tutelæ commiſerat, in conſilium reuocauit. Hîc illi morbi contumacia & humoris malignitas ad excuſationem prætexitur, & iteranda hydrargyroſis inſtituitur, in qua nihil omnino, quod in hoc curandi genere ſanctum & ſacrum haberi cõſueuit, prætermiſſum eſt: ſed ſucceſſu non minus quam in principiis infauſto.

Tum chirurgi eam eſſe in hydrargyro tarditatem profeſſi ſunt, vt non niſi pedetentim, ſed continenter tamen, poſtquam eſt intromiſſus, morbum conficiat & atterat: ſeque multos vidiſſe, qui quum deplorati & conclamati haberentur, temporis

poris tamen tractu & diuturnitate conualuiſſent. Id quia facile ſibi ægrotus (quod ita eſſe maxime cuperet) perſuaſit, tres totos menſes magno fortique animo, atroces dolores ſine vlla querela auxilium expectans ſuſtinuit. Sed tantum à ſanitate abfuit, vt ſubortis circa oſſa tophis & nouis dolorib. miſerior, chirurgos denuo accerſere coactus fuerit, qui vno omnes ore, curationem per argentum viuum tertio repetendam, adiecto decocto guaiacino cenſent. Neque prius inungendi finem faciunt, quam quater vno biennio eandem frictionem & illitum, infinito prope dolore, immenſis cruciatibus ſine vlla ope perpeſſus ſit. Inde tam ſiccum & exangue corpus euaſit, vt σιφαρ̀ αὔδρος potius, quam viuidum corpus putaretur: adeo nihil reliqui præter cuticulam, & ſolidorum corporum ſtamina fecerat calamitoſa morbi diuturnitas, exceptis tophis permultis qui brachiorum, crurum, & capitis oſſibus adnati, præ doloris acerbitate, ſomni benignitatem toto iam biennio ſuſtulerant. Hos chirurgi cauterio aperiunt, facto à capite initio: cumque ſubiecta illis oſſa carioſa & ſubnigra occurriſſent, ea terebello eximunt, veneni maleficio, qua parte meningas ſpectabant, iam exeſa ac corrupta. Sed quum ne ſic quidem vlla ſalutis ſpes affulſiſſet, emplaſtris Ioannis Vigonii, quæ duplo fiunt Mercurio, hominem circumueſtiunt: Quo remedio irrito, alii rurſum vinum guaiacinum per menſem exhibent, alii denique balneis ex guaiacino decocto aliquot diluculis moribundum ægrotantem immergunt: quæ omnia quum infauſta, & plane nullo ſucceſſu fieri viderentur, ſumma virium imbecillitas, tandemque lienteria grauis ex-

tincto pene ab hydrargyro calore natiuo ſuperuenit, nullis concedens remediis. Itaque hominem moribundum pro deplorato deſerunt, nulla arte, nullaque induſtria eum curari poſſe profeſſi, cuius iam oſſa pene omnia caries labefactaſſet.

Quam cedo, cauſam tam immedicabilis luis inunctores prætendent, aut quid tandem cõfingent & comminiſcentur? Cur hydrargyro, quem luis alexipharmacum prædicant, toties repetito & tandiu continuato profligari non potuit? Empiricos, credo, curationem dicent ſuſcepiſſe. At chirurgi erant celeberrimi, non ſuis modo, ſed etiam medicorum conſiliis adiuti. Ægroti aut mollitiem, aut debilitatem prætexent? At is & quadratus fuit, & laboris patientiſſimus, cui nihil vnquam tam durum tamque laborioſum præſcriptum eſt, quod dicto citius non exanthlaret. Nemo à ſeruis accuratius, à medicis fidelius, ab amicis diligentius vnquam tractatus: eidemque non opes, non ætas, non vires, non viſcerum robur, non quicquam aliud, quam medicamenti efficientia defuit.

Hanc hiſtoriam fuſius explicui, quo palam fieret in hydrargyri vſu minime ſitam eſſe luis antidotum, ſed empiricum inuentum, falſis titulis & laude hucuſque celebratum.

Iam qua methodo propoſiti ægroti curationem abſoluerim, percurram.

Quum miſelli huius prorſus exuccum & effœtum corpus in noſtras manus incidiſſet, primum operam dedimus, vt quam optimis coctuque facillimis cibis renutricaretur: & quo minus eum tæderet dietæ frugalioris, varietatem pullorum gallinaceorum, columbinorum, perdicum, auicula-

rum

rum montanarum, vitellorum ſorbilium, carnis hædinæ, vitulinæ, cæterorumque præſtantiorum ciborum indulſimus. Sed quia tanto marcori & virium proſtrationi quamprimum ſubuenire par erat, ad iuſcula quæ celeriter id præſtant, & degluatiendi difficultatem qua laborabat, eludunt, confugimus: ſed ita comparata vt dum vires reficerent, ipſius etiam morbi occultam perniciem vimque retunderent. Itaque ex decocto guaiaci vitulina caro cum pullo gallinaceo elixabatur, adiectis ſub coctionis finem hyſſopi, bugloſſi, borrag. pimpinell. foliis, hincque expreſſi iuſculi ter quoque die vnciæ ſex exhibebantur, quod & vires collapſas mirum in modum inſtaurauit, & morbi malignitatem mitigauit. Ab ea ſorbitione quæ octaua quaque hora ſumebatur, aſſi nonnihil, ſi poterat (diu autem non potuit præ faſtidio & deglutiendi difficultate) aſſumebat. Epulas vuis paſſis & pane biſcocto claudebat.

Quanquam autem grauiſſima, eaque diuturna lienteria exercebatur, curationis tamen decurſu idcirco vino interdiximus, quod eius vſus guaiaci & amuletorum facultates atque beneficia ita eleuet & obſcuret, vt ſanitatis optatiſſimum fructum multis eripiat. Cuius loco dilutum guaiaci decoctum quale in legitima curatione deſcriptum eſt, tam in paſtu quam extra in ſiti vſurpauimus, cui inter coquendum ad robur viſcerum raſuræ eboris, & ad veneni perniciem infringendam, cornu cerui, vtriuſque ſemuncia adiiciebatur. Qui ſolidos cibos deglutire poſſunt, nec ita ſicco ſunt corpore, non niſi aſſis & ſiccis alendi veniunt. Sunt enim humida omnia luis venereę curationi aduer-

ſa. At qui calido & ſicco ſunt iecore elixorum vſu ſaneſcere non prohibentur. Confirmatis viribus iſtorum præſidiorum ope, medicamentoſo iuſculo decoctum ſuffecimus huiuſmodi.

℞ Guaiaci nigerrimi recens in puluerem redacti dodrantem, corticis eiuſdem comminuti, polypodii querni contuſi, vtriuſque ℥ j. ß. macera horis xxiiij. aquæ tepidæ libris ſex, dein ad tertias percoque, addeque ſub coctionis finem ſem. cardui contuſi ℥ ß. radicis betonicæ, coronariæ & tormentill. vtriuſque ʒ j. ß. foliorum ſiccorum pimpinell. ſuccisæ, ſcabioſæ, ſingul. p. j. glycyrrhizæ ℥ ß. Coletur decoctum, vbi refrixerit. Longe efficacius, ſed multo inſuauius decoctum fuerit, ſi radicis helenii ſiccæ & baccarum iuniperi vtriuſq; ſemuncia incoquatur.

Non in leui ſunt errore, qui hermodactilos, turpethum, agaricum, aut maligna alia cathartica ſimul cum guaiaco coquunt. Nam & facultates ligni ſancti clandeſtinis odiis demoliuntur, & viſcerum maximeque ventriculi robur diſſoluunt, & ſeroſorum humorum eodē tempore motus cient contrarios. A cortice guaiaci nulla offenſæ ſuſpicio, quamlibet extenuatis eſſe debet, qui ſæpius argento viuo inuncti ſunt, ob eam, quam viſceribus, aliiſque partibus ſolidis impreſſam atque inuſtam reliquit frigidam humidamque intemperiem. In aliis, qui calido ſunt iecore, neque hydrargyroſim perpeſſi ſunt, guaiaci cortex noxius eſſe ſolet, ſæpiuſque ſarçeparrillæ, quam guaiaci decocto vti præſtat. His ergo diei horis omnia digeſſi, vt mane ad horam ſextam, à prandio ad quartam ℥ vj. ſuprapoſiti decocti exhauriret, neque tamen ſudores,

res, qui vix vnquam ab imbecillis & præaridis excientur, promouere conaretur. Siccat enim per ſe, attenuat & digerit guaiaci decoctum, vt etiam ſæpe diuturno vſu ſine vlla ſudoris aſpectabilis eruptione, imbecillis ſatisfecerit, quod etiam ſæpe in raro & tenello corporis habitu ſarçeparrillæ decoctum præſtat.

Cohibita lienteria reliquo curationis tempore corpus ſingulis hebdomadibus repurgare viſum eſt, ne qua circum viſcera imbecilliora craſſioris humoris colluuies ſubſiſtens, pernicioſa ſymptomata poſtea accerſeret. Quo impuriora occurrunt viſcera, hoc crebrior catharſis imperanda, ne ichoribus ſudore profuſis, craſſiores ſordes in meſareo & circum viſcera ſicceſcant.

Hoc autem loco Lectorem monitum velim, eorum corpora, quos hydrargyrus ſæpius attigit, ægre adeo catharſi conturbari, vt niſi medicamentum duplo validius propinetur, quam vires ferre poſſe videantur, nihil efficiat: cuiuſmodi videri poterat in deſcripta corporis natura, quod ſic habet.

℞ Rad. betonicæ coronariæ, dictamni, tormentill. ſingul. ʒ j. ß. paſſar. enucleatarum, foliorum ſennæ purgatorum vtriuſque ʒ iij. ſcabioſæ, ſuccisæ, pimpinell. eupatorii, fumiterræ, flor. cord. familiarium, ſingul. p. j. ſem. cardui, citrii, acetoſ. fœnicul. aniſ. ſingul. ʒ. ß. Coquito ad ℥ iiij. In decocto colato macera horis duabus rhabarbari electi ʒ ij. agarici ℈ iiij. cinnamomi ʒ ß. In expreſſo diſſ. catholici. ſyrupi, capill. veneris, vtriuſq; ʒ vj. diaphœnici ʒ ij. Concinnetur potio.

Qui tamen curationi præerit medicus peritior,

purgantium modum, & ſpeciem captatis indiciis, & virium & humoris redundantis melius præſtituet, & inter purgantium vices ad dolores leniendos, ſcirrhos emolliendos ac digerendos, fotus, vnguenta, cataplaſmata & emplaſtra ea methodo in vſum adhibebit, quæ ſequenti capite tradetur. Quorum vſu quum tophi & dolores omnes delituerunt, ſtatim huic noſtro ægrotanti & ſomnus benignior obrepſit, & lenta febris diſparuit, & crudum alui profluuium conquieuit: nec multo poſt corpus firmiorem & priſtinam molem ſenſim recipere viſum eſt, adeo vt qui in initiis citra animi defectionem dimoueri nō poterat, ad trigeſimum huius curationis diem, per ſe in lecto ſeſe erigere ac ſedere poſſet. Hîc tum primum (quod ſatis viribus eſſe perſpectum conſiderem) cœpi in vaporarium (opiatæ ʒ j. & decocti ℥ vj. exhauſtis) inducere, non quotidie primum, ſed alternis dieb. duntaxat, idque minima mora (quod vires nimium adhuc eſſent acciſæ) & in ingreſſu ad focum caput & reliquum corpus excepto pectore & facie oleo lenibus frictionibus irrorare, in quo egregia facultas inerat noxias hydrargyri qualitates neruoſo generi impreſſas ſummouendi, ac natiuum calorem eius frigore ſtupefactum ſuſcitandi.

Quum eo virium miſellus peruenit, vt ſeruo, aut ſcipioni innixus, corpus erigere, & in conclaui ſpatiari poſſet, plenius ducendi ſudores occaſione data, eos quotidie & in vaporario, & in lecto prolicere cœpimus paulo longiore mora. Sed & ſorbitiones omnes, & elixa circumcidimus, ſolius aſſi copiam facientes, ne (quod in pleriſque aliis morbis, imprimiſque diuturnis, contingit) ex nimio

potu

potu & humidorum cibariorum vſu iecoris robur elangueſceret, & profligatæ lui tumor œdematoſus in cruribus & pedibus ſupereſſet. Huius enim rudimenta veſperi iam in pedib. cernebantur, magiſque quo ſe plus vel ſtando, vel incedendo fatigaſſet. In id electarium triumſantalon, rhabarbaro quadruplicato inſtitui, cuius teſſellam vnam ad viſcerum robur quotidie mane guaiaco præmitteret. Hanc remediorum viciſſitudinē pertinaciter continuanti moribūdo homini vires ita ſenſim recreari viſæ ſunt, deliteſcentib. ſymptomatis omnibus, vt ad ſexageſimum huius curationis diem, ſanitatem certam agnoſcerem, & æger ipſe eam ſibi animo ſponderet.

Quum igitur omni dolore dies amplius viginti vacaſſet, primariū ac validius guaiaci decoctum menſes aliquot intermittēdum cenſuimus, ſi quid non prorſus extirpatum dolores aut tubercula rediuiua protuliſſet, appetente vere (nam hyeme curationem ſumus aggreſſi) id tutius faciliuſque repetito remediorum vſu, & natura quiete ac cibo roborata nobis ſuppetias afferente reſtincturi. Verendum enim videbatur, ne ſi natura remediis aſſuefieret, aut eorum vim non amplius perſentiſceret, aut dedignaretur. Neque enim hac in ſpecie, vt in recens contaminatis erat à morbo periculum, ne ſe aut quotidie in corpus graſſando diſpergeret, aut miſerabilius obfirmaret. Quin potius qui in tam calamitoſam conditionem vel ſua negligentia, vel alio errore ſunt deuoluti, vix vnquam niſi repetita propoſita curatione, integra valetudine perfruuntur. Sed in his etiam induciis curationis, ſecundarii decocti guaiacini vſum minime inter-

mittendum cenſuimus, in quo nobis exactiſſime morem geſſit. Ideoque ſic in dies auctæ ſunt vires, vt breui muniis & negotiis ſe tradere, libere ſe cœlo & aeri committere, frequenſque in foro, frequens in plateis diſcurrere poſſet, nullo vel leuiſſimo doloris veſtigio, in iis etiam locis, quos ſcirrhi occupauerant, ſuperſtite. Tantum capite & artubus ſibi grauior, & veluti quadam laſſitudine fractus videbatur, maximeque quum cœlum è ſereno in nubilum, ex ſudo in vdum demutabatur: & poſt exercitationes appetente nocte, crura œdematis exturgebant, quæ nocturna quies & à laboreintermiſſio diſſipabat. Quanquam autem poſt exactos menſes quatuor, neque dolor, neque aliud quidpiam formidandum recurreret, auctor tamen fui, vt fœliciter vſurpatæ curationi exceptis topicis denuo ſe committeret, ne qua fermenti venerei portio in perioſtiis & medullis ſuperans, reuireſcentis morbi materiam ſuppeditaret. Itaque in æſtuario quotidie mane ſudores rurſum excepit menſem integrum, hauſto ante ingreſſum guaiacino cremore, vorataque opiatæ drachma dimidia, paucis diebus exceptis quibus cathartico conuenienti craſſiores primæ regionis ſordes eluebātur, ſemel minimum in hebdomade: aſſis interim non elixis, ſed paulo quam per initia liberalius ſe ſuſtinens. Quorum remediorum vſu decem iam annos adeo ſalubriter vixit, vt nunquam ægrotaſſe videri poſſit.

Quam Deus mentem omnibus indet, vt mirandas huius alexipharmaci vires, qua ratione ſupra poſui, experiri velint, antequam tam immaniter fuerint excarnificati.

Plura

Plura de luis venereæ, quæ ex hydrargyro aut vetuſtate ferociit, commentari non eſt animus, quod medico diligenti expeditum ſit, omnibus indiuiduis naturis ac affectibus, iſtius imitatione remedia conſentanea adhibere.

Quidam non ita pridem ad me venit, cuius & penis radicem, & inguina & imum ventrem vmbilico tenus vlcus cacoethes nec hydrargyro, nec aliis vulgaribus remediis concedens exederat, & vires corporis ita deiecerat, vt iam libitinæ deuotus cenſeretur.

Alius etiam qui malignitate vlceris totius columellæ & reliquarum faucium ac palati tenellarum partium iacturam fecerat. Qui ambo ante deſcripta methodo, ſed curatione vtriuſque naturis accommodata intra 50. dies ſanitati reſtituti ſunt, etiamſi eorum vlceribus nihil præter ſublimati aquam adhibitum ſit. Eſt enim in curandis venereis vlceribus præcipuum, clandeſtinam perniciẽ intus omnia deuaſtantem, idoneis medicamentis cohibere atque extinguere, qua ſuperſtite fruſtra externis præſidiis ſubuenitur.

Extinguitur autem (vt rem in compendium cõferam) noſtris antidotis, & potione guaiacina. Quibus, ſi malum inueteratum refragetur, vaporarium accedit, in quo quicquid vel circum perioſtia aliaſque ſolidiores partes obduruit, vel in alto corpore demerſum latitat, tenuari, incidi, atque in ſudores digeri poſſit. In tenellis & raris corporibus potioni guaiacinæ ſarçeparrillæ decoctum ſubſtituitur. Balneum diximus iis ex vſu eſſe, qui calida & ſicca ſunt viſcerum temperie: maxime vero in recidiuæ luis curatione, quod tamen haud-

quaquam in iis locum habet, qui ſæpius litum ex hydrargyro pertulerunt, quem plus æquo partium ſolidarum temperamentũ diſſoluere, ſubſtantiam mollire & relaxare compertum habemus.

Recidivæ luis cauſa & curatio. Cap. III.

Iam vero ſi forte ab hac curandi ratione quidpiam nondum plane reſtinctum ſit, quod aliquanto poſt protumpere atque pullulare contingat, non dubito quin illam ſtatim inde data occaſione, vt inefficacem, & parum tutam methodum inſimulent argenti viui propugnatores. Verum medentis ne inſcitia, & ægrotantis intemperantia ac moroſitate, an vero guaiaci & amuleti imbecillitate potius eueniat, perſcrutandum.

Quanquam autem omnis luis venereæ, quæcunque illa corpora obſederit, vna eademque natura atque eſſentia eſt: eam tamen pro varia corporis, in quæ incidit, conſtitutione, alias facilius, alias multo ægrius profligari atque reſtingui videmus. Etenim ſi quis melancholica corpora, iiſdem remediis & eodem temporis interuallo, atque ſanguinea reſtituturum ſe ſperet, eum ſæpe falli atque expectatione fruſtrari, neceſſum eſt. Illa, quippe vt humorib. prædita ſunt craſſioribus, magis compactis ac terrenis, ſic venereas ſordes, ſi ſemel admiſerint, adeo pertinaciter retinẽt, vt ægrius multo, quam ex vllis aliis naturis deleantur. Id quod non hic modo, ſed & cæteri melancholici morbi arguunt, ex ipſius humoris pendere contumacia. Itaq; niſi efficacior longiorque his adhibeatur curatio, quam cæteris, labes vix in totum eluitur. Id autem

autem non tam remediorum infirmitate, quam vel medentis (qui remediorum continuationem, antequam prorſus extincta eſſet veneni pernicies, diſſuaſit) imperitia, vel laborantis, qui medicorum præſcripta contempſerit, intemperantia contingere declarat perfecta ſanatio: quæ ſi intermiſſa aliquandiu remedia affecti corporis conſtitutioni conſentanea repetuntur, facile ac breui ſuccedit. Non enim in morborum venereorum recurſione, alia medicamentorum eſt ſylua quam ſuperior, nõ alia apozematum decoctorumve componendorum ratio, non laconici, non amuletorum alius apparatus, quam qui deſcriptus eſt, inſtruitur. Sed idem ipſe repetitus & diutius continuatus, reliquias morborum prorſus conſumit, ac funditus euellit.

Porro, vt ſunt curationis, quæ per hydrargyroſim ſuſcipitur, & eius, quæ per guaiacum & amuletum, contrariæ & pugnantiſſimæ viæ, ita qui ex iis fiunt recurſus, plurimum à ſe inuicem diſiuncti receſſerunt.

Guaiacum à viſceribus & venis omnibuſque interioribus partibus in ſuperficiem, & cutim vna cum humore virus exigit, indeque per ſudores & inſenſilem tranſpirationem, nihil intro regerens, euacuat: alexipharmacum vero, eius perniciem atq; malignitatem partibus ſolidis inſertam prorſus delet & extinguit. At hydrargyrus, quanquam ſua tenuitate (qua omnia peruadit ac penetrat) multa colliquare ſolet, & calidorum oleorum, quæ admiſcentur vi, tenues quoſdam ichores in ſudores diſcutit atque digerit, ſumma tamen qua præditus eſt refrigerandi facultate, craſſos lentoſque

humores à valida natura è centro in corporis ambitum & peripheriam diſiectos, vel illic genitos, in partes penitiores & in viſcera regerit, è quibus confertim aliquando in fauces & in os conſcendere, ac ſputatione reiici, aut in aluum magnis torminibus præcipitari cernuntur. Quibus ex cauſis obſeruaui, morbi regreſſionem, quæ curationem per hydrargyrum ſequitur, rarius in cute tubercula aut maculas excitare, ſed vel in faucibus, palato & ore vlcera exedentia, vel certe circum oſſium membranas dolores crudeliſſimos, ac duriſſima tubercula parere. Repulſum enim in viſcera, aliaſque partes interiores cum humore malignum virus, licet humor ſputatione aut alui fluore excernatur, in ipſis tamen partibus ſolidis ſe altius impingit & obfirmat, peſſimaque tandem profert furoris ſui & malignitatis indicia. At quæ per guaiacum fit curatio, quoniam naturæ in cutem virus propellentis impulſiones, motuſque ſequitur atque imitatur, vix eius quicquam in partibus ſolidis derelinquit, nec, ſi quid aliquando reuireſcat, in iis, aut in perioſtiis figitur, ſed vel in externa cute effloreſcit, vel in ore & faucibus erumpit. Id autem idcirco contingit, quod quum firmus denſuſque ſit corporis habitus, atque imprimis externa cutis, ea erumpentis, & foras emergentis veneni curſum diutius remoretur & inhibeat, eiuſque ſe fœdiſſima portione contaminet.

Itaque partibus abditioribus à luis pernicie iuſta curatione prorſus vindicatis, non raro latæ & rotundæ quædam maculæ, colore ſubflauæ, aut ſubrubentes in cute emergunt, interdum herpetes & cutanea vlcuſcula, interdum in manuum volis &

lis & pedum plantis, ſciſſuræ admodum moleſtæ ac deformes cum callo duriore: aut ſi quid forte veneni in partibus internis ab imperfecta curatione deliteſcit, id poſtea naturæ beneficio in cutem amandatur, quæ cum minus ſit, quam reliquum corpus perſpirabilis, & longius à caloris ſcaturigine diſcedat, ea, quæ modo dixi, ſymptomata pro ſua illic mora & cunctatione admittit.

Sordeſcunt igitur ab imperfecta luis curatione, quæ per hydrargyrum fit, internæ corporis partes, externis nitentibus: contra vero in ea, quæ per guaiacum & alexipharmacum tentatur, ſi morbus non prorſus adimitur, viſceribus puriſſimis cute tenus duntaxat infeſtantur externæ. Adhæc, quicquid ab hac curandi ratione intus reſtat ac ſupereſt, id intra duos treſve menſes certis ac manifeſtiſſimis notis ſe prodit: at ab hydrargyro recurſio, ſæpe vltra annum, interdum vltra decem, viginti aut triginta, inſultus ſuos differt & protrahit, tantoque interuallo clandeſtinus mali fomes intus latitat ac deliteſcit.

Deniq; curatione per guaiacum & amuletum, ſi quæ ſuccedant maculæ (vt remediis præpropere omiſſis venenum intus reſtitans ſe prodat, neceſſe eſt) aut herpetes, aut faucium & oris vlcera: vel ipſa ſua ſponte tandem diſparent ſine artis ſubſidio, vel (quod magis arridet) ſi quis maiorum malorum metu & ſcabiei probro perculſus naturæ conatum anteuertat, ſuprapoſitis remediis repetitis citiſſime obſequuntur.

At quæ hydrargyro illitis eueniunt, adeo peruicacia & refractaria ſunt omnia, vix vt vlli diligētiæ & curationi morem gerant.

Vt igitur de renaſcente, & rediuiua lue paucis exponam, quid in quamplurimis ſum expertus: quoties à curatione quam proxime deſcripſi, præpropere miſſa, vel circulares quædam maculæ, vel herpetes, vel tubercula alicubi eruperint, vel in iſthmo, palato, gingiuis vlcuſcula prodierint, vel dolores medios artus & caput obſederint, malignam luis naturam ipſamque contagioſi veneni perniciem nondum prorſus eſſe diſſipatam atque radicitus euulſam certum eſt, quæ deſcriptis ante remediis indubitanter repetitis, vſque ad internecionem continuatis delebitur.

Neque tamen iſto luis recurſu magnopere terreri, & animum abiicere (perinde ac ſi in ancipiti ac lubrico poſita ſalus ſub hac curatione vacillaret) quiſquam debet. Ea enim in pleriſque deprehenditur huiuſce morbi peruicacitas & contumacia, vt vix, niſi iterato deſcriptorum remediorum vſu, prorſus edometur, & radicitus extirpetur. Sed nemo vſque adeo infœlix, aut iſto morbi genere tam fœdatus, tamque miſerabiliter diuexatus occurrit, qui idem ſi nos audierit, ſi frugaliter vixerit, ſi hydrargyro non illitus, noſtra medicina ante duos treſve menſes, non dicam non leuetur, ſed prorſus percuretur: quum ab hydrargyroſi recurſiones quamplurimos inuitis medicis ſenſim conficiant, ac tandem enecent. Penitius ſcilicet hydrargyrus venenum impingit, & in penetralibus naturæ obfirmat, quam vt aut vnquam, aut vix admodum, & non niſi multo poſt tempore domari, coqui, ſecerni, euellique poſſit. Sed nulla vis naturæ inferenda eſt, quantumlibet ſit inueteratus, & alte inſederit morbus. Quippe huiuſce morbi

cauſa,

cauſa, ſecurius ſenſim ac pedetentim, quam affatim & repente, vere & autumno, quam hyeme aut æſtate, repetita, quam in annum continuata curatione tutius atteritur. Quanto enim longior & mitior, tanto minus periculi & recurſionis habitura eſt, quæ per guaiacum & amuletum fit curatio. Nihil ergo triſtius illis dolendum eſt, quibus à prima curatione quidpiam reuireſcit ac pullulat, ſi modo ſe repetitis noſtris remediis & medelis aliquandiu addicant. Quoniam autem in vaporario ante deſcripto, apte calenti, quicquid vel in abditiſſimis corporis ſedibus præter naturam deliteſcit, vel in ſcirrhos manifeſtos concreuit, expeditius fundi, liquefieri, & in ſudores digeri poteſt, multo ſecurior ac breuior eſſe ſolet, & primariæ luis & recrudeſcentis curatio, quæ in eo quoq; die, quam quæ in lecto ſudores elicit.

Itaque ſumpto quoq; die opiatæ fruſtulo, hauſtoque guaiaci cremore ſudor prouocetur, ætatis, regionis, virium, & peculiaris cuiuſque naturæ habita ratione. Bibant & in paſtu & extra, ſi ſitis inuitarit, ſecundarium, aut certe dilutius guaiaci aut ſarçeparrillæ decoctum, & frugaliter viuant, dum veneni germina prorſus extincta ſint.

Sed ſæpe fit, vt ab imperfecta luis curatione volæ manuum pedumque plantæ ad digitorum vſq; extremum ſciſſuris multis, tanquam ſulcis quibuſdam exaſperentur atque dehiſcant: multorumque opinio inualuit præ iecoris maxima ſiccitate ex guaiacinis potionibus & diuturna ſudorum profuſione contracta, eas exoriri, atque etiamnum foueri.

Verum eminuero quum hydrargyroſis, quam

ſolidas partes impendio refrigerare & humectare nouimus, eadem vitia accerſat, quæ guaiaci & ſarçeparrillæ potionibus ſiccantibus deleantur, non aliunde quam è venerea pernicie, quæ ſe viſceribus, maxime vero iecori communicant, ſuæ originis primordia nanciſci veriſimile eſt.

Itaque non aliis remediis egent, quam quæ aduerſum morbum ipſum, vnde dimanarunt, ſunt præſcripta, dummodo in multum tempus producta ſint: ea tamen conditione, vt ſi guaiacum vſurpetur, eius ſiccitas radice cichorii temperetur, & ſi ſqualidior ſit vtentis natura, frequenti balneo ex mollientium ac tergentium ſtirpium decocto emendetur. Præſtiterit tamen, quum longa per guaiacum inedia non ſatis tempeſtiue delentur, ſarçeparrillæ aut chinæ potionem arripere ac continuare, dum radicitus venenata labes ſit euulſa, interiectis (ſi opus videbitur) balneis tepidis, quibus & viſcerum ſiccitas corrigatur, & venenata qualitas his impreſſa foras ad cutim proferatur.

Ego eas ſæpe cohibui, quum impura videbantur viſcera, ſolius decocti ſequentis vſu nulla ſudorum profuſione.

℞ Scobis tenuiſſimæ ligni ſancti nigerrimi dodrantem, polypodii querni, vuarum paſſ. purgatarum, vtriuſque ℥ j. macera horis viginti, in ℔. vj. aquæ, dein igne remiſſo coquito, dum media pars abſumpta ſit, tumq; adde (ſi ſiccum & ſqualidum corpus erit) radicum cichorii ℥ iiij. vel (ſi pituitoſum) baccarum iuniperi ℥ j. & radic. helenii ſiccæ ℥ ß. Ferueant rurſum dum libræ duntaxat duæ ſuperſint: tumque adde foliorum ſennæ purgatorum ℥ j. ß. ſem. fœniculi & cardui, ſcobis cornu cerui,

Digitized by Google

ceruі, ſingulorum ʒ j. glycyrrhizæ ℥ ß. bull. parum, dein vbi refrixerint, decoctum colo tranſmittatur, addanturque ſyrupi violati ℥ iij. doſ. ℥ v. quoque mane ad dies quindecim. Quo quum ventum erit, niſi manuum ſciſſuræ ac rimæ & morbi reliquiæ omnes penitus deleantur, ſudores aliquot diluculis elicere conueniet, detractis ſennæ foliis: dein balneis aquæ dulcis tepentis, ſi opus erit, viſceribus proſpicere.

Iam vero ſi hiſce aliiſve ſimilibus præſidiis, ſingulorum naturis accommodatis, ac methodice & diu in vſum adhibitis, ſciſſuræ, herpetes, maculæ prorſus deletæ, denuo pullulent atque demortuæ reuiuiſcant, quæ luis vomitem nondum prorſus extinctum eſſe teſtentur, neque ad alia remedia confugiendum, neque efficacior & tutior perquirenda curandi methodus, quaſi manca & fallax ſit ſuperior. Sæpe enim venenata labes, his qui hydrargyro illiti ſunt, tam alte in viſcerum ſubſtantiam ſe inſinuat, tamque tenaciter ſe obfirmat, vt non niſi temporis diuturnitate ſenſim concoqui, domari, & extingui poſſit, quæcunque remedia adhibeantur. Hic igitur ſatis ſit intermiſſa remedia repetere, dum rediuiua omnia luis veſtigia obliterentur, atque iis extinctis annum frugaliter agere. Quæ, ſi nihilominus rurſum germinent, vere & autumno iteratis iiſdem præſidiis, quindecim aut viginti diebus eodem modo tollentur. Sic enim repetita identidem ex interuallis curatione, veneni contumacia viſceribus & partibus ſolidis inſerta, radicitus deleri extinguique ſolet, nulla illata noxa.

Quod ſi ne ſic quidem obfirmatum vitium tol-

litur, catapotia ex ſole & mercurio tuto nullaque moleſtia id funditus euellent, omnemque reuerſionis ſuſpicionem atq; metum eximent.

Breuis, ſed fallax, & quæ fucum faciat, eſt curatio, quæ mali cauſa intus relicta externa vitia delet & obliterat: cuiuſmodi eſt, quæ malactico fotu aut litu, ſcabras & duras manuum ſciſſuras præparat, quas ſuffitu ex cinnabari, cui ſuccus cyrenaicus, thus roſæ, ſtyrax calamita, & ſimilia ad fœtoris emendationem adiecta ſint, biduo aut triduo excutit: aut quæ aqua è ſublimato in aqua vitæ ſoluto, ita exaratam in ſciſſuras manuum cutem detrahit, dein litu malactico partis aſperitatem lenit.

Germinat enim ac pullulat identidem relictus in viſceribus mali fomes, & externum vitium ſic detractum breui inſtaurat ac reducit: Si tamen placet fucata curatione cuipiam id magnopere expoſcenti, aliquando adblandiri, hydrargyrus in aquam lympidiſſimam conuerſus ſolo fotu omnem cutis aſpredinem, impetiginem ac maculam delebit.

QVIBVS HYDRARGYRI LItus citra inſignem noxam adhiberi poſſit.

Cap. IV.

QVANQVAM autem, quæ per guaiacum & alexipharmacum fit luis venereę curatio, certiſſima, tutiſſima, ac facillima, quæ vero per hydrargyrum crudelis, periculoſa ac nihilominus inconſtans & prorſus incerta eſt: in ea tamen corpora plerunque incidimus, quæ vel in ipſa quam tradidi, vel ea iam abſoluta curatione, moderato & tempe-

tempeſtiuo huius litu non mediocriter adiuuantur. Quocirca ne quid hoc loco deſiderari poſſit, quod ad luis recurrentis curationem momentum habeat, quibus hominum naturis, qua lege, quo loco, & quatenus admoueri tuto poſſit, explicandum. Frigida humidaque corpora, ſiue à ſemine ipſiſque naturæ primordiis, ſiue poſtea errore viuendi, & otiis talia euaſerunt, quum ſuapte natura morbis plus æquo pateant pituitoſis, ſi quis impendio frigido & humido hydrargyro perunxerit, ita peruertet, vix vt vnquam poſtea integra valetudine frui poſſint. Licet enim hydrargyrus, dum pituitæ mucoriſque vacuationem ſputatione, aut alui profluuio procurat, conſecutione quadam corpus reſiccet: quoniam tamen propria vi, & congenita frigiditate, & humiditate partium ſolidarum ſubſtantiam mollit, relaxat, humefacit & perfrigerat, illorumque temperamentum demolitur, langueſcente poſtea primigenio calore, & fruſtrata quæ ab eo fit concoctione, excrementa multa, craſſa & pituitoſa in corpore ſuccreſcunt, vnde aſthma, arthritis, aliique naſcuntur morbi pituitoſi, quibus id haud raro conſumitur.

His quidem paulo minus hydrargyro læduntur frigida & ſicca corpora, frigido terreno & vix dimouendo ſucco perfuſa: verum ab eo vix quicquam auxilii percipiunt. Vix enim ſputatione repurgantur, ſed ſæpe illitus quo fuerit crebrior, hoc magis diſtorquentur, aut ſi initio morbus remiſerit, breui perceptæ leuationis ac remiſſionis atrociſſimas pœnas perſoluunt, recidiuo vt plurimum morbo. Quum igitur in melancholica aut pituitoſa corpora lues graſſabitur, quia nec hydrargyri li-

tu, nec vllis purgantibus pharmacis diuelli atque elui poteſt, non alia quam ſuprapoſita curandi ratione diu continuata, & iterum (ſi res poſcit) vſurpata, quaſi firmiſſimo ariete oppugnanda eſt. Calida & humida corpora, quæque benigno ſanguine prædita, incommodo minore quàm melancholica & pituitoſa hydrargyroſim patiuntur: vnius enim qualitatis, ſed admodum inertis & pigræ diſſidio ab hydrargyro receſſerunt: verum hi facile præſcripta curandi methodo conualeſcunt, & litu ex hydrargyro (niſi prudenter adhibetur) in moleſtiſſimam ac periculoſiſſimam ſputationem præcipites feruntur, quam, quum velis, haud cohibere queas.

Calida & ſicca corpora, in quibus bilis redundat, ſuperſunt qui moderato vſu hydrargyri minimum lædi, ſæpe inſigniter iuuari comperimus. Perferuidam namque & ſiccam viſcerum, maxime hepatis intemperiem contrariis, quib. pollet qualitatibus citra manifeſtam vacuationem ita emendat & reprimit, genitamque in his naturis acrem & furibundam bilē demulcet & mitigat, vt omnia in cutim erumpentia ſymptomata breui deleat & obliteret.

In iis igitur corporibus poſt eam, quam per guaiacum & amuleta propoſui, curandi rationem, ſi vel in manuum volis, vel in plantis pedum cutis occalluerit, & ſciſſuris velut ſulcis ſcabra euaſerit, vel in quauis alia parte herpetes aut maculæ, aut tubercula promanarint, quæ moræ impatiens & refractarius æger curatione, quæ intermiſſa fuerat repetita tolli haud ſuſtineat, hydrargyri litus prudenter adhibitus, valde conducet. In calidis, ſic-

cis,

cis, & extenuatis corporibus balneum aquæ dulcis conueniet, ex emollientium ſtirpium decocto, cui bis die mane & ante cœnam æger inſidere poterit, & veſperi dormiturus illini vnguento ex hydrargyro quam ſimpliciſſimo. In id argenti viui vnciæ duæ vnciis octo axungiæ ſuillæ, quæ in aquis roſar. & ſaluiæ elota fuerit, permiſtæ ſatis eſſe poſſint.

Interim dum venenata morbi pernicies viſcerum ſubſtantiæ impreſſa mitificatur balneis aquæ tepentis, ſimulque ipſorum viſcerum ſqualor (ſi quis longa inedia & potionibus guaiacinis contractus erat) oppugnatur, ſemel quoque triduo aut quatriduo corpus vnguento, quod modo poſui, illinere ſatis erit, cauendo diligenter ceruicem, caput & pectus, idque paulo ante ſomnum, vt eo accedente tota nocte præſidium corpori inſideat. Nam poſtridie mane in balneo omnia eluentur. Porro autem bis, aut ter, aut quater ad ſummum corpus vnxiſſe ſit ſatis: idque ex interuallis quæ dixi, alioqui ſputatio ſuccedit moleſtiſſima, forte & pernicioſiſſima, quæ haud facile ſiſtatur. Ideoque poſt ſingulas vnctiones triduum vel etiam quatriduum naturæ motus obſeruandus, vt quum primum vel ſputum profluet, vel gingiuæ dolebunt, omnia intermittantur vel omittantur.

Hæc dum fiunt, nemo à guaiacinis potionibus metuat, ne vtendi perſeuerantia partes principes nimia deſiccatione reddat effœtas. Vt enim ſupra teſtati ſumus, quæ hydrargyro illinuntur corpora, nulla re tam inſtaurari, nulla pharmacia adeo iuuari queant, quam crebra & diuturna guaiaci potione.

Digitized by Google

Quemadmodum enim guaiacum hydrargyri, ita ſane hydrargyrus guaiaci amuletum & antidotus eſt: illud quidem ſua caliditate & ſiccitate ab hydrargyri contrariis qualitatibus profectas noxas tollit: hic vero à guaiaco viſceribus impreſſam calidam & ſiccam intemperiem, ſuo frigore & humore demulcet ac contemperat. Hic igitur modus in hydrargyri vſu, quem probamus, adhibeatur, vt viſcerum calidam & ſiccam intemperiem ac ſqualorem ad naturæ leges reuocet, non liquefactam partium ſubſtantiam ſputationibus euacuet, humoris venenati ferociam compeſcat, partium ſubſtantiam non corrumpat, cutim detergeat ac perpoliat, non intro ad viſcera eius inquinamenta regerat.

Quo vbi acceſſeris, dum vires euchymis & eupeptis alimentis reſarciuntur, ne quid nouæ illuuiei in conualeſcentibus aggeratur, quod recurſionibus materiam ſuppeditet, cathartico leniore ex interuallis repetito anteuertendum eſt.

Sunt qui interim dum curatione ſupraposita venenatæ externorum ſymptomatum cauſę intus latenti obſiſtitur, remedia innumera adhibeant, maxime vero volis manuum pedumque plantis calloſis & ſciſſuris exaratis, & maculis frontem & reliquam faciem dehoneſtantibus. Alii in decocto emolliente bis terve quoque die manus mergunt, quo emolliatur durior & ſcabra cutis, partem dein aqua vitæ, in cuius vnciis ſingulis octo ſublimati grana in ſint, perfundunt. Alii ſuffitum è cinnabari præferunt, quibus quidem medicamentis quicquid in cute externa germinat, breui reſiccatum excidit: ſed quod non ante pullulare ac reuireſcere de-

re deſinat, quam eius radix intus deliteſcens euulſa ſit prorſuſque extincta pernicies.

Ideoque molliente duntaxat præſidio manuum ſciſſuris & callo duriori adblandiri ſoleo, dum eorum cauſæ internis præſidiis ſublatæ ſponte diſpareant atq; obliterentur.

℞ Olei lini & amygdal. dul. recent. vtriuſque ℥ ij. ceræ lotæ in decocto maluæ & violar. modicũ. Paretur ex iis linimentum, quo bis die ſcabræ partes illinantur. Maculis vero, quæ faciem dehoneſtant, oleum bis terve die affrico, quo & expedite reſiccari, & cicatrix venuſtior effici ſolet, quod ſic habet: Tartari optimi exquiſite calcinati libra in aquæ plantag. libris quinque diſſoluitur, dein reſidere ſinitur horis minimum ſex, tum lympidiſſimum lixiuium tranſcolatur atque in olla noua plumbo intus illita feruere ſinitur, donec liquore prorſus abſumpto craſſamentum album in ollæ fundo ſuperſit duriſſimum, quod humido loco repoſitum in oleagineam materiam liqueſcet herpetibus coercendis ac dealbandis cicatricibus præſtantiſſimum.

DE LVIS VENEREÆ SYMPTOmatis leuioribus. Cap. V.

Lves venerea tot tantiſque ſymptomatis propriis ac peculiaribus ſtipata eſt, maculis cutaneis, pilorum defluuio, puſtulis, tuberculis, vlceribus, doloribus, nodis, tophis, oſſiumque carie: minime tamen omnia in omnibus deprehendes, ſed alia in aliis, vt eſt corporis natura, & veneni affectio atque pernicies. De quibus omnibus breuiter & aperte dicere atque ex ordine agere, ab

inſtituto noſtro alienum non erit. Primum itaque de leuioribus & curatu facilioribus, dein de contumacioribus & grauioribus, diſputare aggredior.

Maculæ, puſtulæ, omniſque ſcabies venerea & pilorum caſus, quoniam ſuperiori & iam tradita methodo ſponte conſaneſcunt, peculiarem medici curam ad ſe non traducunt.

Vlcera quoque, ſi ſunt exigua, neque linamenta, neque chirurgorum ſolicitudinem, quia supereſſe morbis extinctis non poſſunt, exigunt: ſin profundum aut latera depaſcuntur, quamcunque partem prehenderint, topicis confeſtim coercenda, ſiſtendaque ſunt, ſed præcipue ſi vel fauces tenellas occuparint, quas periculum eſt ne celeriter populentur, atque raucitatem miſerabilem ante curationis fructum inducant, vel penem, qui gangrenam & ſphacelum inflammationis magnitudine facile contrahit, obſederint. Itaque ſi vlcus cacoethes & depaſcens fauces corripuerit, ne interim, dum morbo proſpicitur, palatum & columellam exedat, diligenti prouiſione obſiſtendum. Singulare præſidium eſt aqua è ſublimato rudicula, cui linteolum alligatum ſit, bis, ter, quaterve quotidie vlceri adhibita. Deſiccat enim ſtrenue, & citra morſum terget id præſidii genus, gliſcentemque malignitatem breui coercet, vnde quicquid in vlcere aut obduruit, aut occalluit, ſenſim vincentis naturæ robore in pus deducitur, & purgato vlcere caro deperdita renaſcitur, cui cicatrix facillime ſuccedit. In id tonſorum vulgus collyrium lanfrancii vſurpat, aut aquam chemyſtarum, qua fabri aurarii metalla diuidunt (aquam fortem extin-

ctam

ſtam vocitant) minime malo, vt quidem reor, conſilio, niſi vlcus in faucibus aliiſve altis & abditis partibus deliteſcat, mox à lotione tergens & ſiccans vnguentum ex carpto linamento inducitur, biſque diebus ſingulis id remedii genus immutatur.

℞ Aquæ plantag. ℥ ij. aquarum ſolani & roſarum, vtriuſque ℥ j. ſublimati grana viij. Ferueant in ampulla vitrea ſuper cineres calidos, dum diſſolutum ſit ſublimatum, dein ab igne ſummota ampulla ſinatur dum aqua refrixerit, & fæx ſubſederit: tum enim aqua defæcatior eximenda in vſumque reponenda.

Sin vlcus vetuſtate labrorum duritiem & ſordes iam contraxerit difficilioriſque fuerit curationis, iſtud remedii genus ſapienter intendendum erit, ita vt pro ſingulis aquarum vnciis ſublimati tria quatuorve grana confundantur, validiuſque vnguentum ſuperdetur, ſi pars id commode ferat. At ſi pars vlcere laborans exquiſito ſenſu prædita ſit, vel inflammatione tentetur, vel corpus vniuerſum acrioribus humoribus abundet, medicamentorum acrimoniam ſubuereri, & deſcriptum præſidium ita moderari adiecta plantaginis aqua conuenit, vt ſine acri morſu ſiccandi & leniter tergendi facultatem retineat. Pleriſque enim ſublimati granum vnum ſingulis aquarum vnciis contemperatum abunde ſatisfecit. Quo vno medicamento, ſi rite pro naturis & indicationibus intendatur, aut obtundatur, quia omnia oris, palati & faucium vlcera bis, ter, quaterve quotidie abluta ad ſanitatem perducuntur, plurium deſcriptione friuola ſuperſedebo, ſi hoc vnum adiecero, cum à prædicta

perfuſione, tum quauis hora alia os fauceſque gargariſmate quod ſiccando extergeat, collui etiam debere.

℞ Hordei integri p. ij. eupatorii nicotian. (petum appellant) plantag. morſus gallinæ, roſ. rub. ſingul. M. j. decoquito in aquæ libris iiij. ad lib. iij. & percolato: tum admiſceto mellis roſ. & ſyrupi roſ. ſiccarum, vtriuſque ℥ iij. aluminis vſti, chalcanthi vſti, vtriuſque ʒ ß. vtitor ſæpius, dum vlcerata pars redintegretur.

Oleum è myrrha extractum maligna omnia vlcera mire lenit, & citra morſum exterget, ideoque naturis bilioſis, & iis vlceribus, quæ omni alia tractatione exaſperantur, appoſitiſſimum eſt, quumque nihil habeat ingratum, gingiuarum, iſthmi, palatique vlceribus, vel penna, vel ſtylo citra tædium admoueri poteſt. Penis vlcera recens contracta, ſi præputium obſident extrinſecus, bis terve quoque die ablui, & vnguento ſiccanti & tergenti obduci debent. Ipſe vero penis ſi fluxione tentabitur, vel præſenti inflammatione dolebit, vel eius periculis erit expoſitus, vt ab iis vindicetur, ſpleniis linteoliſve in oxycrato, aut in aquis refrigerantibus & repellentibus irrigatis obuoluetur, atque identidem irrorabitur quandiu fluxio, inflammatio & dolor negotium faceſſunt. Qui impuro corpore ſtatim curationis initio penis vlceribus acria vnguenta inducunt, aut pulueres cathæreticos inſpergunt, fluxiones, inflammationes, & dolores implacabiles efficere ſolent: vnde ſe vix æger expediat. Præſtat igitur dum toti corpori adhibetur prouiſio, vlceratæ parti lenioribus medicamentis adblandiri. Extincta enim mali radice, omnia omnium

mnium partium vlcera, quæ eius ſunt ſoboles, leuiſſimis topicorum adminiculis, aut etiam ſponte conſaneſcunt. Quæ ſerpunt à lotione, oleo myrrhino fouenda ſunt, dein vnguento obducenda, quo gliſcens pernicies infringatur. Cuiuſmodi eſt quod ſic habet:

℞ Terebinthinæ lucidæ ℥ j. eluito aqua plantag. dein hydrargyri ſemunciam in ea extinguito, his poſtremo adde pulueris tenuiſſimi plumbi crudi ʒ ij. myrrhæ electæ, maſtiches pulueratæ, vtriuſque ʒ ß. olei myrrhini quod ſatis erit ad vnguenti craſſitiem.

Oleum è ſulphure elicitur arte chemica, quod citra morſum vlcera maligna ſiccando ac tergendo perſanat.

Quatuor hæc præſidia abunde ſatisfecerint vlceribus, quæ callum nondum contraxerint. Nam quæ ante cœptam curationem occalluerunt, cathæreticum præterea poſtulant, quo, quicquid vel durum, vel calloſum extiterit, abſumatur. Chirurgorum vulgus mercurii puluerem alias ſolum, alias quibuſdam vnguentis & oleis remiſtum adhibere conſueuit. Quod remedii genus, vbi eſcharotici vſus incidit, ſemper mihi placuit, quo non ſolum ſordes craſſiores detergentur, ſed etiam callus exeſtur, & gliſcens pernicies cohibetur, nullo aut minimo dolore, ſi rite conficiatur, abſque ſeparationis aqua, aut cum ea paratus puluis recte cicuretur.

Sed in curandi initiis, quum maxime fluxionum & inflammationũ materies reſecanda eſt, non niſi temerario conſilio vſurpatur cuiuſmodi vulgo circumfertur. Sic autem præparari & cicurari debet,

Pulueris vncia, aquæ plantaginis ℥ ij. biduum maceretur, dein aqua abiiciatur, tum aqua vitæ additur, ac ſuccenditur: rurſum aqua plantaginis imponitur, quæ poſt bidui macerationem effunditur, ſiccatus denique puluis ad futuros vſus reponitur. Callos exterit & hyperſarcoſim ſine morſu exeſt.

Alii pleriq; Ægyptiaco aliove cathæretico medicamento pro corporis partiſque natura temperato & tanquam eneruato curationem moliuntur. Quum autem vel interior præputii pars, vel balani exterior vlcere tenetur, aut ſimplici, aut cum inflammatione coniuncto eadem ablutio vtilis eſt, & ſi glans detegi poteſt, vnguentum aliquod citra morſum ſiccans ac tergens. Sin præ tumore phymoſis conſequuta vnguenti adhibitionem impedit, eiuſdem aquæ perfuſio olei myrrhini inſtillatio bis die repetita, & refrigerantium extrinſecus adhibitorum vſus ſatis opitulantur, dum cauſis decocti & alexipharmaci beneficio ſublatis, inflammatio tumor & vlcus euaneſcant & diſſipentur.

Ioannes Fernelius plumbi crudi puluerem cũ ſemperuiui & plantaginis ſuccis ex ſpleniis imponebat inflammatis vlcerib. malignis, dum inflammatio ſerpenſque pernicies internis remediis cohiberentur.

Quæ in reliquo corpore ex venereo complexu ſubnaſcuntur vlcera, eo expeditiorem ſanationem percipiunt, quo partes ad reſiſtendum firmiores, & ad repellendam fluxionem vegetiores prehenderunt. Eſt autem in omnibus vlceribus venereis tutiſſima ac compendioſiſſima ad ſalutem via, qua topicis præſidiis generalia & interiora, quæ mali fermen-

ſermentum funditus euellunt, ipſamque fluxionis ſcaturiginem exhauriunt, coniunguntur. Qui ſolis topicis, vel minima luis vitia tollere contendit, plerunque ſine vllo valetudinis fructu, magno cruciatu & diſpendio ægrotantes diuexat, ac luis virus clanculum in viſcera obrepere ſinit, quod breui ſe proferat. Superſunt ex ſymptomatum numero dolores, tophi & caries oſſium, de quibus iam dicendum.

De inveteratæ lvis venereæ ſymptomatis. Cap. VI.

Mvlta lui inueteratæ ſymptomata ſuperueniunt, quorum non aliud dolore moleſtius. Hunc diximus raro in articulis, ſæpe in mediis artubus, aut in capite & pectore excitari, & noctu multo quam interdiu grauius inſoleſcere ac ſæuire: & his notis ab aliis internoſci doloribus, qui à ſimplici fluxione proficiſcuntur. Huius cauſa non ſimplex vlla intemperies, ſed frigidi pituitoſique humoris circum perioſtia aliaſve ſentientes partes venerea labe infectas congeſtio cenſetur: quas, dum malignitatis ſuæ ſtimulis ferit, vellicat atque compungit, aut certe copia diſtendit, cruciatus acerbiſſimos parit, qui veſperi (quo tempore pituita moueri dicitur) inuadentes atque ferocientes, aliis quidem ad mediam noctem, aliis autem ad auroram vſque producantur & perdurent, interdiu autem remittant vel prorſus intermittant. Quo ſerenum magis ac lucidum cœlum eſt, & quo victus ratio frugalior & continentior, hoc mitius cum laborantibus agunt: quo vero vdum ac pluuium magis, quoque liberalior vitæ lex

& mollior, hoc crudelius angunt ac diſcruciant: quo fit, vt fere noctes inſomnes traducant his obſeſſi, interdiu vero dormiant.

Quanquam autem partes omnes venerea labe aſperſæ, deprauata coctione excrementa multa, cruda ac pituitoſa colligunt, vnde doloris origo: fere tamen fit, vt in capite frigido & humido multo plus ſuccreſcat, quam propriis eius conceptaculis contineri aſſeruarique poſſit. Hinc eius portio ſecundum pericranium in dentes & maxillas, vel etiam ſecundum ceruicis membranas & muſculos in ſcapulas & omoplatæ articulum, ſæpe & in thoracis externas partes influat, vnde ſæuiſſimi cruciatus cieantur. Quemadmodum & è viſceribus ac venis natura vegetior multa in inguina, aut alias externas corporis partes diſiicit, vnde dolores fiant intolerabiles, noctu omnes quam interdiu ſæuiores, ſi cæca ineſt luis venereæ pernicies. Sed hi à fluxione dolores venerei in recenti morbo potius, quam in recidiuo vel in inueterato deprehenduntur. In his enim fixi fere ſunt dolores omnes, & in parte aliqua obfirmati ab eo excremẽto quod pars maligna labe perfuſa collegit, ac fere tophis impliciti.

Venereus dolor in recenti morbo ſæpe vel ſpõte diuaneſcit, vel certe ſedem mutat, humore cuius erat ſoboles, aut à natura concocto abſumptoque, aut liquato & in aliam partem effuſo. At in ea quæ in vetuſtatem abiit, vel reuerſione torquet, vix vnquam ſponte ſoluitur. Nam & naturæ vires morbi diuturnitate elanguerunt, & doloris cauſa craſſa & lenta eſt, atque inter oſſa & membranas fere abſtruſa, aut etiã in ſcirrhoſum tophum indurata.

rata. Itaque in morbo recenti, ſi legitima quam deſcripſi curatio adhibetur, quoniam ad octauum, aut quod longiſſimum eſt, ad duodecimum curationis diem dolores omnes venerei funditus delentur, nulla fere remedia topica & externa vſurpari ſolent. Si tamen placet iis ægroto adblandiri, omnia ſunto rarefacientia, digerentia & relaxantia. Huius generis ſunt oleum chamæmelinum, liliaceum, anethimum, irinum, butyrum ſalis expers, & cum iis lana ſuccida. Validiora ſunt oleum è cera, oleum è butyro, oleum è ſemine ebuli, & terebinthinæ, atque eius claſſis reliqua. Ad hæc fotus, cataplaſmata & vnguenta innumera, cuiuis medico exercitato perſpicua.

Deterſo ſudore pars iis tepentibus illinitur, lana ſuccida ſuperdatur, ac linteolo comprehenditur, alioqui fotus rarefaciens, laxans ac diſcutiens adhibetur, dein reſiccatæ atque illitæ parti emplaſtrum aliquod imponitur, quod humorem ei inpactum euacuare, atque in halitum digerere poſſit. Cuiuſmodi eſt quod ſic habet:

℞ Gummi, pini emplaſtri de mucaginibus, vtriuſque ℥ j. rad. ireos florentiæ & hermodact. vtriuſque ʒ j. Fingito emplaſtrum adiecto oleo è cera aut irino, aut è chamæmel.

In lue inueterata acerbiſſimus dolor in parte etiam obfirmatus leuiſſimis hiſce præſidiis, & luis curatione quam ſupra poſui, profligari ſolet, vt idcirco validioribus minime opus eſſe videatur. Adſcribam tamen & alia potiora, in eorum gratiam, qui remediorum varietate gaudent, quibus locus erit in nodoſis luis tumoribus, crudeliſſimo dolore diſtorquentibus, vt vna & eadem opera, &

dolor leniatur, & ſcirrhoſus tophus emollitus digeratur.

℞ Rad. altheæ & liliorum ſem. lini & fœnigræci, ſingulorum ℥ j. ß. maluæ, violariæ, parietariæ, acanthi, chamæmeli meliloti, hyſſopi, anethi, artemiſiæ, ſingul. M. j. ſem. fœnicul. ℥ ß. fiant duo ſacculi, qui in aqua aliquantum bulliant, adiecta ſub finem vini albi parte quarta.

Foueatur tumor ſcirrhodes bis die, mane & ante cœnam horam vnam, dein reſiccatus locus oleo, quod è cera aut butyro ſalis experte extractū fuerit, illinatur. Mollit enim vtrumque & digerit inſigniter. Conducit & thuris oleum, & vnguentum paratu facile, quod ſic habet:

℞ Mucaginis ſem. altheæ, lini & fœnigræci extractæ in aqua ſaluiæ ℥ j. ß. gummi ammoniaci ſtillatitio vini liquore, quem œnoſtagma dicunt, diſſoluti ℥ ß. olei liliorum, butyri ſalis expertis, vtriuſque ℥ j. ß. fiat linimentum.

℞ Rad. bryoniæ crudæ ℥ ij. ſigilli mariæ crudi ℥ iiij. axungiæ porci veteris ℥ vj. croci ʒ ß. fiat cataplaſma, applicetur poſt vnctionem.

Vel ſic:

℞ Sigilli mariæ crudi, axungiæ porci, vtriuſq; ℥ iiij. croci ℈ j. fiat cataplaſma.

Vel ſic:

℞ Sigilli mariæ ſiccati & puluerati ℥ j. rad. ireos florentiæ & hermodactill. vtriuſque ʒ ij. gummi ammoniaci, ſagapeni, galbani, aſſæ fœtidæ in aceto & œnoſtagmate liquatorum & colatorū ſingul. ℥ ß. gummi elemi ℥ j. ceræ ℥ ß. olei irini & axungiæ porci, vtriuſque q. ſ. paretur ex his emplaſtrum. Multa ſane antiquitas tum cataplaſmata, tum

Digitized by Google

tum emplaſtra ad remolliendos, digerendoſque ſcirrhos atque dolores hinc natos profligandos, quæ in hunc locum referri poſſunt, commendauit: ſed haud ſcio an vllum hoc euporiſto & vernaculo cataplaſmate, quod è ſigillo & axungia porci paribus fit portionibus, inueniri poſſit, non in venereis ſolum, ſed in aliis etiam frigidis tumoribus induratis efficacius. Eſt enim tam excellens & ad tenuandum, & ad digerendum vis in ſigillo, vt nulli medicamento (quod ante adhibuerim) non poſſit anteferri, cui duabus de cauſis adeps ſuillus permiſcetur, partim vt aliquatenus digerendi facultate repreſſa, quum diſcutiendo ſatis eſſe non poſſit, impenſius emolliat, partim ne ſua acrimonia morſuque cutim tenellam vellicet. Emplaſtra tamen quia ſunt puriora & minus inquinamenti relinquunt, ſæpe magis arrident. Quod ſuprapoſitum eſt, efficaciſſimũ exiſtit, velut & quod ſic habet:

℞ Gummi, pini ammoniaci ſtillatitio vini liquore ſoluti vtriuſque ℥ j. ladani, ſtyracis, calamitæ, ſucci laſeris ſingul. ʒ j. ſubigantur ſimul addendo radicis iridis florentiæ pul. hermodactyl. vtriuſque ʒ j. ß. gummi elemi ℥ j. rad. ſigilli mariæ ad ſolem ſiccatæ & læuigatæ ℈ iiij. conficiatur arte emplaſtrum addendo olei è cera extracti, vel ſi eius copia non ſit, olei liliacei q. ſ. erit. Applicetur ſcirrhoſo tumori poſt fotum & vnctionem ex oleo, quod è cera aut butyro manarit. Si vncia argenti viui in ʒ ij. terebinthinæ & axungia ſuilla extincti adiiciantur, validius erit præſidium. Horum remediorum loco vulgus emplaſtrum Ioannis Vigonii cum mercurio vſurpare conſueuit.

Aliud.

℞ Galbani, gummi ammoniaci vtriuſque ℥ j. œnoſtagmate & aceto eliquentur, dein adde gummi pini ℥ j. emplaſtri de mucag ℥ j. ß. rad. ireos & hermodactyl. pul. vtriuſque ʒ j. ß. ſubigantur in emplaſtrum.

Hanc topicæ medicationis ſyluam potui multis exemplis & concinnis deſcriptionibus reddere pleniorem, ſed dedita opera, quo eſſet oratio conciſior, me repreſſi.

Fruſtra enim in externis remediis ſymptomatum luis venereæ leuatio quæritur, niſi primarii morbi, cuius ſoboles & germina exiſtunt, deſcripta curatio vno & eodem tempore adhibetur. Si caput externis doloribus & ſcirrhoſis tumoribus diſtorquetur, deraſis capillis ſudoribuſque deterſis, huic calfaciente, attenuante & digerente remedio ſuccurrendum eſt, quo craſſus & lentus humor circum pericranium collectus colliqueſcat ac diſſipetur, cuiuſmodi eſt quod ſic habet:

℞ Piperis, pyrethri, nucis moſchatæ, caryophyl. macis, ſingul. ʒ j. rad. iridis florentiæ pul. calami aromatici vtriuſque ʒ j. ß. ſem. fœnicul. aniſi, cumini, ſingul. ℈ iiij. foliorum ſiccorum mentæ, roriſmar. ſaluiæ, betonicæ, ſtœchadis, origani, tragorigani, anethi, maioranæ, calamenti, thymi, pulegii, florum roriſmar. chamæmeli, lauendul. ſingulorum p. j. ladani, ſtyracis calamitæ, ſucci cyrenaici, ſingulorum ℥ j. olei communis, aquæ vitæ, vtriuſq; ℔. ij. ponantur omnia in olla noua, plumbo intus illita, recte obturata, quæ fimo equino dies viginti ſepeliatur, dein oleum exprimatur, & in vſus recondatur. Hinc petroleum, & oleum è tere-

terebinthina extractum, interdum miſcentur euaditque præſtantius, vt diſſoluto in eo moſcho fragrantius.

Axungia humana in œnoſtagmate lota, & oleo è ſaluia elicito confuſa, ſuperiori deſcriptioni haud concedat.

℞ Emplaſtri de meliloto & de mucaginibus vtriuſque ℥ j. gummi ammoniaci in aqua vitæ liquati ℥ j. ſucci cyrenaici, ladani, ſtyracis calamitæ ſingulorum ʒ iij. nucis moſchatæ, piperis, caryophyl. macis ſingulorum ʒ j. ß. ſinapi in aqua vitæ & aceto horis viginti macerati, & quam leuiſſime ſubacti ℥ j. Ex iis omnibus cum oleis è ſaluia & è terebinthina ſubactis atq; remiſtis fiat emplaſtrum, affundendo terebinthinæ quantum par eſt, vt iuſta ſit craſſities & emplaſtri tenacitas.

Huius aliquota portio ſuper alutam extenſa capiti ſudore profuſo & deterſo, poſt vnctioné quotidie mane applicetur. Nam inter ſudandum parum commode meatus & pori cutis obturantur. Iſtorum vſus continuandus vna cum decoctis ſuprapoſitis & opiata, dum & tophi & dolores omnes deliteſcant.

DE TOPHIS VENEREIS. Cap. VII.

Tvmores venereos, qui oſſibus adnaſcuntur, non in articulis, ſed in mediis artubus, atque internodiis fieri docuimus, & doloribus noctu quam interdiu vehementioribus affligere. Hos duriſſimos ac maxime ſcirrhoſos eſſe omnibus notum eſt, præterquam in his qui hydrargyri litum ſæpius pertulerunt, aut valde pituitoſo ac frigido

ſunt corporis habitu, in quibus non raro œdematoſi deprehenduntur. Cauſam diximus pituitoſum excrementum inter oſſa & perioſtia (quorum functiones naturales luis fermentum labefactat) aut etiam in ipſorum oſſium meatibus, & poris maligna congeſtione cumulatum. Tumor quidem per initia ſæpe paruus adeo, atque obſcurus eſt, vt vix digito notari deprehendique poſſit, etiamſi dolor preſſu exaſperetur. At (ſi diutius differtur curatio) ſic ſenſim increſcit, vt plerunque in ingentem molem attollatur, atque in ſcirrhum induretur. Iam vero ſæpe fit, vt quibus fermenti venerei virus in cutim viam affectans, intro ad viſcera, & ad partes ſolidas argenti viui litu repulſum, atque repercuſſum eſt, noxia materia in oſſium poris colligatur, atque in tumorem attollatur. In his dolor non prius vrget, quam humor perioſtium attingat, feriat, compungat, vellicet, atque ab oſſe diuellat. Ideoque ſtatim doloris initio, tumor fere tactu percipitur, qui non ſolum oſſi adhæret, vt in aliis, ſed oſſeus totus fere eſt, oſſis ipſius ſubſtantia, ab humore, quo imbuta & perfuſa erat, dilatata atque in tumorem diffuſa. Quod ad curationem attinet, ſolis topicis nihil aut parum proficitur. Quippe venenum partibus ſolidis inſertum, remediis internis oppugnandum, atque ſudoribus digerendum eſt, ſi breuis & minime fallax curatio quæritur. Materia quidem, quam diximus inter oſſa & perioſtia colligi, quamlibet lenta ac craſſa ſit, curatione, quæ ad luem inueteratam tradita eſt, & remediis topicis capite ſuperiori deſcriptis, emollita, attenuata atque liquefacta, ſenſim diſcutitur, tumore prorſus tandem diuaneſcente.

Digitized by Google

te. At in oſſeo tumore, ea curatione venenum quidem profligare, & dolores omnino ſummouere licet, ſed tumorem plane digerere haud conceditur, quin pleriſque in omnem vitam remaneat, ſed qui, quum nec dolore, nec vlla alia moleſtia excruciet, nec candens ferrum, nec cauſticum medicamentum, nec ſcalpellum requirat.

Frequentiores autem ſunt nodoſi ſcirrhi in inueterata aut recurrente lue, quā in recenti: Quum enim fomitis venerei nonnihil, ab imperfecta luis per hydratgyrum curatione in ſolidis partibus, atque in ipſis (vt dicunt) oſſium medullis relinquatur, cuius maleficio, concoctio, & aſſimilatio, deprauentur, multa excrementa aggeri, aceruarique neceſſe eſt: omnia quidem pro partium conditione, craſſa & lenta, quæ inter oſſa & perioſtia intercepta, non modo dolores implacabiles cient, ſed etiam in ſcirrhos, non tamen ſenſus expertes, concreſcunt, qui oſſium duritiem adæquent, atque ementiantur. In recenti vero lue, tenuiora quum ſint excrementa, quæ expultrix facultas adhuc vegeta in cutim amandat, non ſcirrhoſi tumores circum oſſa; ſed in cute tubercula, ecthymata, exanthemata, ſcabies, maculæ, pilorum defluuium, aliaque cutanea ſymptomata fieri ſolent: aut certe dolores huc atq; illuc peruagantes, quum humor nondum parti alicui obfirmatus eſt, ſed fluxione in varias oberrat. Quod ad partes attinet, in tibia, in fronte, & reliquo capite, in clauiculis, coſtiſque, & in manuum digitis, crebro adnaſcuntur tophi venerei, quibus in locis pus inſit necne, tactus facile diiudicat. Sæpe etiam in femore oboriuntur, & multo quam in aliis partibus maiores, ſed qui ta-

men in craſſo & obeſo corporis habitu, propter ambientem muſculorum craſſitiem, ad ſuppurationem feſtinent, necne, aut pus iam habeant, non facile tactu perſpici poſſit, vt neque in humero, neque in aliis partibus, vbi carnea moles tactum fallere poteſt. In his igitur, quum dolor iuſtis remediis diu obluctatur, atque repugnat, pus, atque etiam forte cariem ſubeſſe coniicimus, cui viam cauterio moliri ſolemus. Neque vero in externis duntaxat oſſium partibus nodoſi tumores venerei gignuntur, ſed etiam in internis, vbi neq; tactu percipi, neque alio ſenſu explorari poſſunt, velut in concaua caluariæ parte, quæ meningas ſpectat, in internis coſtarum partibus, & inter tibiæ oſſa: qui ſi negligantur diutius, tenui, ſed maligna ſanie, oſſium ſubſtantiam ſubeunte, oſſa ipſa tandem perforari, carie tentari & corrumpi videas, atque vicinas partes contagione infici, velut in capite fieri obſeruaui in quibuſdam, qui poſt diuturnos capitis dolores, quorum cauſa intus lateret, magnam puris copiam per nares reddiderunt. Et in aliis, qui quum diu continuata iuſta curatione, non reſtituerentur, cranium terebello aperiendum curauimus, quod putre, carioſum, & ſubiectis meningibus liuidis ac ſemiputridis adhærens deprehenſum eſt. Sed hoc iis duntaxat contingit, qui olim à lue venerea hydrargyroſi vindicati putarentur, non qui decocto guaiacino, & alexipharmaco curati fuiſſent. Quum igitur dolor diuturnus, à venerea colluuie olim fucatis remediis repreſſa, vel in capite, vel in pectore, vel in alia parte recurrit, qui interdiu intermittens, noctu acerbiſſimos cruciatus excitat, neq; vulgaribus remediis, quæ alios dolo-

dolores ab intemperie, aut humore minime venenato, profectos tollunt, diu ac methodice continuatis cedit, ſed contumaciter obſiſtit, atq; obluctatur, niſi illius cauſam oſſibus & perioſtiis extrinſecus inhæreſcere, deprehendas, perioſtia interna venéreo, eoque ſcirrhoſo tumore obſeſſa, putato: præſertim, ſi vel lues venerea, vel bubo, vel gonorrhœa, vel pudendi vlcus, diu olim afflixit, cui hydrargyri litu, curatio adhibita ſit.

Hîc luis curatio ſupraposita continuari debet, donec doloris cauſa, in totum ſublata, dolor ipſe diuanuerit, quod in aliis vno, aut ad ſummum altero menſe fit, in quibuſdam vix integro trimeſtri. Quod ſi per vires aſſequi non licet, aut ſi dolor reuertitur, per interualla remedia repetenda, vel certe curatione abſoluta, caluaria, qua parte dolor ineſt, terebello perforanda, vt exitus venenatæ ſaniei comparetur. Seruanda diu idonea vitæ lex, & decocta quæ ſudorem cient, vna cum alexipharmacis, quæ veneream perniciem domant, & extinguunt, vere ſaltem & autumno iteranda, donec prorſus reſtituta ſit priſtina valetudo, omniſq; reuerſionis metus abactus. In recidiua lue, ſic oſſibus bellum indixit venereum virus, vt ſi ſinitur, in ea inceſſanter agat, dum corruperit: & quemadmodum à veteribus literis proditum eſt, aliquando fulmen dura quæque confringere ac diſrumpere, mollibus illæſis, ſic certe venereum venenum, illæſa & integra cute, atque interdum etiam muſculis, oſſa ipſa putredine miſere vaſtat, atq; depopulatur, niſi mature occurritur, longiſſima atque interdum etiam repetita per guaiacum & alexipharmaca, aut per ſarçamparrillam curatione.

Et quo quiſque ſucci melancholici plus habet, hoc longiori remediorum vſu indiget, in omni luis reuerſione. Sæpe in iis, qui quum frigido & humido eſſent corporis habitu, ſæpius tamẽ crudeliſſimam illam, quæ per hydrargyrum fit, curationem pertuliſſent, molles, & flatulentos tumores vidimus in recidiua lue, qui non modo medios artus, vt in recenti, & in reuerſione, quæ curationem per guaiacum decoctum excipit, ſed ipſos etiam articulos, maxime vero cubiti articulum, genua & pedes infeſtent, qui alias meliceridis, alias atheromatis, aut ſteathomatis ſpeciem exhibeant.

Hos non tam luis venereæ peculiari naturæ, ac propriæ affectioni, quam argenti viui noxæ, acceptos refero. Quum enim crebriore illitu, articulorum robur, & caloris inſiti vim diſſoluat, atque partium omnium coctiones labefactet, præſertim vero in frigidis naturis, cruda multa & flatus in corpore ita illito ſuccreſcunt, vnde plumbea ac ſubtumida facies, & anaſarca, & fluxiones, aliique affectus ex cruditate orti, originem habeant, qui præcipue in articulos, quorum robur diſſolutum eſt, impetum faciunt. Itaque in quadratis, ac bene cõſtitutis corporibus, quæ hydrargyroſim non tulerint, & lue prehenſa, opportune remediis vtuntur conſentaneis, vix vnquam circum oſſa tumores venereos incipientes molles reperias, in aliis aliquãdo, ſed qui multo minori cruciatu, quam ſcirrhoſi fatigent, & citra hydrargyroſim melius tutiuſque guaiaci, & amuleti vſu profligentur; non neglectis topicis præſidiis, quæ attenuent, diſcutiant, ac ſiccent, articuloſque corroborent, fotus, litus, cataplaſmatis & emplaſtri ſpecie, quæ quum antea

antea deſcripta ſint, non eſt neceſſe repetere. Falſum eſt, quod à quibuſdam tradi video, humorem qui maligna congeſtione circum oſſa colligitur, atque in tophos ſcirrhoſos induratur, alias pituitoſum, alias melancholicum, interdum etiam bilioſum, aut ſanguineum eſſe. Semper enim pituitoſus exiſtit, quod indicat curatio, quæ guaiacino decocto, & alexipharmaco, citra topicorum ſuppetias, fieri poteſt. His enim attenuata, liquata, abſumptaque pituita, tophaceus tumor ſenſim minuitur, dum funditus eximatur, quum ſcirrhi à melancholico humore, aut bile vix vnquam radicitus tolli poſſint, & curatione eiuſmodi ſic exacerbentur, vt in cancrum immedicabilem degenerent. Interdum quidem pituitoſa, interdum melancholica, aut bilioſa exiſtit noxia materia, quam natura vegetior è venis, & viſceribus in inguina, ad bubonum, vel certe in cutem ad tuberculorum, ſcabiei, macularum, defluuii pilorum, aliorumq; cutaneorum affectuum generationem deponit & expurgat: verum hæc vix vnquam circum oſſa in ſcirrhos concreſcat, ſed ea duntaxat, quæ labefactata partium ſolidarum coctione, maligna cōgeſtione circum eas ſenſim ſuccreſcit, quæ omnino alba, pituitoſa, & frigida exiſtit, velut & partes quarum cenſetur excrementum.

Qui deſcripta luis curatione, & remediis topicis opportune adhibitis, non diſcutitur ſcirrhoſus tumor oſſi adnatus, ſuppurare ſolet, niſi oſſeus eſt: ægre quidem in frigidis, facile vero ac cito in calidis & humidis naturis. Suppurationis autem ac cariei in oſſe iam contractæ fidiſſimum argumentum ex tactu petendum, qui ſcirrhoſum to-

phum in pus emollitum, ſibi cedere deprehendit, & forte etiam in oſſe cauum notat. Accedit & aliud ſignum ex dolore, qui, quum non ita pridem acerbiſſimus eſſet, nulla forte adhibita curatione remiſit. His ergo notis ſcirrhoſo tumori ſuperuenientibus, ne putredo oſſiſque corruptio altius ſerpat, ſcalpello aut cauſtico medicamento, aut ignito ferro, puri ſtatim molienda via eſt, oſſiſque caries tandem ferro abradenda. Durus vero tumor, qui ſupraposita curatione diu continuata, ſenſim ac ſine moleſtia digeri poteſt, non niſi temerario conſilio chirurgia tollitur, velut & qui ſtatim ortus ſui initio, mollis eſt, vbi nec pus, nec alia materia puri reſpondens, ſed cruda pituita, & flatus inſunt, qui diuturna ſudorum profuſione, in vaporario tolerata, & topicis ex ſiccanti, attenuanti, ac digerenti materia, obſequuntur & obtemperant. Ignaris igitur, & lucro inhiantibus, qui multo cruciatu venereos tumores, in quib. nullum pus ſubeſt, temere inurere, aut ferro aperire ſolent, minime acquieſcendum. Eos diximus, qui neglectis alexipharmacis per hydrargyrum curantur, morbi reuerſione ſolere tentari, doloribus nocturnis ac nodoſis ſcirrhis præcipue moleſta: quæ ſymptomata, etſi guaiacinis potionibus & alexipharmaco, ita profligari ſoleant, vt æger prorſus expeditus & percuratus eſſe videatur: ſæpe tamen denuo reuiuiſcunt, germinantque, in aliis quidem poſt menſes aut annos aliquot, in aliis quotannis, quum reuerſiones quæ curationem per guaiacum & alexipharmacum conſequuntur, eadem ſemel repetita, ſic tollantur, vt nunquam poſtea recurrant. Cuius rei cauſa, ab hydrargyro petenda, qui tam alte venereum

Digitized by Google

nereum virus in partium ſolidarum ſubſtantiam inſerit, & obfirmat, tamque contumax reddit, vt ne repetita quidem ſæpius curatione, quæ luem recentem ſemel adhibita radicitus eximeret, prorſus euelli queat, tantum abeſt, vt hydrargyroſi denuo tentata deleri, extinguique poſſit. In his tam contumacibus, tamque ſæpe rediuiuis nodoſis tumoribus, dolore acerbiſſimo fatigantibus, ſæpe ſarçeparrillæ vim guaiaco ſuperiorem obſeruaui, atque adeo ſtrenuam, vt eius ſolius decocto diu continuato aut vere, aut autumno repetito, complures, quos dolorum & tophorum diuturnitas, aut frequens reuerſio ſic tabefecerat, vt nunquam reſtitui poſſe crederentur, prorſus tandem liberatos, atque perſanatos viderim. Ex iis qui tam crebro, dolorum ac tophorum reuerſione diſcruciati ſunt, vnum & alterum adnotaui, quibus magna ex parte, cranium putredine ſenſim exeſum, atque fruſtulatim tandem euulſum eſt, citra febrem effatu dignam. Adhibitis optimis quibuſque remediis topicis, non prius oſſis putredo cohiberi potuit, quam gliſcens occulta venerei veneni pernicies, ſolidis partibus impreſſa, tenui victu, & diu continuatis potionibus guaiacinis cum alexipharmaco, extincta ſit. Horum alter etiamnum ſuperſtes eſt, in quo ea capitis pars, quæ pilis tegitur, cranio orbata eſt, & quam mollem, ac pulſantem tactu deprehendas. Alterum vero quatuor annis ſalubriter exactis, capitis dolor quo loco pars cranii ſupererat, rurſum prehendit, nec multo poſt putredo, quæ non ſolum cranium, ſed etiam meningas, & cerebri ſubſtantiam vaſtans, ſordidæ ac miſeræ vitæ, quum ad cerebri ventriculos ventum

eſt, finem impoſuit. Quinetiam alium vidi iam ſexagenarium, qui quum triginta annos ab hydrargyroſi, nullo luis venereæ ſymptomate rediuiuo, cum vxore pudica ſalubriter vixiſſet, dolore tandem, ac nodo venereo, in humeri oſſe correptus eſt, à quo quum nullis auxiliis leuaretur, adhibito cauterio os carie ac putredine exeſum inuentũ eſt, morſq; conſequuta.

Cuiuſdam etiam curationi interfui, quem poſt xx annos, ab ea curatione, quæ per hydrargyrum fit, faucium vlcus repente inuaſit, quod columellam, tonſillas, ac palati baſim, celeriter depopulatum eſt, priuſquam ſe lue olim laboraſſe fateri, ac remedia ſubire voluerit. Huic potus & ſorbitiones per nares remeabant, velut fieri ſolet in aliis omnibus, quibus columella & palati baſis vlcere periere. Vlcera tam fœda tamque ſerpentia, potionibus guaiacinis, alexipharmaco & gargariſmatis perſanata fuere, & æger xxv. diebus in integrum reſtitutus.

Nobilem fœminam ſuperioribus diebus inuiſi, cui ſexto anno poſt hydrargyroſim dolor ad humeri os exortus eſt, ac tandem tophus, qui neglectis aliquot menſes remediis, admoto cauterio ſuppuraſſe, & os carie ac putredine contaminaſſe compertus eſt, illæſis partibus vicinis, integraque cute: quod non multo poſt, ſerpente magis ac magis putredine, vna cum pure quotidie vel exire, vel educi videre licet: adeo vt duo duntaxat humeri extrema ſuperſint, quum tamen vnicum in parte ſit vlcus, quo ſe pus & oſſis fruſtula expurgant. Alios complures, quibus vel in capite, vel in tibia, vel in clauiculis, vel in alia corporis parte, nodoſos

ſcirrhos ſuppuraſſe deprehendimus, eadem curatione triginta aut quadraginta ad ſummum dieb. vſurpata, & remediis topicis, aliis vlceribus communibus, percuratos vidimus.

Atque, vt in pauca conferam, quemadmodum venereus tophus, qui recenti lui, aut recidiuæ, quæ curationem per guaiacum ſequitur, ſuperuenerit, ſæpe in calidis & humidis naturis, ſi diutius curatio differtur, ſuppurat, in bilioſis vero rarius, in melancholicis autem rariſſime: ſic in illis quidem adhibita curatione cito ac facile: in his vero ægre ac multo tardius digeretur. Ad hæc in illis ſemel deſcriptis remediis omnino ſublatus vix vnquam, in his ſæpe reuertitur, præſertim ſi hydrargyroſis, quæ venenatam luis perniciem intro reprimit, præceſſerit.

Quum autem tumor omnis venereus vel maximus, & duriſſimus, ſi ſine pure, & oſſis carie, aut dilatatione conſiſtit, traditis antea remediis, ſine cauterio, aut inciſione ſenſim emolliri, digeri, atque diſſolui poſſit, in eum neque ſcalpelli, neque cauterii vſus incidit. At ſi pus, aut oſſis caries ſubeſt, chirurgia quæ ab Hippocrate & aliis veteribus in abſceſſibus, & vlceribus, quæ cum oſſis carie conſiſtunt, præſcribitur, vna cum remediis internis ad luem deſcriptis, neceſſaria eſt. Iam vero ſi ſublatis omnibus luis ſymptomatis, tophus venereus cõtinuatis præterea integrum menſem remediis, non tollitur: ſiquidem doloris protſus expers & inſtar oſſis durus, chirurgia & omnis alia curatio aliena & ſuperuacanea eſt. Forte enim oſſis ipſius ſubſtãtia in tumorem diffuſa atque elata, nec digeri, nec in pus verti poteſt.

DE BVBONE VENEREO. CAP. VIII.

BVBO omnis inflammatio eſt, in adenum locis erumpens, maxime vero in ceruice, in aliis, & in inguinibus: quæ, ſi ſtatim augeatur atque ad ſuppurationem feſtinet, peculiari nomine Græcis phyma nuncupatur. Phygethlon autem, ſi inflammatio eryſipelatis, aut hoc illius ſit particeps. Sin paulatim contrahitur & increſcit, & ſcirrhoſior exiſtit, & curationi renititur, ſtruma noſtris, Græcis χοιρὰς appellatur.

Bubo alius ſimplex, alius malignus & venenatus: ſimplex febres conſequitur aut dolores partis alicuius, quæ fluxionem in adenes proritant.

Malignus alius peſtilens, alius venereus. Peſtilens febris peſtilentis veluti quidam eſt character. Venereus luem veneream alias veluti anteambulo, præcurſor & emiſſarius quidã præcedit & prænunciat, alias quaſi ſatelles comitatur. Eſt tamen quum ſine hac affligit & conſaneſcit. De quo (miſſis ſimplici & peſtilenti) quo vno tenore noſtra fluat oratio, differendum eſt.

Eſt igitur bubo venereus inguinis tumor, qui nec ſponte intimoque vitio, nec vllo ſimplici attactu congreſſuve, aut corrupti aeris inductu, ſed impuro duntaxat concubitu contrahitur. Efficiens eius cauſa cenſetur, maligna & venenata quædam labes, quæ concubitu in pene primũ accepta, nonnunquam puſtulis, tuberculis & vlceribus ipſum conſpurcat, ſeque manifeſto prodit, antequam partium continuatione altius in corpus propagetur: nonnunquam vero integro adhuc pene clanculum

culum

culum penitius ſeſe inſinuans, partes inteſtinas primum afficit fœdatque, nullis adhuc notis extrinſecus conſpicua. Quæ ſi exigua infirmiorque eſt, corpus vero ſanum & firmum, humorum vitium atque corruptela parua conſequitur, quam natura ſuis facultatibus tanquam copiis nixa, in partes externas, ac maxime in inguinum laxiora deponit, vnde bubonem venereum naſci contingit. Sin valde impurum ac cacochymum corpus non exigua veneni moles adoritur, tanta fit humorum deprauatio atque corruptio, vt parte in adenas ad bubonis creationem amandata, plurimum in venis aliiſque interioribus partibus ſuperet, quod in corporis habitum transfuſum, pilorum defluuium, maculas, tubercula, dolores indubitata luis venereæ ſigna proferat.

Non immerito autem diſputari hoc loco poteſt, diuerſane ſit ſpecie labes, quæ bubonem venereum ab ea, quæ luem veneream abſolutam inducit: an eam ſpecie quidem conſentaneam, ſola magnitudo diſtinguat. Equidem quum bubones ſæpe complures in inguinibus erumpant, ſummæ peruicaciæ naturæque malignioris, alias quidem vlcere & fœda gonorrhœa ſtipati, alias ſolitarii, quibus nulla lues ſuccedit, quanquam ex vrinis, ex plumbea & liueſcente facie, totoque habitu, & ex aliis complurib. ſignis quoquouerſum ſeſe vitium propagaſſe minime ſit obſcurum: contra vero penis vlcuſculum, aut exiguus bubo, & ad curandum expeditiſſimus, in firmo etiam & bene habito corpore in luem nonnunquam degeneret, veriſimillimum videri poteſt, venenatas qualitates, quarum altera bubonem ſolitarium, altera bubonem

lue ſtipatum progenerat, non ſola vehementia & imbecillitate diſſidere, alioquin quoties maligna illa & venenata labes impuro concubitu contracta, plurima ſe in corpus effudiſſet, ſemper in abſolutam luem, parua vero non niſi in bubonem erumperet. Quod tamen euentis quotidianis & crebris obſeruationibus tanquam aſſiduis & locupletibus teſtimoniis poteſt refutari. Nam & lues venerea leuiſſimis ſymptomatis nonnunquam diu, multumq; ſine bubonum inſultu exercuit, & fœdiſſimi bubones (etiamſi negligentius habiti) non ſemper luem intulerunt. Sed id forte ad particularem corporis cuiuſq; naturam ac præparationem, non ad venerei veneni maiorem infirmioremve perniciem pertineat, quæ non tam in humorum impuritate, quam in occulta quadam & inexplicabili corporis cuiuſquam luem aut recipientis, aut arcentis conditione & natura quærenda eſt.

Humor porro, in quo maligna illa & venenata qualitas ſedem habet, quique bubonis cauſa eſt continens, non purus eſt ſanguis, vt in legitima phlegmone, ſed magna ex parte pituitoſus & frigidior, quales omnes fere humores euadunt, quos huius veneni lues ſemel conſpurcarit. Ideoque in bubonum initiis, neque calorem manifeſtum, neque ardorem, neque pulſationes, neque diſtentiones vehementes (quæ in ſanguineis & bilioſis ſunt perpetuæ) notare eſt, niſi perquam raro.

Signis his innoteſcit, & à quouis alio earum partium tumore diſcernitur.

Impurus præceſſit concubitus, præceſſit & penis interdum tuberculum, nonnunquam vlcus, vel exorto bubone venereo quamprimum erumpunt.

Digitized by Google

punt. Huic ſe malo virulenta gonorrhœa ſæpe attexit, non repente, ſed paulatim fere adoritur, & iiſdem gradibus adoleſcit, cum calore quodam, rubore & pulſu, ſi humor efferueſcit, ſine iis vero ac imprimis per initia, ſi frigidus exiſtit. Neque diuturnos morbos, neque ſine impuro congreſſu violentas exercitationes, quæ fluxiones in adenas protitant, conſequitur, vt ſimplex.

Hic ſiue abſceſſu, ſiue inſenſili reſolutione finitur, niſi rite curetur, neminem à lue tutum ac ſecurum relinquit. Solet quippe venenata illa & pernicioſa labes, dum tumor aut digeritur, aut expurgatur vlcus, in iecur ac partes primarias clanculum irrepere, illicque diu interdum deliteſcere, donec bubone percurato recollectiſque in corpore excrementis, in extimas corporis partes cum illis effuſa, vel pilorum prolapſu, vel maculis, vel tuberculis, vel nocturnis iiſque diuturnis doloribus ſe prodat, idque maxime contingit quum ingens tumor ad ſuppurationem minime feſtinat, ſed celeriter deliteſcit intro curſum inflectens: aut, ſi ſuppuret & abſcedat, ad cicatricem non promouetur.

Curatio bubonis venerei incipientis duplicem (vt phlegmone) ſcopum habet: vnus, eius quod influxit, & aggeſtum eſt, ſublationem: alter, eius quod illapſurũ eſt, interceptionem indicat. Conſtat tamen id, cuius affluxus eſt auertendus, neque frigidis, neq; aſtringentibus aut roborantibus vtiliter poſſe compeſci: quod tamen in inflammationum initiis faciendum eſſe, publica lege iampridem receptum eſt. Sic enim venenum foris intro temerario conſilio repelleretur, & is materiæ adi-

tus, quem natura ſapienter moliebatur, intercluderetur, quem aperire potius, atque promouere conueniſſet.

An vero catharticis & phlebotomia humor influens reuocari, & bubonis curatio maturari debeat, inquirendum. Sunt enim qui ratum firmumque habent, & vſu ſe exploraſſe profitentur, neq; purgationi, neque phlebotomiæ locum eſſe, antequam vel medicamentis, vel ferro, ad puris emiſſionem via ſit aperta. Qui ſecus faxit, non modo bubonis curationem retardauerit, ſed etiam ægrotum in luis venereæ periculum & diſcrimen coniecerit: veneficis ſcilicet humoribus, ex priuatis partibus ad publicas, ex ignobilibus ad principes traductis.

Quæ certe omnia in bilioſis ſanguineiſque bubonibus, qui vel celeriter maturantur, vel hauſto cathartico intro refluunt, laudauero: at quum pituitoſa aut melancholica materia, durum & pene inſenſilem bubonem effecit, vbi neque maturatio, neque reſolutio in propinquo eſt, neque recurſus ad interiora metuendus videtur, ſi plenitudine alterutra corpus tenetur, vtrunque vacuationis genus perneceſſarium exiſtit.

Quum enim veneni pernicie non modo pudenda & inguina, ſed ipſa etiam viſcera (è quibus eo depulſum virus eſt) perfuſa ſunt, quis tam cæcus, & in artis operibus adeo rudis, vt exiſtimet viſcerum totiuſque corporis cacochymiam impuritatemque, vna inguinis particula repurgandam? Itaque quum magna viſcerum eſt impuritas & illuuies, buboniſque craſſior materia tardius mota ſubſiſtit, in ipſis initiis ducere aluum, venam tundere,

dere, & per ſudores & habitus corporis excrementitium humorem digerere expedit, eatenus ne topicorum ſubſidia aſpernemur. Sic enim bubonis curatio, non modo tutior & breuior, ſed & totius corporis conſtitutio laudabilior euadet. Contra, qui neglectis purgantibus topicorum ſolummodo rationem habent, ſibi fortaſſe melius & ſplendidiori cum lucro conſulunt, ſed ipſos ægrotos conficiunt diutius, & grauiſſimis morbis paratiores relinquunt.

In ſanguineo vero & bilioſo bubone, qui ad ſuppurationem ſuopte inſtinctu feſtinat, vacuandi tempus poſt ſuppurationis expreſſionem & deterſionem expectandum eſt. Quod autem vacuationibus corpus in luis diſcrimen adduci conqueruntur & obiiciunt, ex iis quæ ſupra dicta ſunt, quæque ſequuntur, refellitur. Etenim ſi ea veneni pernicies, quæ luem infligit veneream, ab ea quæ vel bubonem venereum, vel gonorrhœam ſuſcitat, ſpecie diſtincta eſt, non autem ſola vehementia & imbecillitate, vt nonnullis placere video, qui fiet quæſo, vt vel purgatio, vel venæ ſectio, quæ luis materiam reſecant, illarum ſpeciem mutet, deprauetq; magis?

Deinde ſi ea, quæ bubonis venerei cauſa eſt malignitas, non inguina ſolum, ſed & venas maiores & corporis interiora peruaſit ſine luis venereæ diſcrimine, quomodo vel purgatio, vel phlebotomia ei luem excitandi facultatem, qua ante carebat, impertiat?

Aut etiam ſi eadem ſpecie labes ſit, & quæ bubonem, & quæ luem committit, quomodo & catharſis & phlebotomia, quæ interdum à iam con-

tracta, ſed duntaxat incipiente lue vindicant, nondum genitam, & tantum impendentem eam inurent atq; infligent? quoniam inter omnes conſtare arbitror, facilius eſſe aduenientem morbum abigere, quam iam admiſſum excludere.

Nihil eſt, quod è catharſi & phlebotomia ſibi metuant, quibus amuletum & guaiacinum decoctum in manu eſt ad ſudores aliquot diluculis exciendos, quibuſcum labes venerea quoquouerſum in cutem diffuſa, vel expiret, vel extinguatur, quod me longo vſu exploraſſe, eaque arte impendentem luem ſecuriſſime anticipaſſe, profiteor.

Quoniam igitur neque ducta aluus, neq; miſſus ſanguis, corpus bubone affectum in luis diſcrimen & calamitatem adducit, ſed ab ea imminenti ſuſpectaque ſecura præcautione, modo alexipharmacum & guaiaci decoctum ad ſudores eliciendos aliquot matutinis exhibeantur, potius eripit, accerſitus ad bubonis curationem, vna opera & quidquid iam genitum eſt atque congeſtum profligabis, & quidquid futurum eſt, anteuertes, maxime in frigidis naturis, in quibus bubo venereus neglecta totius corporis prouiſione, longiſſima ſolet percurrere tempora, luemque tandem infligere. Nam in calidis (vt iam dixi) differre præſtat, donec pus facto emiſſario aliquandiu emanarit. Id autem conſequeris ſi purgato corpore, miſſoque ex alterutra vena interna ſanguine, opiatæ iuſta doſis quotidie mane voretur, hauriaturque guaiaci cremor, vt in cubili corpus inſudet aliquot diluculis.

Sed antequam ad curationem accedam, eorum expendere ſentētiam placet, qui neglecta catharſi,

tantum

tantum aluo per clyſterem ſubducta, ſanguinem non è cubito, ſed ex poplite vel malleolo in plethoricis etiam detrahendum contendunt, nimirum vt ipſi ſentiunt, ſic è viſceribus & venis maioribus in partem affectam & ignobilem materia virulenta pellicitur, quæ ſi in interiores partes ſecta in brachio vena raperetur, ſuſpicionem propagatæ non repreſſæ, amplificatæ non reſectæ luis iniiceret.

Quod bubonis peſtilentis curatione conſtabiliunt, qui, ſi in inguine emerſerit, poplitem aut malleolum: ſin in ceruice aut axilla, brachiorum flexum ſecant, quaſi ſit in omni venenato morbo præcipuum curationis caput, quam longiſſime à corde præſtantiſſimiſque partibus, humoris malignitatem abduxiſſe.

Quinetiam Galeni ſententiam citant, qui de venæ ſecandæ delectu præcepta deſcribens, partes, quæ ſupra renes ſunt, vena in brachio ſecta exonerari prodidit, quæ vero infra hos ſitæ ſunt, his apertis quæ vel in malleolo, vel in poplite ſunt conſpicuæ. Renes inter vtriuſque ambigere, & vtriuſque ſectione, pro variis morborum temporibus, adiuuari. Hæc quam vim habeant, accuratius diſcutiamus. Primum quidem ſi venarum maiorum ineſt plenitudo, eam minime per tenues exileſq; poplitis aut malleoli venas, ſed per ſectam in propinquo loco amplam venam, è qua ſanguis multus facile prompteque effluat, eſſe demendam, iampridem & pronunciatum & receptum eſt. Supereſt igitur reuulſionis aut deriuationis cauſa, qua venæ in poplite aut malleolis ſecentur. At vero ſi qua venenati humoris ſurſum repentis reuul-

ſio aut deriuatio, luis impendentis metu, tentanda eſt, eam in partem bubone obſeſſam ignobilem, & venerea contagione iam inquinatam, dummodo ſit capax, nec metus ſit palyndromes, quam in ſanas molliri multo præſtat. Quorſum enim qui in inguine redundant humores, venereaq; labe corrupti ſunt, in cruris aut tibiarum venas ſectione exhauſtas, & veneni expertes pertrahemus? Itaque ſi copia peccant venarum ſucci, ſecta, vt dixi, in cubito vena minuendi: ſin qualitate moleſti & naturæ graues exiſtunt, purganti medicamento per aluum ſunt excernendi.

Hi vero, qui ſua congeſtione inflammationem pepererunt, aut protinus digerendi, aut, ſi obtineri id non poteſt, maturandi, vt emiſſario patefacto, vel pus ſua ſpōte excidat, vel exprimatur. Nam qui ſecta malleoli aut poplitis vena, è viſceribus veniſque maioribus humorum curſum, impetumque in inguina impendentis (vt dictitant) luis metu conuertunt, dum partem affectam & inflammatam, noua fluxione, nouaque ſarcina impediunt & onerant, eum humorem, qui iam venereo veneno ſcatebat, è bubone in cruris & tibiarum exhauſtas venas proliciunt ac diſpergunt, in quibus reliquus non minus ad luis procreationem momenti habiturus eſt, quam ſi in ipſo inguine reſtitiſſet.

Peſtilentis quidem febris pernicies, ſi magna ex parte à corde (cui peculiariter bellum indixit) in partem ignobilem à viſcerib. longe diſtantem abducitur, ægrum vix interimat. At minimum luis fermentum, ſi vel extremo in pede aut digitulo ſe impegerit, pares incurſiones (niſi mature itur obuiam)

uiam) ac ſi penitiori alicui parti inſideret paremque ſtragem, licet paulo ſerius edit. Argumento ſunt obſtetrices, quæ hac lue infectis parturientib. opem ferentes, non raro à digitis forte exulceratis: & nutrices mammam præbentes pollutis infantibus, quæ à papillis ſæpe luem contraxerunt. Non vt qui ab humorum plenitudine, aut ſimplici eorum putredine fiunt morbi, ſic lues venerea inquinatorum humorum reuulſione aut deriuatione tollitur: ſed ſola eorum vacuatione relictæque in partibus perniciei extinctione. Tutiſſimum igitur ſic ac expeditiſſimum, in eo bubone, qui ad ſuppurationem haud properat, ſi plenitudo ineſt, vena in brachio ſecta, eam curationis initio diminuere: ſin vero nulla inſit, à venæ ſectione abſtinere ac purganti medicamento vti. Nam quod illi verentur, ne ea illic reſerata vitioſi humores ex affecto inguine in iecur venaſque maiores transferantur: ſiquidem inerat plenitudo, fruſtra ſe animo angunt ac cruciant. Preſſa enim natura & ſanguinis multitudine pene obruta, libētiſſime ſe exonerat, nec alimentum, quo copioſiore fruitur, aliunde prolectat. Sed de his iam ſatis, ad id quod inſtituimus, veniamus.

Si recens ortus venereus inguinis tumor celeriter & ſuppurat & percuratur, vlcere cicatrice obducto & purgato corpore, ſat erit aliquot diluculis amuletum præbere opiatæ forma. Sic enim non à ſuſpicione modo, ſed à luis inuaſione æger vindicabitur.

At ſi ingens tumor vel ſolitarius, vel penis vlcere aut gonorrhœa virulenta ſtipatus, lentiſſimo ac tardiſſimo progreſſu ad ſuppurationem aſpi-

Digitized by Google

ret, præcautionis cura & ſolicitudo augenda eſt.

Guaiaci igitur, aut, ſi æger eſt moroſior, ſarçoparrillæ decoctis & amuletis ſudores dies minimũ decem, longiſſimum quindecim aut viginti mouendi ſunt, vt omnis quæ ex bubonis malignitate & contumacia nata erat luis ſuſpicio, eluatur. Præſtiterit autem ſemel die, quam bis, mane quam veſperi hauſto guaiacino decocto in cubili inſudare, vt æger reliquum diei vel negotiis, ſi neceſſe erit, vel iucundis ſtudiis tranſigat: ita tamen vt interim de conſuetis cibis tertias detrahat, & diluto guaiaci, vel ſarçeparrillæ decocto vtatur in paſtu.

Leuiſſimis hiſce præſidiis frigida, craſſa, lentaque bubonis materia incaleſcens & attenuata, breui vel abſcedet, vel digeretur, diſſeminatumq; per vniuerſum corpus virus, cum ſudoribus expirabit: vt ſuadeam in omni contumaci bubone iſta remedia arripere, ſi certa, tuta, & breuis curatio expetetur.

Dum hæc fiunt, parti etiam eſt prouidendum, cuius maxime cauſa curatio eſt inſtituta. Itaque ſi in alto inguine tumor deliteſcit glandulam comprehendens, cuius preſſu ſolo ſit conſpicuus, obtuſo admodum hebetique doloris ſenſu, ſi impurus præceſſit concubitus, qui luis aut bubonis metum intulerit, hunc foras euocare tentandum hocce modo:

℞ Olei liliacei & chamæmeli, œſipi, ſingul. ℥ ß. pro embrocha partis dolentis bis die, & ſuperponatur lana ſuccida.

Quibus, ſi non ſatis poſt biduum aut triduum foras erumpat frigidus & craſſus humor, ad forum

tum eſt tranſeundum, quo validius incaleſcat, tenuetur, & in cutim euocetur. Subeunda etiam vehemens exercitatio, cibis vtendum calidis & attenuantibus, alliis, cepis pipere conditis, ſinapi vino generoſo moderate diluto.

℞ Rad. altheæ & liliorum, vtriuſque ℥ ij. rad. acori helenii, ſem. lini fœnigræci, aniſ. & fœnicul. ſingul. ℥ ß. maluæ, violarum, parietariæ, chamæmeli, meliloti, anethi, origani, artemiſiæ, ſingulorum M. j. Includantur omnia ſacellis, qui in æquis partibus aquæ & vini aliquantiſper ferueant, dein foueatur tumens particula mane & ante cœnam.

A fotu deterſo loco vnguentum inducatur huiuſmodi:

℞ Gummi ammoniaci liquati in aqua vitæ & aceto ℥ j. fermenti acris ℥ ß. olei liliacei chamæ. & anethi ſing. ℥ ß. adipis anatis & anſeris, vtriuſq; ℥ j. fiat linimentum.

Interdiu noctuque emplaſtrum inſideat huiuſmodi:

℞ Gummi pini ℥ j. ammoniaci emolliti in aqua vitæ ʒ vj. galbani liquati in vino albo ℥ j. ß. emplaſtri diachylonis ircati ℥ ij. hermodactyl. pul. ʒ ij. ß. ladani, ſtyracis calamitæ vtriuſque ʒ j. ß. olei irini quantum ſatis ſit, fiat emplaſtrum.

Continuato per dies aliquot horum auxiliorum vſu, ſi tumor non ſatis ſe prouexerit, admouenda eſt ſine ſcarificatu cucurbitula. Ab hac vero primũ fouere, dein illinere partem, poſtremo paulo ante deſcriptum emplaſtrum aliudve virib. proximum ſuperponere conueniet. At ſi tumor augeſcat quidem, ſed digitorum, preſſu durus & renitens ſentiatur, adhibendum erit cataplaſma poſt fotum

& litum, quod impactam craſſam materiam ſimul emolliat, attenuet, digerat, & ad ſuppuratum inſtiget.

℞ rad. altheæ, liliorum, helenii, ſingul. ℥ j. ß. ſem. lini & fœnigræci, vtriuſq; ℥ j. foliorum maluæ, violariæ, altheæ, parietariæ, chamæmeli, meliloti, anethi, cucumeris aſinini ſingulorum M. j. Coquantur in aqua, tundãtur & incerniculo tranſmittantur. Tum adde duo alliorum capita, duaſq; cepas ſub prunis coctas, ſigilli mariæ & radicis bryoniæ, vtriuſq; ℥ iij. fermenti ℥ j. croci ʒ j. olei anethi & liliorum vtriuſq; ℥ j. ß. axungiæ ſuillæ veteris q. ſ. fiat cataplaſma.

Quorum omnium, ſi irrita erunt opera, ita vt nec durities roſoluatur, nec materia bubonũ matureſcat, alio cataplaſmate eam remollire, & in halitum ac perſpiratum deducere annitendum erit.

℞ Sigilli mariæ crudi ℔. ß. rad. bryoniæ coctæ in aqua parietariæ ℥ iiij. croci ʒ j. axungiæ ſuillæ veteris ℥ vj. Si emplaſtrum magis arridebit, eſto huiuſmodi:

℞ Gummi pini ℥ j. ammoniaci remolliti in aceto ℥ j. ß. rad. ireos florentiæ & hermodactyl. vtriuſque ʒ j. ß. emplaſtri de mucag. ℥ j. ſubigantur ſimul, & fiat emplaſtrum.

Hæc dum molimur in affecta parte, ſexto quoque die corporis totius vacuatio repetenda, ſudorque quotidie mane eliciendus, tenuis & exiguus cibus adhibendus. Nonnulli induratos adenas, ſi nec relaxantibus, nec mollientibus, nec attrahentibus faſtigiantur, aut ſe exerant, cauterio aperiendos eſſe ducunt, ne virus in interiora remeans, luis occaſionem ſubminiſtret. Quod tametſi haud inſigne

ſigne corpori detrimentum afferat, & in hominibus qui ſuæ ſpontis ſunt, & cura negotiorum liberi, tentari poſſit: graue tamen, ſordidum moleſtumque eſt, ſæpeque nec corpus à lue, nec glandulam à duritie vindicauit. Erit vero multo tutius, eos apozematis guaiacinis multum continuatis & expoſitis antehac remediis, in perfectam ſanitatem reducere.

At vero ſi ſtatim initio emergentis bubonis nō glandulam modo, ſed etiam ſuperpoſitam cutim tumor conſpicuus & effatu dignus, non admodum durus obſidet, eique adhæreſcit: vel quum initio paruus & obſcurus eſſet, mox à fotu & embrocha increſcit, ac dolore torquet, vt materiam tenuem & calidam ſui cauſam agnoſcit, proditque, ſic breui vel digeretur, vel ſuppurabit. Et quo quiſq; bubo crudior, renitentior minoriſque doloris atque inflammationis erit particeps, eo longior ac prolixior eius curatio futura eſt. Hic igitur à ſuperiore & propoſita longe diuerſa curandi methodus tenenda eſt.

Primum enim mollientia & digerentia ita confundenda, vt mollientium vis ſuperet, his vero, ſi tumor increſcit, futurum abſceſſum portendit, & ſignificat mollientibus emplaſtica & ſuppurantia eſſe permiſcenda: ſin vero decreſcit, & dolor remittit, reſolutionis ſpes affulget, & in mollientibus & diaphoreticis perſiſtendum.

Poſtulat autem partium natura frigidior, humoriſque malignitas, ea quæ in digerentium aut ſuppurantium ordine vires habent eximias & nobiles, quorum materia è propriis fontibus facile deprometur. Adſcribam tamen vnum atque al-

terum exemplum in tyronum gratiam.

℞ Rad. altheæ & liliorum rad. cucumeris aſinini, ſingul. ℥ j. foliorum acetoſæ, maluæ, violariæ, ſingul. M. j. Coquantur dum contabeſcant, tundantur & cernantur, dein adde butyri recentis, axung. ſuillæ veteris, vtriuſque ℥ iij. farinæ, lini, fœnigræci & hordei, ſingul. ℥ ß. rad. bryoniæ in lacte coctæ ℥ iiij. olei liliorum & chamæmeli, vtriuſq; q. ſ. vt fiat cataplaſma.

Cataplaſma ſuppuratorium & anodynum.

℞ Medull. pomorum coctorum ℥ iij. foliorum acetoſæ coctorum ſub cineribus cum butyro recente ſalis experte ℥ ij. rad. cynogloſſi crudæ ℥ iiij. farinæ triticeæ in vitellis quatuor ouorum ſolutæ ℥ j. axungiæ ſuillæ veteris q. ſ. fiat cataplaſma.

Aliud ſuppurans paratu facile, præſtantiſſimum.

℞ Galbani ℥ j. gummi ammoniaci ℥ j. ß. diſſoluantur in aqua parietariæ & colentur, dein adde vnguenti baſilici ℥ iij. farinæ triticeæ ℥ ß. rad. cynogloſſ. crudæ ℥ iiij. fiat cataplaſma.

Si cui cataplaſma interdiu geſtare graue & tædioſum ſit, eo mane ſublato & deterſo loco emplaſtrum imponendum.

℞ Emplaſtri diachylonis, emplaſtri de meliloto, vtriuſque ℥ j. gummi pini ℥ j. ß. gummi ammoniaci liquefacti aqua vitæ ℥ j. galbani ℥ ß. rad. ireos florentiæ & hermodactyl. pul. vtriuſque ʒ j. fingito arte emplaſtrum, addendo olei irini momentum, ſi opus erit. Mollit, attenuat, & leuiter digerit induratos bubones, ſed non inſtrenue tamen

eos

eos maturat ac concoquit, qui in halitum digeri nequeunt.

Aliud ad ſuppurandum efficacius.

℞ Gummi ammoniaci in aceto remoll. galbani vtriuſque ℥ j. ß. vnguenti baſilici ℥ ij. hermodactyl. pul. ʒ j. ceræ parum, ſi opus erit, fiat emplaſtrum.

Neque vero metuendum eſt (quod vulgus aſſolet) ne ſi tumor iſtorum ope digeratur & expiret, humorum labes corruptela & venefica pernicies intus reſtitans atque remeans ad viſcera, luem veneream & pleraque inſuper incommoda referat. Siquidem attrahentia & digerentia omnia calida quum ſint, nihil in aduerſum reiiciunt, ſed foras euocant, idque multo quam ſuppurantia præclarius. Quin & in antidotis, quibus vtendum eſſe præcepimus, tam ſtrenua eſt facultas & efficientia, vt ſiue digeſtione diuaneſcat, ſiue maturetur bubo, nihil grauius aut periculoſius impendeat. Sed quoniam perſæpe tam frigida tamque intractabilis eſt bubonum materia, vt neque diaphoreticis, neque ſuppurantibus edomari poſſit: hîc ſummum ſtudium in apozematis ſudatoriis & in amuletis collocandum eſt, vt ſi digerentibus & maturantibus nihil profectum eſt, abſterſa ſaltem & ſudoribus elicita pernicies à luis incommoditate reddat ſecuros.

Genitum iam pus vel ferro, vel vrenti medicamento emitti debet, deinde reliqua omnia, quæ ad purgandum & implendum vlcus, quæque ad cicatricem inducendam pertinent, ſuo ordine perſequenda. Quod ſi forte cacoethes malique moris vlcus remedia vulgaria contempſerit, aut ſi eius la-

terum exemplum in tyronum gratiam.

℞ Rad. altheæ & liliorum rad. cucumeris aſinini, ſingul. ℥j. foliorum acetoſæ, maluæ, violariæ, ſingul. M.j. Coquantur dum contabeſcant, tundantur & cernantur, dein adde butyri recentis, axung. ſuillæ veteris, vtriuſque ℥iij. farinæ, lini, fœnigræci & hordei, ſingul. ℥ß. rad. bryoniæ in lacte coctæ ℥iiij. olei liliorum & chamæmeli, vtriuſq; q. ſ. vt fiat cataplaſma.

Cataplaſma ſuppuratorium & anodynum.

℞ Medull. pomorum coctorum ℥iij. foliorum acetoſæ coctorum ſub cineribus cum butyro recente ſalis experte ℥ij. rad. cynogloſſi crudæ ℥iiij. farinæ triticeæ in vitellis quatuor ouorum ſolutæ ℥j. axungiæ ſuillæ veteris q. ſ. fiat cataplaſma.

Aliud ſuppurans paratu facile, præſtantiſſimum.

℞ Galbani ℥j. gummi ammoniaci ℥j. ß. diſſoluantur in aqua parietariæ & colentur, dein adde vnguenti baſilici ℥iij. farinæ triticeæ ℥ß. rad. cynogloſſ. crudæ ℥iiij. fiat cataplaſma.

Si cui cataplaſma interdiu geſtare graue & tædioſum ſit, eo mane ſublato & deterſo loco emplaſtrum imponendum.

℞ Emplaſtri diachylonis, emplaſtri de meliloto, vtriuſque ℥j. gummi pini ℥j. ß. gummi ammoniaci liquefacti aqua vitæ ℥j. galbani ℥ß. rad. ireos florentiæ & hermodactyl. pul. vtriuſque ʒj. fingito arte emplaſtrum, addendo olei irini momentum, ſi opus erit. Mollit, attenuat, & leuiter digerit induratos bubones, ſed non inſtrenue tamen

eos

eos maturat ac concoquit, qui in halitum digeri nequeunt.

Aliud ad ſuppurandum efficacius.

℞ Gummi ammoniaci in aceto remoll. galbani vtriuſque ℥ j. ß. vnguenti baſilici ℥ ij. hermodactyl. pul. ʒ j. ceræ parum, ſi opus erit, fiat emplaſtrum.

Neque vero metuendum eſt (quod vulgus aſſolet) ne ſi tumor iſtorum ope digeratur & expiret, humorum labes corruptela & venefica pernicies intus reſtitans atque remeans ad viſcera, luem veneream & pleraque inſuper incommoda referat. Siquidem attrahentia & digerentia omnia calida quum ſint, nihil in aduerſum reiiciunt, ſed foras euocant, idque multo quam ſuppurantia præclarius. Quin & in antidotis, quibus vtendum eſſe præcepimus, tam ſtrenua eſt facultas & efficientia, vt ſiue digeſtione diuaneſcat, ſiue maturetur bubo, nihil grauius aut periculoſius impendeat. Sed quoniam perſæpe tam frigida tamque intractabilis eſt bubonum materia, vt neque diaphoreticis, neque ſuppurantibus edomari poſſit: hîc ſummum ſtudium in apozematis ſudatoriis & in amuletis collocandum eſt, vt ſi digerentibus & maturantibus nihil profectum eſt, abſterſa ſaltem & ſudoribus elicita pernicies à luis incommoditate reddat ſecuros.

Genitum iam pus vel ferro, vel vrenti medicamento emitti debet, deinde reliqua omnia, quæ ad purgandum & implendum vlcus, quæque ad cicatricem inducendam pertinent, ſuo ordine perſequenda. Quod ſi forte cacoethes malique moris vlcus remedia vulgaria contempſerit, aut ſi eius la-

Digitized by Google

bra & partes circumſitæ occalleſcunt, ſi quidem corpus reliquum etiamnum erit impurum, adhibenda ex interuallis purgatio, ſollicitanda ſudorum per guaiacum & amuletum profuſio, ſi initio vel neglecta, vel in progreſſu præpropere intermiſſa eſt, atque interim quæ obduruerint, fotu & cataplaſmate emollita, bis terve die aqua ſublimati elui, deinde admoto mercurii puluere quod ſatis erit, abſumi exedique oportet. Totum denique vlcus aqua ſublimati, & vnguẽto naturæ accommodato tergendum implendumq; fuerit.

At ſi valet reliquum corpus, ſi non alte vitium penetrauit, vt hydroticum guaiaci decoctum vtile & amuletum neceſſarium eſt, ſic frequens purgatio ſuperuacanea cenſeri debet. Victus eſto tenuis, ſiccans & euchymus, qualis ad luem venereã præſcriptus eſt. Exercitatio, ſi feruida ſit fluxio, dolorque maximus vel nulla, vel moderata eſſe debet: ſin craſſa & frigida ſit materia, vehemens, atque interdum etiam immoderata, quo humor incaleſcat.

DE VIRVLENTA GONORrhœa. Cap. IX.

SCortatores hoc ſeculo exercere cœpit aliud quoddam inauditũ morbi genus gonorrhœæ finitimum, quod idcirco fœdam virulentamque gonorrhœam appellarunt. Eſt autem virulentæ cuiuſdam materiæ per penem profuſio, quæ in proſtatis ortus ſui initium habet, & externam cauſam, atque (vt vulgo nominant) prophaſim ab amatorio & impuro concubitu ſortitur.

Quum in venereo congreſſu ductus penis, totiuſque

tiuſque corporis, ac potiſſimum partis obſcœnæ pori & meatus ſe expanderint, ſi quis ab inquinato ſcorto vapor ſublatus, his viis in vaſa ſpermatica, in teſtes, in proſtatas perrexerit, eorum conſtitutionem ac habitum naturalem peruertit & conſpurcat, imprimiſque laxas & humidas proſtatas ſuæ malignitatis labe reſpergit, atque inficit. Quo fit, vt quicquid eo poſtea delabitur, in tetrum fœdumque virus album aut ſubflauum degeneret ac corrumpatur, quod dormientibus iuxta ac vigilantibus & inuitis extillat, alias cum moleſtiſſima penis tentigine, alias ſine hac, quum virus acrimoniæ atque ardoris minimum concepit. Fit enim moleſtiſſima illa penis tentigo, quæ ſubtentæ chordulæ ſpeciem laborantibus adfert, dolorque acerbiſſimus ardore atq; acrimonia erumpentis materiæ, quam vel in vaſis ſpermaticis, vel in proſtatis phlogoſi laborantibus contraxit.

Vt enim cum in diabete per renes trãſmiſſa traiectaque vrina exarſit, per veſicæ ceruicem, licet integram ſine punctionis & morſus ſenſu minime tranſire poteſt: ſic profecto in virulenta gonorrhœa putre malignumque ſemen, aut alia quæuis acerrima materia, vbi in ſeminariis vaſis aut proſtatis incaluit, vix queat ſine ardoris & acerbiſſimi doloris ſenſu per penis meatum excidere.

Gonorrhœa virulenta ſi negligitur, venenata labe ſeſe altius inſinuante, in veneream calamitatem fere deuoluitur ac propagatur. Quinetiam virus in proſtatis tantum ardoris & acrimoniæ concipit, vt veſicæ ceruicem, & ductum penis in tranſitu vellicet, atque interdum exulceret, vnde dyſuria, ſtranguria, aliaque prope innumera morbo-

Digitized by Google

rum incommoda exortis hyperſarcomatis originem trahunt. Sin temerario conſilio præter rationem ſupprimitur, pure ſurſum migrante atq; compulſo manifeſta phlegmone colligitur, alias quidem circa teſtem in epidymide, quæ digeri conſueuit, alias in perinæo, quæ tandem ſuppurans aperta aut dirupta cute, purulentam materiã profundit. Temerariæ autem ſuppreſſionis cauſa, vel ad equitationem, vel ad exercitationem immoderatam & ſuccuſſionem, vel ad aſtringentium medicamentorum vſum ſemper fere reiicienda eſt.

Curationis ſcopi tres proponi ſolent: primus idoneam victus rationem dictat ac præſcribit: alter humoris in partem inflammatam ex vniuerſo corpore per venas & arterias, quæ ſecundum inguina ad ſcrotum perreptant, reuulſionem ac vacuationem molitur: tertius genitam in vaſis ſeminariis ac proſtratis affectionẽ prauam, quæ purulentam materiam quotidie progenerat, coercet & extinguit.

Victus nec tenuis, nec plenus eſto. Ille enim bilioſos humores magis magiſque inflammat, & cum dolorum acerbitate incendit. Hic & corpus opprimit, & morbo materiam ſubminiſtrat. Qualitate autem refrigeret & temperet. Frequens igitur vſurpetur ſorbitio, è carne vitulina, borragine, bugloſſo, pimpinella, foliis violariæ & radicibus altheæ parata. Nec omittatur nunquam ſatis laudatum hordeatum. Salſa vero & aromatibus condita maxime deuitet, quemadmodum calida & acria, velut cepas, allia, ſinapi, reliquaq; eius claſſis.

Potus eſto ptiſana vulgaris, vel hordei decoctũ, vel vinum abunde dilutum. Omnes animi perturbationes

bationes fugiendæ, nulla exercitatio vehementior ſubeunda. Venus immoderata nonnullis profuit, profuſa cum ſemine pernicioſa labe, quæ nondum in partium ſubſtantiam altius inſederit, quoniam tamen vndique humores in affectam partem rapit, & phlogoſim irritat, omniaque alia huiuſce morbi ſymptomata exaſperat, intermitti debet, donec extincto veneno repreſſoq; ardore inflammatio temperetur.

Ita inſtituto victu, primo quoq; tempore redundantia in corpore excrementa, medicamẽto quod vrinæ, renum, ſeminiſque vias leniat ac refrigeret, exturbanda ſunt, quo in genere primas tenet caſſia, deinde catholicum.

Quæ non niſi ſummo cum cruciatu, & vehementiſſima tentigine virulentam materiam reiicit gonorrhœa, venam ſecandam hortatur, ſi alterutra plenitudinis ſpecies moleſta eſt. Deligere autem oportet axillarem alterutrius cubiti, è qua ſanguine multo detracto, totius corporis habitum prompte refrigerari, & humoris in male affectam partem ruentis reuulſionem fieri, manifeſtum eſt. Si ſanguinis adſit penuria, eius detractio noxia, nedum ſuperuacanea ducenda eſt. Ab iis ad affectam partem veniendum, dandaque opera, vt in ea contracta labes maligna deleatur, & extinguatur phlogoſis eius ſoboles hiſce remediis:

℞ Mucag. ſem. pſylii extractæ in aquis roſ. & plantag. ℥ j. paſtillorum albi raſis cum caphura & opio ʒ ij. olei roſati loti in aceto vnguenti albi vtriuſq; ℥ j. caphuræ ʒ ß. fiat linimentum pro lumbis & perinæo, vtroq; diei crepuſculo.

Sunt qui ſolum vnguentum album cum caphu-

ra & opio vſurpent, prudenti ſane conſilio. Alii vnguentum roſarum Meſuæ adhibent minori profectu:

℞ iiij. ſem. frigidorum maiorum mund. ſingulorum ʒ ij. ſem. papaueris alb. ʒ j. amygdal. dul. in aqua frigida maceratas & mund. 25. numero. Cōtundantur, dein affunde decoctionis ſequentis ℔. j. ß. miſce & colo traiice. Cap. ℥ iiij. pro doſ. ſeſquihora ante paſtus. Renes ſeminis vrinæque ductus refrigerant leuiter extergent & contemperāt.

℞ Hordei integri p. xij. glycyrrhizæ contuſæ, rad. altheæ & graminis ſingulorum ℥ ß. fol. maluæ violarum & plantag. ſingul. M. j. Coquantur in aquæ puriſſimæ ℔. ij. ad ℔. j. ß.

Vel ſic:

℞ Sem. hyoſciami ʒ j. ſem. papaueris albi ʒ j. ß. ſem. lactucæ ʒ j. ſem. melonum, mand. ℈ ij. caphuræ ʒ ß. fiat maſſa cum mithridatii ʒ j. & mucag. pſylii extracta in aqua parietariæ. Cap. p. iij. aut iiij. pro doſi quotidie mane donec tentigo & dolor remiſerint, dein ſuperbibat ℥ iiij. decocti ſuprapoſiti. Quum in reddendo lotio dolor vrget, in exulceratum penis meatum refrigerans, tergens & ſiccans decoctum ſyphone bis quoque die iniiciunt. Sed hæc medendi ratio virulentam materiam ſurſum repellens, atq; gonorrhœam præpropere cohibens plerunque moleſtiſſimam in teſte inflammationem parit. Lac tamen recens mulctum, aut decoctum aliquod leniens, ſiccans & tergens citra morſum indi poteſt. Terebinthina veneta, huiuſce morbi initio data primarum venarum ſordes in affectam partem impellit, ſecumque deducit, & calore atq; acrimonia phlogoſim exaſperat. At quum

ardor

ardor & tentigo remiſerunt ſiccando, tergendoq; prodeſt.

℞ Terebinthinæ venetæ ʒ ij. ß. aut ʒ iij. eluito in ſucco plantag. datoque in cochleari cum ſyrupo de althea, vel capil. ven. additur interdum caphuræ ℈ j.

Quum ardor prorſus remiſit, morbuſque iam abiit in vetuſtatem, nec terebinthina eluenda fuerit, nec admiſcenda caphura, ſed rhabarbarum potius, quod tergendo ſiccandoque prodeſt, & aluum ducit.

℞ Terebinthinæ venetæ ʒ ij. ß. rhab. pul. ʒ. j. aut ʒ j. ß. miſce & præbeto duabus ſaltem horis ante cibum mane ſemel ſexto quoque die, dum purulenta ſanies ſiſtatur.

Cineris ſiliquarum fabacearum vncia, aquæ parietariæ tepentis libra maceratur horis quatuor, dein limpidiſſimum lixiuium colo tranſmittitur, adduntur que ſyrupi de althea ℥ iiij. vt compoſiti medicamenti quotidie ℥ iiij. propinentur duabus horis ante cibum. Renes & reliquas vrinæ vias terget, & obſtructione liberat, inueteratam gonorrhœam ſiccando & detergendo plane profligat: recentem exaſperat, niſi plantaginis ſtillatitio liquore cinis maceretur, & loco ſyrupi de althea violaceus, aut è limonibus adhibeatur.

℞ Aloes optimæ ℥ j. cretæ, ſuccini rad. gentianæ, ariſtolochiæ rotundæ, rad. dictamni, myrrhæ optimæ, ſingul. ʒ j. mithridatii ʒ j. ß. terebinthinæ venetæ ʒ j. fiat omnium maſſa, addendo ſyrupi de althea quod ſatis erit. Inuoluatur aluta. Cap. pilul. iiij. pro doſ. alternis dilucul. tribus horis ante epulas.

Nulla tam peruicax gonorrhœa occurret, quam hoc remedii genus non ſuperet & euincat, ſi tentigine & dolore conquieſcentibus arripiatur, ac diu continuetur. Sed videndum ne diuturnum ceruicis veſicæ vlcus nobis imponat. Ex hoc enim, curata interdum gonorrhœa, perinde atque è proſtatis per gonorrhœas diuturnas, purulenta materia aliis in totam vitam, aliis donec iuſta curatio adhibita ſit, ſtillare, & induſiũ ægri commaculare conſueuit, quæ gonorrhœam ementitur. Sed hoc longe aliam curandi rationem expoſcit, & certis ſignis diſcernitur.

Si forte vel initio neglecta, vel oſcitanter curata gonorrhœa in longius tempus produci videatur, deſcriptis catapotiis in aliud tempus dilatis, vtile ſit aliquot diluculis ſudores hauſto guaiacino cremore vorataque opiata promouere. Sic enim luis alioqui formidandæ & impendentis omne diſcrimen anteuertitur.

Emplaſtrum Iohannis Vigonii cum mercurio, vnguentaque omnia ex hydrargyro, quæ empirici in huiuſce morbi initiis perinæo & inguinibus adfricant, idcirco reiicienda, quod virulentam materiam, vnde lues originem habeat, intro pellant ad viſcera conſilio admodum temerario.

DE VLCERE PENIS ET VEnerea hyperſarcoſi. Cap. X.

QVÆCVNQVE neglecta, aut etiam adhibitis remediis non prorſus deleta fœda gonorrhœa in vetuſtatem abit, in penis meatu & veſicæ ceruice carunculam ingenerare, vrinæque difficultatem tandem parere ſolet. Etenim acris & virulenta

lenta ſanies, quæ per diuturnas gonorrhœas è proſtatis in penis meatum continenter ſtillat & illabitur, non modo ipſius ductum in tranſitu ſenſim atterit, & exulcerat, ſed ſæpe etiam veſicæ ceruicem.

Hinc igitur vlcera in ceruice veſicæ, & in meatu vrinario, aut in alterutro relinquuntur: vnde (niſi coerceantur) quotidie ad extremum vſque ſenium purulenta materia exudat, quæ induſium commaculet, atque turpiter conſpurcet: & in quibus caro excreſcens carnoſum tuberculum proferat. Quanquam & aliæ non paucæ cauſæ numerando perceníeri poſſunt, quæ penis vlcus atque carunculam accerſant citra obſcœnam gonorrhœam. Acris enim & mordax ſanies puſve è renibus in veſicam cum vrina illabens, illius ceruicem aſſiduo tranſitu nonnunquam exedit atque exulcerat, perinde ac virulentæ gonorrhœæ materia: vrinæ etiam limpidiſſimæ, ſed acres & præcalidæ per diabeten redditæ, nō raro eadem incommoda accerſere viſæ ſunt, veluti & arenularum aſſidua profuſio, & calculus veſicæ ceruici incumbens, & tumor in ceruice veſicæ ad ſuppurationem perductus, ſed gonorrhœa venerea omnium frequentiſſima ac peſſima cauſa exiſtit.

Fidem ſuperat ac paradoxum eſt, quod à quibuſdam literis proditum video, craſſam pituitam è capite per renes in veſicam illabi, quæ peni vlcus & hyperſarcoſim inurat, nullæ enim viæ ſunt cerebro cum renibus communes, quibus craſſa illa pituita in veſicam procumbat. Contracti in ceruice veſicæ aut penis meatu vlceris argumēta ſunt, frequens emictio, dolor in reddendo lotio excru-

dorum xv. numero, ſuccorum portulacæ, plantag. ſolani, ſemperuiui, nicotianæ, aquarum vlmariæ lagopi & roſarum, ſingul. ℥ iiij. agitentur diu ſimul omnia, dein in ollam vitream ponantur, & aqua proliciatur in duplici vaſe. Ducunt quidem ſuperiora, etiam cicatricem, ſed quod ſequitur aliquanto validius.

℞ Corticis granatorum exuſti, gallæ vſtæ, tutiæ præparatæ, plumbi vſti ſingulorum ʒ ß. macerentur in aqua roſ. horis duodecim, dein ad ſolem aut ignem ſiccentur, & in cote marmorea cum oleo myrtino in vnguentum concinnentur addendo caphuræ ʒ ß.

Aliud cicatricem duriorem trahens, & fluxiones repellens.

℞ Gallæ immaturæ nucum cupreſſi baccarum myrti, balauſtiorum, malicorii vſti, calycum glandium, maſtiches ſingulorum ʒ j. omnia in exquiſitum leuorem trita dies aliquot in ſuccis meſpilorum & ſorborum macerentur, dein ad ignem aut ſolem ſiccentur, & cum ℥ ij. olei roſarum aqua roſarum, in qua liquatum ſit aluminis momentum eloti, & ceræ albæ ℥ ß. fiat vnguẽtum in cote marmorea & mortario plumbeo.

Trahit & cicatricem quod ſequitur paratu facile.

℞ Aquarum plantag. & roſ. vtriuſque ℥ iiij. trochiſcorum albi raſis ℥ ß. boli armeni ʒ ß. fiat injectio.

Vtendi ratio.

Mane veſperi abſtergens decoctum per ſyphonem in penem iniiciatur tepidum, & aliquandiu pene contineatur prehenſo atque compreſſo altera

tera manu præputio cum glande, altera pene qua parte vlcus erit contrectato; hora ſomni ſine morſu tergens & ſiccans vnguentum è cereolo, qui tota nocte vlceratæ parti inſideat, imponatur, prorſus reddito prius decocto. Vtrunque alternatim adhibeatur, dum ſatis deterſum vlcus appareat. Satis autem deterſum & expurgatum fuerit, quum nihil aut minimum puris extillabit, quumque vrina inter meiendum acrius, quam dudum vlceratam partem compunget. Tum igitur prætermiſſis tergentibus aqua aluminoſa, aut deſcriptum vnguentum, aut vtrunque indetur ad cicatricis generationem. Huius curationis finis erit, quum nullo dolore æger premetur inter meiendum, nihilque puris è pene excidet.

Videndum autem etiam atque etiam, ne quod è pene excidet pus, non è penis vlcere, ſed è proſtatis ſcaturiat. Id enim ſæpe doctiſſimis chirurgis ac medicis impoſuit. Sæpe ad multos annos purulentam materiam proſtatæ profundunt, nullo valetudinis diſcrimine, nulloque penis vlcere, ſed multo ſæpius vtrunque vitium concurrit. At internoſcuntur, quod nulla acrimonia, nulloque morſu moleſta ſit vrina, quum in ſolis proſtatis vitium eſt: Contra vero, exulcerato interno penis meatu, vix citra dolorem vrina profluit, niſi quum craſſa ſordes, vel callus vlcus obduxit. Sed tum vrina aut guttatim redditur, aut tenui quaſi filo ſenſim exit atq; dimanat, quod poſtea luculentius exponetur.

Si inueteratum iam vlcus cathetere calloſum deprehenditur abſque caruncula, niſi ante horum remediorum vſum diligẽter fotu emolliatur, opera fere luditur.

bra & partes circumſitæ occalleſcunt, ſi quidem corpus reliquum etiamnum erit impurum, adhibenda ex interuallis purgatio, ſollicitanda ſudorum per guaiacum & amuletum profuſio, ſi initio vel neglecta, vel in progreſſu præpropere intermiſſa eſt, atque interim quæ obduruerint, fotu & cataplaſmate emollita, bis terve die aqua ſublimati elui, deinde admoto mercurii puluere quod ſatis erit, abſumi exedique oportet. Totum denique vlcus aqua ſublimati, & vnguēto naturæ accommodato tergendum implendumq; fuerit.

At ſi valet reliquum corpus, ſi non alte vitium penetrauit, vt hydroticum guaiaci decoctum vtile & amuletum neceſſarium eſt, ſic frequens purgatio ſuperuacanea cenſeri debet. Victus eſto tenuis, ſiccans & euchymus, qualis ad luem venereā præſcriptus eſt. Exercitatio, ſi feruida ſit fluxio, dolorque maximus vel nulla, vel moderata eſſe debet: ſin craſſa & frigida ſit materia, vehemens, atque interdum etiam immoderata, quo humor incaleſcat.

DE VIRVLENTA GONORrhœa. Cap. IX.

SCortatores hoc ſeculo exercere cœpit aliud quoddam inauditū morbi genus gonorrhœæ finitimum, quod idcirco fœdam virulentamque gonorrhœam appellarunt. Eſt autem virulentæ cuiuſdam materiæ per penem profuſio, quæ in proſtatis ortus ſui initium habet, & externam cauſam, atque (vt vulgo nominant) prophaſim ab amatorio & impuro concubitu ſortitur.

Quum in venereo congreſſu ductus penis, totiuſque

tiuſque corporis, ac potiſſimum partis obſcœnæ pori & meatus ſe expanderint, ſi quis ab inquinato ſcorto vapor ſublatus, his viis in vaſa ſpermatica, in teſtes, in proſtatas perrexerit, eorum conſtitutionem ac habitum naturalem peruertit & conſpurcat, imprimiſque laxas & humidas proſtatas ſuæ malignitatis labe reſpergit, atque inficit. Quo fit, vt quicquid eo poſtea delabitur, in tetrum fœdumque virus album aut ſubflauum degeneret ac corrumpatur, quod dormientibus iuxta ac vigilantibus & inuitis extillat, alias cum moleſtiſſima penis tentigine, alias ſine hac, quum virus acrimoniæ atque ardoris minimum concepit. Fit enim moleſtiſſima illa penis tentigo, quæ ſubtentæ chordulæ ſpeciem laborantibus adfert, dolorque acerbiſſimus ardore atq; acrimonia erumpentis materiæ, quam vel in vaſis ſpermaticis, vel in proſtatis phlogoſi laborantibus contraxit.

Vt enim cum in diabete per renes trãſmiſſa traiectaque vrina exarſit, per veſicæ ceruicem, licet integram ſine punctionis & morſus ſenſu minime tranſire poteſt: ſic profecto in virulenta gonorrhœa putre malignumque ſemen, aut alia quæuis acerrima materia, vbi in ſeminatiis vaſis aut proſtatis incaluit, vix queat ſine ardoris & acerbiſſimi doloris ſenſu per penis meatum excidere.

Gonorrhœa virulenta ſi negligitur, venenata labe ſeſe altius inſinuante, in veneream calamitatem fere deuoluitur ac propagatur. Quinetiam virus in proſtatis tantum ardoris & acrimoniæ concipit, vt veſicæ ceruicem, & ductum penis in tranſitũ vellicet, atque interdum exulceret, vnde dyſuria, ſtranguria, aliaque prope innumera morbo-

rum incommoda exortis hyperſarcomatis originem trahunt. Sin temerario conſilio præter rationem ſupprimitur, pure ſurſum migrante atq; compulſo manifeſta phlegmone colligitur, alias quidem circa teſtem in epidymide, quæ digeri conſueuit, alias in perinæo, quæ tandem ſuppurans aperta aut dirupta cute, purulentam materiã profundit. Temerariæ autem ſuppreſſionis cauſa, vel ad equitationem, vel ad exercitationem immoderatam & ſuccuſſionem, vel ad aſtringentium medicamentorum vſum ſemper fere reiicienda eſt.

Curationis ſcopi tres proponi ſolent: primus idoneam victus rationem dictat ac præſcribit: alter humoris in partem inflammatam ex vniuerſo corpore per venas & arterias, quæ ſecundum inguina ad ſcrotum perreptant, reuulſionem ac vacuationem molitur: tertius genitam in vaſis ſeminariis ac proſtratis affectionẽ prauam, quæ purulentam materiam quotidie progenerat, coercet & extinguit.

Victus nec tenuis, nec plenus eſto. Ille enim bilioſos humores magis magiſque inflammat, & cum dolorum acerbitate incendit. Hic & corpus opprimit, & morbo materiam ſubminiſtrat. Qualitate autem refrigeret & temperet. Frequens igitur vſurpetur ſorbitio, è carne vitulina, borragine, bugloſſo, pimpinella, foliis violariæ & radicibus altheæ parata. Nec omittatur nunquam ſatis laudatum hordeatum. Salſa vero & aromatibus condita maxime deuitet, quemadmodum calida & acria, velut cepas, allia, ſinapi, reliquaq; eius claſſis.

Potus eſto ptiſana vulgaris, vel hordei decoctũ, vel vinum abunde dilutum. Omnes animi perturbationes

bationes fugiendæ, nulla exercitatio vehementior ſubeunda. Venus immoderata nonnullis profuit, profuſa cum ſemine pernicioſa labe, quæ nondum in partium ſubſtantiam altius inſederit, quoniam tamen vndique humores in affectam partem rapit, & phlogoſim irritat, omniaque alia huiuſce morbi ſymptomata exaſperat, intermitti debet, donec extincto veneno repreſſoq; ardore inflammatio temperetur.

Ita inſtituto victu, primo quoq; tempore redundantia in corpore excrementa, medicaméto quod vrinæ, renum, ſeminiſque vias leniat ac refrigeret, exturbanda ſunt, quo in genere primas tenet caſſia, deinde catholicum.

Quæ non niſi ſummo cum cruciatu, & vehementiſſima tentigine virulentam materiam reiicit gonorrhœa, venam ſecandam hortatur, ſi alterutra plenitudinis ſpecies moleſta eſt. Deligere autem oportet axillarem alterutrius cubiti, è qua ſanguine multo detracto, totius corporis habitum prompte refrigerari, & humoris in male affectam partem ruentis reuulſionem fieri, manifeſtum eſt. Si ſanguinis adſit penuria, eius detractio noxia, nedum ſuperuacanea ducenda eſt. Ab iis ad affectam partem veniendum, dandaque opera, vt in ea contracta labes maligna deleatur, & extinguatur phlogoſis eius ſoboles hiſce remediis:

℞ Mucag. ſem. pſylii extractæ in aquis roſ. & plantag. ℥ j. paſtillorum albi raſis cum caphura & opio ʒ ij. olei roſati loti in aceto vnguenti albi vtriuſq; ℥ j. caphuræ ʒ ß. fiat linimentum pro lumbis & perinæo, vtroq; diei crepuſculo.

Sunt qui ſolum vnguentum album cum caphu-

Digitized by Google

ra & opio vſurpent, prudenti ſane conſilio. Alii vnguentum roſarum Meſuæ adhibent minori profectu:

℞ iiij. ſem. frigidorum maiorum mund. ſingulorum ʒ ij. ſem. papaueris alb. ʒ j. amygdal. dul. in aqua frigida maceratas & mund. 25. numero. Cōtundantur, dein affunde decoctionis ſequentis ℔. j. ß. miſce & colo traiice. Cap. ℥ iiij. pro doſ. ſeſquihora ante paſtus. Renes ſeminis vrinæque ductus refrigerant leuiter extergent & contemperāt.

℞ Hordei integri p. xij. glycyrrhizæ contuſæ, rad. altheæ & graminis ſingulorum ℥ ß. fol. maluæ violarum & plantag. ſingul. M. j. Coquantur in aquæ puriſſimæ ℔. ij. ad ℔. j. ß.

Vel ſic:

℞ Sem. hyoſciami ʒ j. ſem. papaueris albi ʒ j. ß. ſem. lactucæ ʒ j. ſem. melonum, mand. ℈ ij. caphuræ ʒ ß. fiat maſſa cum mithridatii ʒ j. & mucag. pſylii extracta in aqua parietariæ. Cap. p. iij. aut iiij. pro doſi quotidie mane donec tentigo & dolor remiſerint, dein ſuperbibat ℥ iiij. decocti ſuprapoſiti. Quum in reddendo lotio dolor vrget, in exulceratum penis meatum refrigerans, tergens & ſiccans decoctum ſyphone bis quoque die iniiciunt. Sed hæc medendi ratio virulentam materiam ſurſum repellens, atq; gonorrhœam præpropere cohibens plerunque moleſtiſſimam in teſte inflammationem parit. Lac tamen recens mulctum, aut decoctum aliquod leniens, ſiccans & tergens citra morſum indi poteſt. Terebinthina veneta, huiuſce morbi initio data primarum venarum ſordes in affectam partem impellit, ſecumque deducit, & calore atq; acrimonia phlogoſim exaſperat. At quum ardor

ardor & tentigo remiſerunt ſiccando, tergendoq; prodeſt.

℞ Terebinthinæ venetæ ʒ ij. ß. aut ʒ iij. eluito in ſucco plantag. datoque in cochleari cum ſyrupo de althea, vel capil. ven. additur interdum caphuræ ℈ j.

Quum ardor prorſus remiſit, morbuſque iam abiit in vetuſtatem, nec terebinthina eluenda fuerit, nec admiſcenda caphura, ſed rhabarbarum potius, quod tergendo ſiccandoque prodeſt, & aluum ducit.

℞ Terebinthinæ venetæ ʒ ij. ß. rhab. pul. ʒ. j. aut ʒ j. ß. miſce & præbeto duabus ſaltem horis ante cibum mane ſemel ſexto quoque die, dum purulenta ſanies ſiſtatur.

Cineris ſiliquarum fabacearum vncia, aquæ parietariæ tepentis libra maceratur horis quatuor, dein limpidiſſimum lixiuium colo tranſmittitur, adduntur que ſyrupi de althea ℥ iiij. vt compoſiti medicamenti quotidie ℥ iiij. propinentur duabus horis ante cibum. Renes & reliquas vrinæ vias terget, & obſtructione liberat, inueteratam gonorrhœam ſiccando & detergendo plane profligat: recentem exaſperat, niſi plantaginis ſtillatitio liquore cinis maceretur, & loco ſyrupi de althea violaceus, aut è limonibus adhibeatur.

℞ Aloes optimæ ℥ j. cretæ, ſuccini rad. gentianæ, ariſtolochiæ rotundæ, rad. dictamni, myrrhæ optimæ, ſingul. ʒ j. mithridatii ʒ j. ß. terebinthinæ venetæ ʒ j. fiat omnium maſſa, addendo ſyrupi de althea quod ſatis erit. Inuoluatur aluta. Cap. pilul. iiij. pro doſ. alternis dilucul. tribus horis ante epulas.

Nulla tam peruicax gonorrhœa occurret, quam hoc remedii genus non ſuperet & euincat, ſi tentigine & dolore conquieſcentibus arripiatur, ac diu continuetur. Sed videndum ne diuturnum ceruicis veſicæ vlcus nobis imponat. Ex hoc enim, curata interdum gonorrhœa, perinde atque è proſtatis per gonorrhœas diuturnas, purulenta materia aliis in totam vitam, aliis donec iuſta curatio adhibita ſit, ſtillare, & induſiũ ægri commaculare conſueuit, quæ gonorrhœam ementitur. Sed hoc longe aliam curandi rationem expoſcit, & certis ſignis diſcernitur.

Si forte vel initio neglecta, vel oſcitanter curata gonorrhœa in longius tempus produci videatur, deſcriptis catapotiis in aliud tempus dilatis, vtile ſit aliquot diluculis ſudores hauſto guaiacino cremore vorataque opiata promouere. Sic enim luis alioqui formidandæ & impendentis omne diſcrimen anteuertitur.

Emplaſtrum Iohannis Vigonii cum mercurio, vnguentaque omnia ex hydrargyro, quæ empirici in huiuſce morbi initiis perinæo & inguinibus adfricant, idcirco reiicienda, quod virulentam materiam, vnde lues originem habeat, intro pellant ad viſcera conſilio admodum temerario.

DE VLCERE PENIS ET VEnerea hyperſarcoſi. CAP. X.

QVÆCVNQVE neglecta, aut etiam adhibitis remediis non prorſus deleta fœda gonorrhœa in vetuſtatem abit, in penis meatu & veſicæ ceruice carunculam ingenerare, vrinæque difficultatem tandem parere ſolet. Etenim acris & virulenta

lenta ſanies, quæ per diuturnas gonorrhœas è proſtatis in penis meatum continenter ſtillat & illabitur, non modo ipſius ductum in tranſitu ſenſim atterit, & exulcerat, ſed ſæpe etiam veſicæ ceruicem.

Hinc igitur vlcera in ceruice veſicæ, & in meatu vrinario, aut in alterutro relinquuntur: vnde (niſi coerceantur) quotidie ad extremum vſque ſenium purulenta materia exudat, quæ induſium commaculet, atque turpiter conſpurcet: & in quibus caro excreſcens carnoſum tuberculum proferat. Quanquam & aliæ non paucæ cauſæ numerando percenſeri poſſunt, quæ penis vlcus atque carunculam acccerſant citra obſcœnam gonorrhœam. Acris enim & mordax ſanies puſve è renibus in veſicam cum vrina illabens, illius ceruicem aſſiduo tranſitu nonnunquam exedit atque exulcerat, perinde ac virulentæ gonorrhœæ materia: vrinæ etiam limpidiſſimæ, ſed acres & præcalidæ per diabeten redditæ, nõ raro eadem incommoda accerſere viſæ ſunt, veluti & arenularum aſſidua profuſio, & calculus veſicæ ceruici incumbens, & tumor in ceruice veſicæ ad ſuppurationem perductus, ſed gonorrhœa venerea omnium frequentiſſima ac peſſima cauſa exiſtit.

Fidem ſuperat ac paradoxum eſt, quod à quibuſdam literis proditum video, craſſam pituitam è capite per renes in veſicam illabi, quæ peni vlcus & hyperſarcoſim inurat, nullæ enim viæ ſunt cerebro cum renibus communes, quibus craſſa illa pituita in veſicam procumbat. Contracti in ceruice veſicæ aut penis meatu vlceris argumẽta ſunt, frequens emictio, dolor in reddendo lotio excru-

Digitized by Google

cians, pus album & craſſum è pene ante emictionem effluens.

His igitur ſignis poſt gonorrhœam comparentibus vlcus in meatu vrinario contractum intelligitur, cuius acceleranda eſt curatio, antequam in eo vel caro ſupercreſcat atque luxuriet, vel craſſa ſordes in callum obdureſcat, qui ſtranguriam dyſuriam, iſchuriam accerſit: nonnunquam etiam inflammationem, gangrenam, & mortem præmaturam. Interdum ceruicis veſicæ & penis vlcera tam altè colem exedunt atque excauant, vt foras emergant in ſummam cutem, illacque vrina profluat.

Vt igitur vlceri mature occurras, antequam vel penem erodat, vel caruncula aut callo obducatur, victus inſtituendus, qui flatus & cruditatis ſit expers, quique omnium humorum atque vrinæ acrimoniam temperet. Cruda omnia interdicenda, velut etiam præcalida, ſalſa, acria, & aromatis condita, & quæcunque ſanguinem & humores adurunt. Potus eſto hydromeli valde aquoſum paſtus initio, in cuius vicem hordei decoctum, aut ptiſana vulgaris æſtate ſubſtitui poterit in bilioſis naturis, velut & piraceum aut pomaceum purum ac pellucidum ſatiſque defæcatum concedi poterit, & vinum tenue extreme dilutum.

Frequens ſit vſus enematum, quæ materiam noxiam in vrinæ vias contendentem in aluum reuocent & expurgent. Crebra etiam adhibeatur purgatio, modo per caſſiam, alias puram & impermiſtam, alias cum rhabarbaro, modo per catholicum aut per aliud leniens, tergens, & blandum catharticum, quod omnem ſanguinis impuritatem atque obſtru-

obſtructionum materiam in aluum deriuet. Hyeme, ſi ſordidum vlcus eſt, catapotia ex myrrha & radice gentianæ cum aloes octuplo, & ſyrupi violati momento recte cibo præmittuntur ex interuallis. Sed in calidis naturis ſemina refrigerantia inſerentur.

Topica remedia ſunto, decoctum tergens, vnguentum detergens & ſiccans, & quum ſatis deterſum vlcus erit, aqua aluminoſa vnguentum citra morſum ſiccans, & cicatricem inducens.

℞ Foliorum ſaniculæ, nicotianæ, abſynthii vulgaris, verrucariæ, equiſeti, agrimonii, centaurii minoris, hyperici, roſarum rub. ſingulorum M. j. Lupinorum contuſorum, ℥ ß. plantag. M. j. ß. fiat decoctum ad ℔. j. ß. In quo colo traiecto diſſ. ſyrup. roſarum ſiccarum, & de abſynthio vtriuſque ℥ j. ß. Mel roſaceum melius terget, ſed nimium mordet ac exaſperat penis & veſicæ vlcera, niſi valde ſordida ſint, aut corpus durum & obtuſo ſenſu præditum, in quibus non modo mel loco ſyruporum, ſed etiam aloe, myrrha & radix ariſtolochiæ commodiſſime adhibentur.

℞ Tutiæ præparatæ, lapidis calaminaris præparati, ceruſæ venetæ, ſingulorum ʒ j. tenuiſſimi pollinis plumbi crudi caphuræ, vtriuſque ʒ ß. ſucci nicotianæ cocti ad mellaginem ʒ ij. olei è myrrha extracti quod ſatis erit. In cote marmorea diu terito, dein in mortario plumbeo, piſtillo plumbeo rurſum ſubigito in vnguentum. Penis vlcera ſiccat, & citra morſum terget, & ſi quid excreuit, breui abſumit ac reprimit citra inflammationem, velut & aqua quæ ſic habet:

℞ Aluminis crudi ℥ ij. albumina ouorum cru-

dorum xv. numero, ſuccorum portulacæ, plantag. ſolani, ſemperuiui, nicotianæ, aquarum vlmariæ lagopi & roſarum, ſingul. ℥ iiij. agitentur diu ſimul omnia, dein in ollam vitream ponantur, & aqua proliciatur in duplici vaſe. Ducunt quidem ſuperiora, etiam cicatricem, ſed quod ſequitur aliquanto validius.

℞ Corticis granatorum exuſti, gallæ vſtæ, tutiæ præparatæ, plumbi vſti ſingulorum ʒ ß. macerentur in aqua roſ. horis duodecim, dein ad ſolem aut ignem ſiccentur, & in cote marmorea cum oleo myrtino in vnguentum concinnentur addendo caphuræ ʒ ß.

Aliud cicatricem duriorem trahens, & fluxiones repellens.

℞ Gallæ immaturæ nucum cupreſſi baccarum myrti, balauſtiorum, malicorii vſti, calycum glandium, maſtiches ſingulorum ʒ j. omnia in exquiſitum leuorem trita dies aliquot in ſuccis meſpilorum & ſorborum macerentur, dein ad ignem aut ſolem ſiccentur, & cum ℥ ij. olei roſarum aqua roſarum, in qua liquatum ſit aluminis momentum eloti, & ceræ albæ ℥ ß. fiat vnguẽtum in cote marmorea & mortario plumbeo.

Trahit & cicatricem quod ſequitur paratu facile.

℞ Aquarum plantag. & roſ. vtriuſque ℥ iiij. trochiſcorum albi raſis ℥ ß. boli armeni ʒ ß. fiat iniectio.

Vtendi ratio.

Mane veſperi abſtergens decoctum per ſyphonem in penem iniiciatur tepidum, & aliquandiu pene contineatur prehenſo atque compreſſo altera

Digitized by Google

tera manu præputio cum glande, altera pene qua parte vlcus erit contrectato: hora ſomni ſine morſu tergens & ſiccans vnguentum è cereolo, qui tota nocte vlceratæ parti inſideat, imponatur, prorſus reddito prius decocto. Vtrunque alternatim adhibeatur, dum ſatis deterſum vlcus appareat. Satis autem deterſum & expurgatum fuerit, quum nihil aut minimum puris extillabit, quumque vrina inter meiendum acrius, quam dudum vlceratam partem compunget. Tum igitur prætermiſſis tergentibus aqua aluminoſa, aut deſcriptum vnguentum, aut vtrunque indetur ad cicatricis generationem. Huius curationis finis erit, quum nullo dolore æger premetur inter meiendum, nihilque puris è pene excidet.

Videndum autem etiam atque etiam, ne quod è pene excidet pus, non è penis vlcere, ſed è proſtatis ſcaturiat. Id enim ſæpe doctiſſimis chirurgis ac medicis impoſuit. Sæpe ad multos annos purulentam materiam proſtatæ profundunt, nullo valetudinis diſcrimine, nulloque penis vlcere, ſed multo ſæpius vtrunque vitium concurrit. At internoſcuntur, quod nulla acrimonia, nulloque morſu moleſta ſit vrina, quum in ſolis proſtatis vitium eſt: Contra vero, exulcerato interno penis meatu, vix citra dolorem vrina profluit, niſi quum craſſa ſordes, vel callus vlcus obduxit. Sed tum vrina aut guttatim redditur, aut tenui quaſi filo ſenſim exit atq; dimanat, quod poſtea luculentius exponetur.

Si inueteratum iam vlcus cathetere calloſum deprehenditur abſque caruncula, niſi ante horum remediorum vſum diligẽter fotu emolliatur, opera fere luditur.

In vlcere neglecto vel craſſa ſordes, in callum tandem concreſcit atque obduratur, vel caro ſupercreſcit atque luxuriat. Vtrunque vitium penis ductum obſtruens ſtranguriam ac dyſuriam acceſſit, nonnunquam & iſchuriam, perinde ac calculus: vt idcirco ſic affecti complures in ſuſpicionem calculi venerint. Sed hinc vitii cauſam internoſcere licet. Caruncula & callus tenuem vrinæ curſum efficiunt, qua minime vt in ſanis, vrina pleno ductu ac fluore prorumpit, ſed exili quodam quaſi filo exit. Calculus vero emictionem interruptam efficit, qua tamen vrina pleno curſu profluit, ſi ſolitarius eſt.

Ad hæc pene digitis compreſſo, durum tuberculum deprehenditur, & immiſſo cathetere, velut offendiculum occurrit, ne facile catheter in veſicam vſque impelli poſſit, obſiſtens. Grauitatis ac ponderis ſenſus in anum minime incumbit, vt fit in veſicæ calculo, neque inter meiendum egerendi deſiderium ineſt, niſi forte, perquam raro, quum ſcilicet maximus tumor veſicæ ceruicem obſidens rectum inteſtinum non minus premit, quam calculus. Sed ſi forte lapiſne ſit, an caruncula incertis ſignis adhuc ambigitur, hac ratione apertius diſcernetur.

Purgato per caſſiam corpore catheterem cereolumve perita manu in veſicam ſenſim immittere tentandum. Si igitur nullo offendiculo ad veſicæ ceruicem, atque hinc ad veſicam vſque inſeritur, nec tuberculum carnoſum, nec callus vrinæ viam obſidet, ſed in veſica calculus ineſt, cathetere diligenter inueſtigandus. At ſi vel iuxta glandem, vel in medio pene, vel in ceruice offendiculum catheteri

teri occurrit, quod vel nulla prorſus arte, vel non niſi ægre & vi maxima cathetere perrumpi ac ſuperari poſſit, carunculam callumve ea parte ineſſe certum eſt. Sed tum alia etiam inſunt certa eorum ſigna, atque minime ſuſpecta teſtimonia, quæ ante iam propoſui.

Tenuis enim vrinæ fluor eſt, iſque minime rectus, ſed obliquus, ac ſæpe in duas partes diuiſus. Ad hæc dolor ſub emictionis finem crudelius quã dum vrina profluit, diſcruciat. Vrinæ enim nonnihil inter veſicæ ceruicem & carunculam remanet, quod non niſi maximo conatu ſummoque dolore exprimitur. Quod ſymptoma poſt coitum etiam pleroſque male habet, coercito ob carunculam in pene ſemine, quod natura ſummo conatu poſt coitum expellere contendit.

Sæpe adeo excreſcit caruncula, vt vrina omnino ſupprimatur intolerabili cruciatu. Nonnunquam affluentibus in eam partem humoribus inflammatio oritur, quæ vel in pus vertitur horrendis doloribus inſignique febre, ac rupto abſceſſu expurgatur: vel ante ſuppurationem ac ruptionem ſurſum remeante vrina, laborantem proſternit ac iugulat.

Crudele admodum ac miſerabile morbi genus eſt penis caruncula, hominem (niſi coerceatur) ſic tandem laceſſens, vt mori ſatius ducat, quam tantis doloribus tamque acerbo diſcrimine vitam diutius protrahere. Quod tamen omnes fere virulentas gonorrhœas excipit, alias citius, alias ſerius, vt multis incredibile videatur, quoſdam hoc vitio tentari annos plus viginti, poſt contractam gonorrhœam. Huius ergo obſcura & leuia, ſed admo-

Digitized by Google

dum longa eſſe ſolent principia,ſed ſemel exortum vitium ſenſim increſcens, eo tandem prouehitur, vt non minus, ſæpe etiam crudelius, quam veſicæ calculus ægrum excarnificet. Nam præterquam, quod inter meiendum diros cruciatus excitat, & frequentiſſime ad meiendum compellit, vt calculus (exulceratam enim veſicæ ceruicem vrina in veſicam illapſa acriter mordet atque compungit) ea etiam reddita circa ceruicem veſicæ mira compunctio aliquandiu ſentitur. Sed & vrinam plerunque intercipit, non minus quam calculus, humido pluuioſoque cœlo tumeſcente caruncula aut affluente humore imbuta atque inflammata, aut immiſſo cathetere irritata. Et hæc quũ ab hac cauſa incidit ſuppreſſio, multo periculoſior quam quæ à veſicæ calculo. Nam immiſſo cathetere calculum, qui vrinæ obuiam fit, minimo negotio repellere licet, vrinamque ſuppreſſam prouocare: at in hac ſuppreſſione, nihil præter mortis imaginem miſero ægrotanti ob oculos obiicias, quum nec cathetere immiſſo vrinam euocare, nec ſumpto diuretico promouere poſſis. Sed & leuiſſima occaſione veſicæ ceruicem calido & humido loco ſitam inflammatio prehendit, in calidis præſertim naturis, quam gangrena breui conſequatur, niſi celeriter ſuppuret ac rumpatur. Quod quum accidit, fœda fiunt vlcera in penis radice & ſcroto, quæ ſinuoſa ac calloſa tandem euadunt, hiſque vrina obſtructo meatu naturali præter voluntatis imperium reliquo vitæ curriculo maxima ægri moleſtia & colluuie ſtillat & effluit. In quibuſdam ſcrotum in conſenſum trahitur, & in ingentem tumorem inæqualiter durum cuniculis refertum, quibus putris

tris illuuies & vrina profluāt, attollitur: quam gangrena vaſtans mortis conſequutionem adfert.

Quum autem omnis caruncula, quæ ceruici veſicæ ac peni adnaſcitur, curatu difficillima eſt, tum præcipue quæ gonorrhœæ virulentæ ſoboles exiſtit, ob eam veneni labem, quæ venereo concubitu contrahitur. Quippe nulla ſponte naturæ vnquam ſaneſcit, quamlibet mitem cauſam habeat: ſed augetur potius & ſenſim ingraueſcit, dum ſuppreſſa vrina hominem ſtrangulet, aut diris cruciatibus ſenſim tabefaciat, aut pudendorum putredine fœde ac turpiter conficiat.

Quæ ſic excreuit, vt catheterem in veſicam impelli non ſinat, difficillime curationem admittit. Sæpe enim vlcus carcinodes leui catheteris aut adhibiti medicamenti irritamento ſic excandeſcit, vt fluxionem protitet, inflammetur, vrinam ſupprimat, & mortem accerſat: quod ſæuiente bruma potiſſimum fieri in multis obſeruaui, partis ipſius ratione, cui frigus infenſiſſimum eſſe conſtat. Aut ſi forte carcinomatis malignitatem minime reſipiat, ſæpe ſaltem cœlo humidiore caruncula, quæ ſpongioſa eſſe ſolet, ſic intumeſcit, vt vrinam prorſus ſupprimat, atque curationem inchoatam intermittere cogat, dum mutato cœlo ſubſideat, vrinamque liberius elabi & effluere ſinat. Periculoſiſſimum ſiquidem vel gelido cœlo, vel ita ferociente caruncula, vt vrinam ſupprimat, catheterem immittere. De his igitur antequam curationem aggrediare, ægrotantis amicos commonefacies, aliaque omnia quæ curationem remorari atque retardare, & interdum ægtum in mortis diſcrimen adducere ſolent, metuenda inſinuabis, ne

medendi errore & inſcitia, quæ vi morbi ſuperuenerint, creata eſſe pericula videantur.

Falſum eſt quod ſcriptum reliquit Alfonſus Ferrius Chirurgicum opus recte ac proſpere ſuccedere, quum caruncula ſpecillo repugnat, eoque ſuperata ſanguinem multum profundit. Sic enim curatos non paucos notaui inflammatione prehenſos ac iugulatos ante diem ſeptimum: multoque magis quod ait, vrina abſtergendi, ſiccandiq;, qua pollet facultate, ſine artis beneficio ſæpe perſanari carunculam. Nam ſi recens genitum vlcus, ſiue in renibus, ſiue in ceruice veſicæ conſiſtat, nec abſtergere, nec ſiccare vrina poteſt, quomodo genitam iam in eo carunculam atteret atque adæquabit? Ego quidem vrina acriori, nec ſiccari, nec cicatrice obduci vlcera, ſed potius augeri atq; exaſperari notaui.

Curatio.

Vere & autumno recte inſtituitur huius vitii curatio, ſi forte det inducias. At ſi vel dolor, vel vrinæ ſuppreſſio nimium vrgeat, quouis anni tempore eam aggredi licet, cauendo diligenter frigus, quod veſicæ aliiſque partibus neruoſis inimicum prodidit Hippocr. & æſtatis ardorem, quæ humores extorret, acreſque & bilioſos efficit, & fluxionum atque inflammationum prouentum gignit. Hyeme igitur in conclaui æger habendus, in quo ignis perpetuus ſit: Æſtate vero in cubiculo, quod flatu aquilonio temperetur.

Porro autem curatio à corporis purgatione inchoanda. Purgatio vero interdum per caſſiam, interdum per catholicum, aut rhabarbarum, modo per apozema, quod mox deſcribetur, decernenda.

Vehe-

Digitized by Google

Vehementiora, quæ humores nimium excalfaciunt, conturbant & exagitant, prorſus declinanda, ne fluxiones promoueant: adhibeantur interdum & clyſteres, quibus humorum curſus in aluum conuertatur.

℞ Polypodii rad. cichorii & acetoſ. paſſul. ſingulorum ℥ ß. rad. altheæ ʒ ij. fol. maluæ, violariæ, parietariæ, pimpinell. borrag. bugloſſ. agrimonii, betonicæ, an̄. M. j. flor. cord. & nympheæ, an̄. p. j. ſem. melonum, endiuiæ, fœnicul. glycyrrhizæ, an̄. ʒ j. fol. ſennæ mundatorum ℥ j. ß. Coquito ad ℔. ß. Adde agarici albi ℥ ß. cinnamomi ʒ j. ß. In decocto colato diſſ. ſyrup. violarum ℥ iij. fiat apozema ad tres auroras alternas. Conuenit in cacochymo corpore. Nam in puro & obſtructionibus minime obnoxio manna, caſſia, catholicum, & clyſteres ſatis ſunt.

His igitur aliiſve lenientibus ac blandis catharticis corporis ſentina exhaurienda eſt, ante topicorum vſum, alioqui iis commota in partem affectam irruet, cœptamque curationem interturbabit atque interrumpet. Sed & vena ſecanda erit, ſi plenitudo inerit, & vires permittent eandem ob cauſam.

Vacuato corpore, ſi vetus vitium eſt, fotu, vnguento, cataplaſmate, inſeſſu præmolliri debet antequam cathæretica indantur. Sin recens eſt, citra emollientium vſum hiſce præſidiis tentari poteſt curatio.

Vnguentum cathæreticum.

℞ Ceruſæ, lithargyri auri præparati, vtriuſque ℥ ß. olei roſ. & è myrrha, vtriuſque ℥ j. ß. liquefacito igne remiſſo, dein adde tutiæ pompholyg. præ-

paratæ, ſtibii, ſpongiæ vſtæ, omnibus in ſucco plantaginis maceratis, ac dein in ſole ſiccatis, ſingulorum ℥ j. rad. ariſtolochiæ rotundæ myrrhæ, aloes, maſtiches, pul. tenuiſſimi plumbi crudi, añ. ℥ ß. caphuræ ℥ ij. ß. omnia cote marmorea tenuiſſime tero, dein in mortario plumbeo diu in vnguentum ſubigito. Sine ſenſu doloris ſordem in callum obduratam, & adnatã in vlcere carunculam, & quicquid in penis meatu, aut in ceruice veſicæ in tumorem extuberat, ſenſim atterit & abſumit: vlcera denique ad cicatricem commodiſſime perducit. In molli, laxo, & exquiſite ſentiente corpore ſatis eſt. In foſſorib. aut alioqui duro corporis habitu præditis vitrioli aut aluminis vſti momentum, aut pulueris ſabinæ tantillum adiicitur. Ego tamen Fernelii imitatione eorum loco ſtyracem liquidam olim adiiciebam. Cauendum ſemper etiam atque etiam, ne acriori remedio dolorem acerbiorem inferas. Semper enim præſtiterit longam & tutam, quam breuem & periculoſam curationem adhibere.

Emplaſtrum quo Ioannes Fernelius uti ſolebat.

℞ Aloes optimæ ℥ ij. myrrhæ, ariſtolochiæ, vtriuſque ℥ j. ß. tutiæ præparatæ ℥ ß. fiat omnium puluis, ex quo cum ſtyrace liquida fiat maſſa, quæ emplaſtri craſſitiem habeat. Cereolo è quo ceræ tantillum abraſum ſit, qua parte carunculam attingere oportet, agglutinatur, quod penis calore liqueſcens, tuberculum cui inſidet, abſumit.

Solida eſſe volebat medicamenta, quæcunque ad carunculam exedendam comparantur, quod liquida in viciniam diffluant, eamque interdum potius

tius quam calloſam carunculam excorient atque corradant: quod tamen quum remedia leuia ſunt, metuendum non eſſe, vſus me docuit.

℞ Sabinæ in vmbra ſiccatæ & tenuiſſime tritæ ʒj. ß. cerati de mucaginibus ℥ß. commiſceantur: carunculam omnem tutiſſime, ac ſine dolore ſenſim radicitus exeſt & exiccat, ſi Alfonſo Ferrio creditur. Sed hoc nobilius vnumquodque huiuſce morbi præſidium ſemper mihi viſum eſt, quo minoris acrimoniæ & morſus eſt particeps. Moderate igitur tergere debet, ſed validius exiccare hyperſarcoſeos penis remedium. Quæ acrius rodunt, præterquam quod partis ſubſtantiam vna cum hyperſarcoſi abſumunt, dolorem etiam, fluxionem atque inflammationem accerſunt, vnde multa pericula obrepunt. Valeant igitur atque ab vſu longe repellantur, quæcunque cum ærugine, vitriolo, alumine, aqua chemiſtarum, aliiſque acrioribus parantur, niſi valde durum corpus ſit, & multa ac laborioſa præparatione, aliorumque miſtione obtundantur.

Vnguentum refrigerans dolores atque ardores, qui catheteris vſu, aut adhibiti medicamenti acrimonia concitantur leniens atq; demulciens.

℞ Ceræ albæ ℥j. ß. olei roſ. ℥v. liquata vaſe duplici in vas aliud transfundantur, ſenſimque affuſa, ac ſubinde mutata aqua frigidiſſima diu ſubigantur. Poſtremo autem ſemperuiui aut ſolani ſuccus defæcatus ſubigendo affundatur, aut plantag. & roſar. aqua, poſtremo caphuræ ʒj. adiicitur, & opii in lacte ſoluti ℈ iiij. in vnguenti media parte.

Multo validius eſt ad omnia, quod opium recipit, ſed altero ſæpius vtendum in leuioribus vitiis. Vnguentum cicatricem ducens, ſi expoſcitur, ſupra deſcriptum eſt in ſimplicis vlceris curatione.

Vtendi ratio.

Veſperi ſub horam ſomni vrina reddita, cereolus apte fabricatus in penem ſic indendus, vt eius pars, quæ vnguento deſcripto illita, aut emplaſtro obducta fuerit, carunculam attingat, illicq; ſinendus dum meiendi neceſſitas ipſum eximere hortetur: vrina reddita rurſum vnguento inungi, & intro pelli ad carunculam vſque debet, & ita relinqui dum rurſum meiere æger cogatur.

Hæc meiendi & adhibendi remedii, è cereolo continuanda viciſſitudo dum radicitus extirpata ſit caruncula, quod alias citius, alias tardius contingit, pro corporis habitu & carunculæ duritie aut mollitie. Sæpe tamen comperi hærenti in peni cereolo, vrinam haud ægrius reddi, quam eo exempto.

Si forte hæc remedia dolorē intus in pene cient, ac calorem accerſunt, vnguentum refrigerans è cereolo imponendum aliis remediis intermiſſis, dum dolor & calor remiſerint. Neque vnquam committendum eſt, vt præſidii quod ad exedendam carunculam comparatum eſt, morſu & acrimonia, fluxio & inflammatio accerſantur.

Eadem

Eadem curandi ratio, ſed per alia longe præſtantiſſima & efficaciſſima remedia eo quo ſuperiora modo adhibenda, quæ nullo fere doloris ſenſu, & ſine morſu penis ceruiciſque veſicæ tubercula atque hyperſarcoſes penitus abſumunt, cicatricemque tandem obducunt.

℞ Ceruſæ venetæ optimæ ℥ iiij. tutiæ lectiſſimæ præparatæ, & lotæ in aqua roſ. ℥ ß. litargiri auri præparati ʒ vj. ſtibii ſelecti in tenuiſſimum pul. redacti & excreti ℥ j. ß. caphuræ ℥ ß. maſtiches, olibani, aloes hepaticæ ſingulorum ℈ ij. Comminuenda marmoreo lapide diligentiſſime cõterantur, adiecto plantaginis ſucco, atque ad ſolem ſiccentur, dein rurſum exacte trita in mortario piſtilloque plumbeo, adiecto oleo roſ. q. ſ. ſit, diutiſſime agitentur, & fiat vnguentum, ex quo ad atterendum penis & ceruicis veſicæ tuberculum illinatur cereolus.

Aliud quod penis & ceruicis veſicæ vlcera egregie lenit, refrigerat, ſiccat, & ad cicatricem perducit.

℞ Vnguenti roſ. gal. recens confecti albi, & aqua roſ. loti vnguenti è ceruſa cum caphura pomade ex capreoli adipe ſine aromatibus paratæ, cuiuſque ℥ j. miſce, & diutiſſime in mortario plumbeo ſubige, fiat vnguentum.

Si quis diebus iis vnguentis viciſſim vti nouerit, illo quidem ad ſiccandam & abſumendam hyperſarcoſim: hoc vero ad dolorem & ardorem ſedandum, nihil ei opus erit aliis omnibus, quæ ſupra retuli

In vicem cereoli filum argenteum linteolo vſu protrito leuiſſimo ac tenuiſſimo apte obuoluitur vnguentum, dein ſuperlinitur. Filum ſic obuolutum in penem ſenſim ac blande impellitur, quod extrahitur in penis ductu coercito linteolo. Quoties vrina redditur, linteolum inſertum extrahitur, ea vero reddita aliud è filo argenteo rurſum inditur. Inungitur autem linteolum ſæpe vnguento catheretico. Interdum quum dolor & calor inſunt refrigerante. Si forte dura adeo ac magna caruncula eſt, vt eam cereolo aut filo citra vim atque inflammationis periculum curationis initio perrumpere ac ſuperare minime liceat, quotidie altius atque altius citra vim remedium immittitur, viamque ſibi parat ac percurat citra dolorem, citraque periculum. Dum calor ac dolor vrgent, non modo è cereolo refrigerantia induntur, ſed etiam aliis refrigerantibus penis extrinſecus obuoluitur.

Curatio abſoluta creditur, quum vrina liberrime citraque dolorem vllum effluit, & catheter nullo offendiculo in veſicam facile intromittitur. Horum remediorum viciſſitudine nulla eſt tam inueterata, neque tam contumax caruncula, quæ non ſenſim ac fere ſine dolore exedatur, ac radicitus extirpetur: ſi modo prudenter adhibeantur, & bene valeat reliquum corpus. Nam in valde cacochymis corporibus fluxiones metuendæ, vnde vrinæ ſuppreſſio, inflammatio, abſceſſus, atque pudendorum corruptio: quæ mala aliquando ægrotantem vel prudentiſſimo medico præter ſpem breui eripiant. Sed iſta auertuntur, ſi iuſta vitæ lex obſeruetur, & frequẽs ſed blanda adhibeatur purgatio,

gatio, quæ noxios humores exhauriat, & initia, quæ deſcripſi cathæretica vſurpentur, refrigerantibus quoties dolor accedit, aut calor adhibitis.

Deſcripta quidem remedia, qua arte ac methodo tradidi vſurpata tuto carunculam eximunt, ſed multo celerius, ſi ea fotu præmollita cathetere plumbeo atteratur atque dilaceretur. Id nonnulli neceſſarium cenſent, quum minime exulceratum, ſed callo duriore, aut etiam cicatrice obductum eſt adnatum tuberculum, quod ſic facile diſcernitur. Si enim exulceratum tuberculum eſt, pus quotidie è pene extillat. Sin vero cicatrice obductum eſt, nihil puris è pene effluere deprehenditur, ſed ſola dyſuria aut ſtranguria excruciat. Ego tamen fluxiones, inflammationes ac ſphaceliſmos veritus, quæ atterentis catheteris violentia & acriorum medicamentorum morſu non raro accerſi ſolere, obſeruaui: hactenus paulo longiorem, ſed multo tutiorem curationem, quam deſcripſi, ſequutus ſum. Præſtat tamen catheteris vſum adſcribere, vt ſi quando durior hyperſarcoſis occurrat, quæ deſcripta remedia diu continuata aſpernetur, ad eum tanquam ad ſacram anchoram perfugium ſit.

Quum catheter ad veſicam vſq; citra inſignem vim impelli poteſt, carunculam eo atterere licet: ſin minus, non item. Sit autem plumbeus, ſed affabre factus catheter, paulo tenuior aut craſſior pro penis meatu, iſque cauus, vt vrina eo in veſicam immiſſo facile profluat, & qua parte carunculam attingere poteſt, extrinſecus inciſſuris quibuſdam retrorſum ſpectantibus, velut lima inæqualis & interſectus, non quidem in extremo (id enim rotundum eſſe oportet & admodum læue, vt citra

In vicem cereoli filum argenteum linteolo vſu protrito leuiſſimo ac tenuiſſimo apte obuoluitur vnguentum, dein ſuperlinitur. Filum ſic obuolutum in penem ſenſim ac blande impellitur, quod extrahitur in penis ductu coercito linteolo. Quoties vrina redditur, linteolum inſertum extrahitur, ea vero reddita aliud è filo argenteo rurſum inditur. Inungitur autem linteolum ſæpe vnguento cathæretico. Interdum quum dolor & calor inſunt refrigerante. Si forte dura adeo ac magna caruncula eſt, vt eam cereolo aut filo citra vim atque inflammationis periculum curationis initio perrumpere ac ſuperare minime liceat, quotidie altius atque altius citra vim remedium immittitur, viamque ſibi parat ac percurat citra dolorem, citraque periculum. Dum calor ac dolor vrgent, non modo è cereolo refrigerantia induntur, ſed etiam aliis refrigerantibus penis extrinſecus obuoluitur.

Curatio abſoluta creditur, quum vrina liberrime citraque dolorem vllum effluit, & catheter nullo offendiculo in veſicam facile intromittitur. Horum remediorum viciſſitudine nulla eſt tam inueterata, neque tam contumax caruncula, quæ non ſenſim ac fere ſine dolore exedatur, ac radicitus extirpetur: ſi modo prudenter adhibeantur, & bene valeat reliquum corpus. Nam in valde cacochymis corporibus fluxiones metuendæ, vnde vrinæ ſuppreſſio, inflammatio, abſceſſus, atque pudendorum corruptio: quæ mala aliquando ægrotantem vel prudentiſſimo medico præter ſpem breui eripiant. Sed iſta auertuntur, ſi iuſta vitæ lex obſeruetur, & freques ſed blanda adhibeatur purgatio,

gatio, quæ noxios humores exhauriat, & initia, quæ deſcripſi cathæretica vſurpentur, refrigerantibus quoties dolor accedit, aut calor adhibitis.

Deſcripta quidem remedia, qua arte ac methodo tradidi vſurpata tuto carunculam eximunt, ſed multo celerius, ſi ea fotu præmollita cathetere plumbeo atteratur atque dilaceretur. Id nonnulli neceſſarium cenſent, quum minime exulceratum, ſed callo duriore, aut etiam cicatrice obductum eſt adnatum tuberculum, quod ſic facile diſcernitur. Si enim exulceratum tuberculum eſt, pus quotidie è pene extillat. Sin vero cicatrice obductum eſt, nihil puris è pene effluere deprehenditur, ſed ſola dyſuria aut ſtranguria excruciat. Ego tamen fluxiones, inflammationes ac ſphaceliſmos veritus, quæ atterentis catheteris violentia & acriorum medicamentorum morſu non raro accerſi ſolere, obſeruaui: hactenus paulo longiorem, ſed multo tutiorem curationem, quam deſcripſi, ſequutus ſum. Præſtat tamen catheteris vſum adſcribere, vt ſi quando durior hyperſarcoſis occurrat, quæ deſcripta remedia diu continuata aſpernetur, ad eum tanquam ad ſacram anchoram perfugium ſit.

Quum catheter ad veſicam vſq; citra inſignem vim impelli poteſt, carunculam eo atterere licet: ſin minus, non item. Sit autem plumbeus, ſed affabre factus catheter, paulo tenuior aut craſſior pro penis meatu, iſque cauus, vt vrina eo in veſicam immiſſo facile profluat, & qua parte carunculam attingere poteſt, extrinſecus inciſſuris quibuſdam retrorſum ſpectantibus, velut lima inæqualis & interſectus, non quidem in extremo (id enim rotundum eſſe oportet & admodum læue, vt citra

dolorem in veſicam inſeratur) ſed paulo citra, ſic enim fabricatus catheter dum in veſicam impulſus eſt, ſi ſæpius paulum retrahitur ac repellitur, carunculam aſperitate & inciſuris dilacerat atque dilaniat, cruoremque elicit. Sed hoc loco attendendum nihil in hoc affectu repente aut violenter, ſed omnia ſenſim tentanda eſſe: alioqui dolor, fluxio, inflammatio, & febris inſiliunt magno ægrotantis diſcrimine.

Carunculæ igitur dilaceratio in multos dies melius tutiuſque diuidetur. Quumque primo die opus peregeris, mox per catheteris adhuc inſidentis parti ductum, collyrium infundes, quod refrigeret ac leniat, arceatque inflammationem. Catheter denique filo lumbis apte alligatur, & in veſica ſinitur horis viginti, plus minuſve, vt æger ferre poterit. Sic enim plumbum doloris quem excitarit, alexiterium euadet, fluxiones repellens, humorum acrimoniam contemperans, inflammationem arcens, ac carunculam ſic comprimens, vt quum eximetur, vrina multo pleniore quam dudũ curſu effluat, viaq; aliis remediis è cereolo immittendis pateat liberior.

Extracto cathetere, reliqua curatio (vt ſupra cõprehenſum eſt) abſoluetur: ea tamen lege, vt ſi forte aliquot diebus exactis caruncula haud ſatis dilacerata videbitur, id præſidii genus per interualla repetere liceat, quumque repetetur dolor, ardorque ſi accedent, lenientibus ac refrigerantibus remediis, tum intropulſis cum cereolo, aut infuſis in penem, tum extrinſecus admotis ſtatim demulceantur. Lac caprinum, aſininum, humanum, vaccinum in id conueniunt. Succi plantaginis, ſolani,

ſemper-

ſemperuiui, aut eorum aquæ, aqua roſarum, aliaque eius claſſis.

Mucago liquida, ſeminis cytoniorum & pſyllii in aquis refrigerantib. deprompta, adiecta caphura diu agitata, Ouorum albumina in aqua roſarum aut plantag. linimentum album deſcriptum cum opio & ſine eo, addita caphura celeriter dolorem tollit, & ardorem extinguit. Hæc tum intromitti, tum foris admoueri poſſunt: quæ vero ſequuntur, extrinſecus duntaxat adhibentur. Oxycratum ſimplex, vel cum aquis aut ſuccis plantaginis ſolani roſarum & caphura.

Olea, vnguenta, & cataplaſmata refrigerantia, & repellentia, quorum ſylua alibi deſcripta eſt. Si forte immiſſo plumbeo cathetere carunculam dilaniare haud placet, vrinæ ſaltem meatum, hoc illic relicto alligatoque commodiſſime ac ſine periculo dilatabis, expeditamque adhibendis remediis viam optime ſeruabis. Horum igitur remediorum, plumbei inquam catheteris, catheretici & refrigerantis medicamẽti alternato vſu aduerſus carunculam obſtinate pugnandum, dum radicitus extirpata ſit, quod, vt ante dixi, aſſequutus chirurgus creditur, quum vrina citra dolorem libere excurrit, catheterque nullo offendiculo in veſicam facile inſeritur. Sæpe fit, vt abſumpta iuſtis præſidiis caruncula ſenſim repullulet, atque denuo ſupercreſcat: quum præſertim adhuc recens ac tenella cicatrix, intempeſtiua venere abrumpitur, aut calidioris & acrioris vrinæ decurſu abraditur. Sed incommodũ auertitur, ſi quæ citra morſum ſiccant, & cicatricem duriorem trahunt deſcripta præſidia, diu continuentur poſt abſumptam

carunculam. Et victus ratio euchyma ac contemperans obſeruetur.

Symptomatum, quæ huic curationi ſuperueniunt prouiſio.

Symptomata non pauca penis tuberculo obſeſſos exagitare ſolent, quorum non aliud iſchuria grauius. Hæc enim niſi breui tollitur, vrina ſuppreſſa ſurſum refluente lethargum fere accerſit, ac tandem interitum. Eius cauſa eſt fluxio in veſicæ ceruicem & exulceratam carunculam irruens. Irruit autem catheteris aut medicamenti irritamento prolecta, aut partium ſuperiorum robore in imbecillam depulſa.

Aluo clyſtere ſubducta, ſi febris ineſt, ſanguis illico miſſus, & refrigerantia tum foris adhibita, tum intro ſumpta inflammationem leniunt, repreſſaque fluxione vrinam proliciunt: at ſi febris nulla eſt, caſſia cum rhabarbaro phlebotomiæ præfertur. Vacuato corpore fotus emolliens, ac leniter digerens perinæo & imo ventri adhibendus, & à fotu vnguentum ac cataplaſma pariter emolliens ac digerens. Si ſuſpecta eſt inflammatio, his refrigerantia permiſcenda tenuium partium, cuiuſmodi eſt acetum, neque valde calida inducenda, ne humorum fuſio concitetur.

Si ſphaceliſmus in metu etiam fuerit cataplaſmati farinæ adiiciantur fabarum, hordei & orobi, quæ partis robur tueantur, & putredinem arceant. Interim dum hæc fient, bis terve quotidie clyſteres repetendi, iulepi mediocriter diuretici ante paſtus propinandi. Victus ratio tenuis & attenuans

Digitized by Google

tenuans obſeruanda, ſimulque refrigerans, ſi febris inerit, aut inflammatio metuetur: hydromeli vini loco vſurpandum, ſi febris abeſt. Si his præſidiis ante biduum minime prolicitur vrina, cereolus, aut (qui primas tenet in hoc affectu) catheter butyro, vel oleo illitus in veſicam immittendus, iſque cauus, vt eo vrina facile emanet, ac profluat.

Si forte abſceſſus ineſt, qui foras viam affectet, mature ſcalpro, aut cauterio aperiendus, vt facto emiſſario pus & vrina expurgentur. Si nec abſceſſus ſubeſt, nec deſcriptis præſidiis vrina cieri poteſt, vltimum remedium eſt veſicæ ceruicem incidere, factoque vulnere vrinam elabi ſinere, dum validioribus cathereticis caruncula abſumpta, naturalis vrinæ ductus expediatur.

De dolore & ardore inter meiendum.

Si vrinæ acrioris occurſus exulceratã penis partem in tranſitu acriter compungit, mordet & vellicat, his occurrendum eſt: Imperanda victus ratio, quæ humectet ac refrigeret, ſanguinem & vrinam eius vehiculum leniat ac contemperet. Syrupus de althea è cochleari mane, & ante paſtum hauſtus, vrinæ vias oblinit, eiuſque ardorem & acrimoniam demulcet. Idem præſtat ſyrup. violaceus, & topicorum ſylua. Vnguentum album deſcriptum cum opio è cereolo immiſſum quaſi miraculo omnem dolorem & ardorem illico ſedat, & extinguit, hocque ſolo vrgentem dolorem compeſcere ſuadeo. Alia tamen infinita in id vires ha-

Digitized by Google

bent, dum vel in penem per ſyphonem infunduntur, vel ei extrinſecus admouentur, quæ cuiuis facile ſit è propriis fontibus depromere, & quorum pars antea relata eſt.

De argenti vini in hoc affectu vſu.

Fucata eſt, quæ affricto inguinibus & imo ventri argẽto viuo tentatur curatio. Liqueſcit quidem nonnunquam, ac funditur non modo carunculæ pars, ſed & reliqui corporis ſubſtantia vnguine ex hydrargyro, verum nec caruncula radicitus ſic exceditur, nec vlcus ad cicatricem perducitur: ideoq; liberalius nutrito corpore denuo incremẽtum capit, & eadem quæ prius ſymptomata inſiliunt. Adde, hoc remedii genere ſputationem moleſtiſſimã promoueri, cerebri ac neruoſi generis robur diſſolui, plerunque etiam intumeſcentibus faucibus ſtrangulationem accerſi. Nemini igitur (pace reunctorum dixero) tanti vnquam emendum longum pœnitere.

De guaiaco.

Quum toto morbi ac curationis decurſu vrinæ acrimonia eſculentis ac potulentis mitiganda ſit, quam longe à ſcopo aberrant, qui decoctum guaiaci calidi & ſicci propinandum ſuadent? Neque vero, vt luis venereæ externi tophi, hoc decocto diu continuato ſenſim liquati euaneſcunt, exiccanturque vlcera, ſic penis caruncula inueterata eodem præſidio vnquam percuretur atque ſaneſcat, quod longa exercitatio me docuit. Quippe mali-

maligna ac venenata morbi labes partibus impreſſa, earum coctione labefactata excrementa congerit, vnde venerei tophi ſuccreſcunt. Hac igitur pernicioſa morbi labe guaiaci decocto, & proprio alexiterio extincta, tophos etiam quos committebat digeri, ſiccari, atque diſparere ſiccante præſidio neceſſe eſt. At penis tuberculum non ea tantum malignitas, ſed natura carnis procreatrix in exulcerata parte profert, atque progignit. Ideoque eam ſiccante guaiaco minime, vt tophos venereos extirpari, ſed indurari certum eſt: nonnunquam etiam acriore reddita vrina mire efferari. Chynæ aut ſarçeparillæ decocto, cui mellis nonnihil inſit, primas tribuo in hoc affectu. Sequitur hydromeli vinum aquoſum & debile, valde dilutum, pomaceum, aut piraceum limpidum, beneque defæcatum, ptiſana vulgaris.

Iam vero quicunque Lutetiæ hactenus magni nominis fuerunt aliptæ & reunctores, neminem abſque hydrargyrioſi à lue venerea integre vindicari poſſe contendunt: guaiacum, ſarçamparrillam, chinam, aliaque eius generis ſudoribus mouendis idonea, tenues duntaxat, & ſeroſos humores (græci ichores appellant) craſſis intus relictis detrahere, ſolum vero hydrargyrum proprium & peculiare luis eſſe alexipharmacum craſſam lentamque pituitam, quæ labis venereæ ſedes ac vehiculum exiſtit ſputatione expurgans: à qua opinione, licet falſa, quoniam nullis rationibus dimoueri poſſunt, præſtat (quamuis illorum votis inuitus ſubſcribam) ita luis venereæ curationem per argentum viuum temperare, vt periculoſiſſi-

ma ſymptomata, quæ ſputationem conſequi ſolent, poſthac declinentur, & nihilominus perfecta conſequatur ſanitas, quod proximo libro docere conabor ab hydrargyri natura ac temperie exorſus.

FINIS LIBRI SECVNDI.

I. PAL-

Digitized by Google

I. PALMARII CONSTANTINI DE HYDRARGYRO LIBER VNVS.

QVID SIT ARGENTVM VIuum, & quibus differentiis diſtinguatur. Cap. I.

YΔΡΑΡΓΥΡΟΣ Græcis quod aquæ modo fluere videatur argentum viuum, Latinis quod ſit mobile appellatur: colore quidem argento ſimile, ſed liquidum, fluxile & pellucidum eſt. Ariſtoteles ἄργυρον χυτὸν, hoc eſt, fuſile, ſeu liquidum argentum appellat. Duo huius ſunt genera, natiuum ſeu foſſile & factitium: illud argentum viuum, hoc hydrargyrus Plinio dicitur. Dioſcoridi & aliis Græcis vtrunque hydrargyrum appellari video. Naturale quod & foſſile, in argenti fodinarum tectis ſtillatim cõcretum, vel inter alia metalla inuenitur, aut certe ex lapide quodam, qui ex ipſius argenti fodinis eruitur, arte prolicitur in hunc modum: Lapis effoſſus conteritur, & in fictilia anguſti oris coniicitur, quæ recenti arborum muſco obturantur, alia dein fictilia vacua, ſed oris amplioris in terram excauatam recondita, illis ſubiiciuntur oſcula ſuprapoſitorum ita adaptando, connectendo, & argilla circumlinendo, vt quicquid è ſuprapoſitis exci-

Digitized by Google

derit, in ſubiecta illabatur & influat. Vacuis ergo fictilibus terra opertis: plenis vero ſupereminentibus ignis in area circum accenditur, qui plena fictilia vndique ambiat, vt calfacta concluſa materia permiſtum ſibi argentum viuum in ſubſtratum fictile guttatim deponat atque expuat. De hoc ſcripſit Plinius in argenti venis lapidem eſſe, cuius vomica liquoris æterni argentum viuum appellatur.

Factitium ex minio excoquitur, ac purgatur in hunc modum: In patinam fictilem minium inditur, operculum dein additur, atque vbi diligenter luto circumlita eſt, accenſis carbonibus ſuperimponitur: poſtea quæ operculo adhæſerit fuligo deraditur. Hæc enim vbi refrigerata coierit, argẽtum viuum eſt. Fit ex plumbo hocce modo:

Calx viua in fictile anguſti oris immittitur, plũbi dein laminæ ſuperadduntur, ac ſuper his fæx vini vſta. Eadem opera alternatim continuatur, dum fictile repleatur. Fictile diligenter obturatum, ne quid expiret, arena ſepelitur, ac ſinitur dies quinquaginta ſub canis ardoribus loco ſoli meridiano expoſito. Sic plumbum in argentum viuum compage ſoluta liqueſcit. Sunt qui non vini fæcem vſtam, ſed quod doliorum lateribus exiccatum adhæreſcit ac pellucet (tartarum vocant) vſurpent, & fimo equino fictile diu ſepeliant.

Sunt qui ex eboris ſcobe, & rebus aliis pene omnibus argentum viuum elici poſſe (quod rerum omnium ſemen ac principium ſit) literis prodiderunt. Naturale pellucidius, tenuius, purius & præſtantius. Factitium vero originis ſuæ nondum immemor, obſcurius, impurius, craſſius, imbecillius, dete-

deteriuſque ad omnia exiſtit. Quod ex plumbo fit, plumbaginis multæ etiamnum particeps, quo fit, vt neque ad inaurandum, neque ad morborum curationem aptum eſſe videatur. De naturali igitur, noſtra potiſſimum inſtituetur oratio.

Argenti vivi ex veterum Græcorum & Arabum ſententia vires ac proprietates. Cap. II.

Qvvm ſummo frigore humoreque præditum ſit argentum viuum, iure miretur quiſpiam qui fieri poſſit, vt maxima partium tenuitate polleat, nihilque craſſi & lenti obtinens, quo veluti viſco ac glutino terrenæ eius partes inter ſe iunctæ cohæreant, perpetua mobilitate valeat ac vigeat: ea tamen res efficit, vt per ſe nec cogatur, nec concreſcat: aliis vero miſtum, quæ ei vel calorem, vel ſiccitatem, vel lentorem impertiant, & addenſari & concreſcere poſſit. Cum calido namque & ſicco ſulphure ſi teritur, protinus in puluerem atrum redigitur, & in calens plumbum infuſum ſtatim cogitur, atque denſatur argenti inſtar, non noui caloris & ſiccitatis, vt quidem reor, ſed lentoris cuiuſdam & craſſitiei appulſu, quam calens plumbum illi communicauit, & quam in ignes coniectum mox exuit. Hoc philoſophi (chymiſtas intelligo, qui hoc nominis peculiariter ſibi vendicant) cum calido & ſicco ſulphure miſtum, in metallorum omnium materiam cedere tradunt. Idcirco ex ſtibio, aut ſale petreo, aut ammoniaco Philoſophicum lapidem ſubiectorum ignium opera diu & prudenter continuata elicere annituntur, qui argentum viuum in aurum tranſmutet.

Sed in auro ſolo ſemina auri ineſſe certum eſt, ſi quis inſitum ei calorem vegetiorem efficere, ſicque exuſcitare nouerit, vt argento viuo ali, augerique poſſit.

Metalla omnia hydrargyro ſupernatant, vt aquæ ligna, præter ſolum aurum, quod vnum ad ſe rapit, tanta huic cum illo neceſſitudo atque amicitia interceſſit. Ideo & ipſum optime purgat, cæteras eius ſordes expuens crebro iactatu fictilibus in vaſis, ſic tamen vt ipſum ab auro tandem diſcedat. In pelles enim ſubactas ſi effunditur, per has ſudoris modo effluens, purum relinquit aurum. Ad hæc quæcunque inaurantur, hydrargyro intercedente aurum pertinaciſſime retinent, alioqui vix admiſſura. Vix aſſeruari poteſt, niſi triticeus furfur inſeratur, vaſa enim fere omnia exeſt, præter vitrea, ſtannea, plumbea, & fictilia vitro circumlita, & pyxides ligneas reſina, & terebinthina intus oblitas. Sed de his ſatis. Iam ad inſtitutum feſtinet oratio.

Argentum viuum nullius olim fuiſſe vſus in medicina, aperte declarant Galeni de eo ſcripta admodum varia, quibus intelligere eſt, eum nihil certi de argenti viui natura apud ſe conſtituiſſe. Siquidem Dioſcoridis ſententiam ſequutus, alicubi ſcribit id corporis noſtri calorem eo perducere, vt interimat per eroſionem, alias in iis numerat, quæ tota vi & natura, hominibus adeo ſunt contraria, vt ſi vel minima eorum pars fuerit aſſumpta, omnino lædat: alias nullum ſe periculum feciſſe ait, an potum interficiat; an extra corpori admotum aliquid efficere poſſit.

Dioſcorides quidem hydrargyrum potum, vim exitia-

exitialem habere cenſuit, eius vſu grauiſſima tormina cieri: interna exedi, vrinam ſupprimi, corpus intumeſcere, plumbeamque deformitatem concipere teſtatus. Cuius ſententiam ſequuti ſunt, Paulus, Aetius, Actuarius, aliique fere omnes Græci.

Paulus ipſum haud ita multũ in re medica momenti præſtare arbitratur, quum ſit lethale venenum. Denique è veteribus Græcis medicis vix vllus inueniri queat, qui ipſum in medicinæ vſum introducere ſit auſus. Quorum opinioni ſubſcribens Plinius argentum viuum rerum omnium venenum pronunciauit. Nam quod Paulus ait argentum viuum vſtum, & in cinerem redactum, aliiſq; rebus permiſtum, colicis & iliacis bibendum præberi, id ex aliorum opinione, quorum ſcripta non extant, retulit. Arabes vero vnguentis exceptum ad omnem ſcabiem ſiccam, & cutis ſcabritiem commendantes atq; vſurpantes, illius dignitatem mirifice auxerunt. Cuius rei fidem facit vnguentum ſarraſenicum ab iis profectum, cuius extat apud Nicolaum deſcriptio.

Poſteritas Arabum imitatione, id ad luem veneream profligandam (hæc enim ſcabiei quoque ſpecies cenſeri poteſt) atque ad plurimorum aliorum externorum affectuum curationem transferens, ipſius vſum adeo familiarem reddidit, vt iam ſine eius cognitione, ea medicinæ pars quæ therapeutice dicitur, manca & imperfecta videri poſſit.

Nos igitur noſtram quoq; ſententiam de eo ferentes, quibus viribus excellat, quibuſque obſit incommodis, quantum longo vſu aſſequi licuit, paucis perſtringemus.

ARGENTI VIVI VIRES ET facultates. Cap. III.

ARgentvm viuum impendio frigidum & humidum quum ſit, ſimulque inſigni partium tenuitate præditũ, ſupra cætera omnia, quæ veterum memoria celebrata legimus medicamenta, non modo calidorum humorum furorem atque impetum coercere, feruorem obtundere, ſiccitatem temperare, & malignitatem cohibere: ſed etiam calida & ſicca viſcera ita humectare atq; refrigerare poteſt, vt bilis minimum in poſterum colligant. Quæ res efficit, vt corpori prudẽter & methodice illitum, aut intro ſumptum (vtroque enim modo, ſi recte præparetur, tuto vſurpari poteſt) omnis generis ſcabiem ſiccam & pruritum demulceat atque compeſcat, herpetes etiam tum miliares, tum exedentes coerceat, impetiginem & pſoram tollat, lichenas & lepram quantumuis inueteratam radicitus exſcindat, incipientem elephantiam, quæ minime hæreditaria ſit, intercipiat, hæreditariam à ſemine ipſiſque naturæ primordiis contractam, differat. In ſumma omnem cutis fœditatem illitum, aut intro ſumptum, nulla ventriculi noxa, deleat & expurget.

At vero occulta proprietate caput petit cuicunque parti affricetur, cerebrum & neruoſas partes commouens & exagitans. Itaque immodicas deſtillationes atque ſputationes moleſtiſſimas mouet, aut certe alui profluuia torminibus infeſta acceſſit. Fundit enim atque liquefacit, non ſolum pituitam, ſed etiam ipſarum ſolidarum partium ſubſtantiam, vt ex iis proprium & peculiarem humorem

morem eliciat atque expurget. Quamobrem chœtadas extirpat, profuſa per os maligna pituita, quæ in capite redundabat; illincque in ſubiectas partes delabens, illarum cauſa fuerat. Scirrhos etiam emollit atque reſoluit ſumma qua pollet humiditate partium tenuitati coniuncta. Dolores omnes tum calidos tum frigidos mitigat, illos quidem per ſe ac propria refrigerandi qua præcellit facultate: hos vero ex accidenti, purgatoria ſcilicet, vi vel in aluum deturbans, vel in os regerens, atque expurgans liquefactos maxima ſua tenuitate fuſoſq; frigidos humores, qui horum cauſa fuerant. Quod igitur calidæ & ſiccæ viſcerum conſtitutioni, maxime vero iecoris intemperiei atque inde genitis morbis medeatur, id non alio referri debet: quam ad frigidum & humidum eius temperamentum, quod vero attenuet atque incidat craſſa, præſtetque digerendi virtute, ad materiam maxima partium tenuitate præditam, quod ſcirrhos emolliat atq; digerat, ad eandem materiæ tenuitatem cum exuperanti humiditate coniunctam referendum. At quod vel extremis partibus illitum omnia, quæcunque intus in corpore deliteſcunt, mouens & colliquans, partium ſubſtantiam, in os compellat, atque ſputatione vacuet, vel cum magnis torminibus aluum ducat, id ex eorum numero eſſe videtur, quæ à forma occultave proprietate oriri dicuntur.

His certe viribus hydrargyrus præſtat & excellit, poteſtque ab exercitato, & prudenti medico ad multorum morborum profligationem vſurpari, qua arte ac methodo, in ſingulorum morborum curationibus dicemus.

Iam quibus pariter incommodis eorum ſaluti clanculum inſidietur, breuibus explicandum, ne quid poſtea temerario eius vſu peccent empirici, aut medicinæ tyrones.

Primum igitur liberalius ſumptus hydrargyrus, maxima qua excellit refrigerandi facultate, calorem inſitum repente extinguit & interimit, concreſcente in venis & arteriis ſanguine: Si minori copia aſſumitur, vel ſæpius illinitur, vt non repente perimat, ſputationem certe cum ſtrangulationis & ſuffocationis periculo, aut horrenda alui tormina inuehit cum cruore, vnde multos fato concedere videas. Ad hæc ſua humiditate corporis humores putrefaciens, maxime vero in ore & gingiuis calidis & humidis locis, fœtorem intolerabilem excitat. Frigore vero immenſo humori coniuncto cerebrum neruorum principium laceſſens, atque nimiopere perfrigerans, humectans, ac relaxans, neruorum atque articulorum robur diſſoluit, qua de cauſa rheumatiſmis, tremoribus, conuulſionibus, reſolutionibus, doloribus articularibus, aliiſque horrendis ſymptomatis, corpus in poſterum concutitur. Si minima doſi ſumatur, quamuis per initia nihil moleſtiæ afferre videatur: continuato tamen vſu, calorem inſitum atterens, neruos ac membranas omnes laceſſens, commutans, ſibique ſimili affectione imbuens, vniuerſum corpus melancholicis & pituitoſis excrementis onerat atque opprimit. Quo fit, vt ea breui inſiliant ſymptomata, quæ Dioſcorides & alii veteres medici, eius vſu fieri tradiderunt: cuiuſmodi ſunt, vrinæ ſuppreſſio, œdematoſus corporis tumor, & plumbea liuidaq; faciei deformitas.

HY-

Hydrargyrvm frigidvm & humidum eſſe. Cap. IV.

QVanqvam autem hæc ita habere longo vſu comperi, qui tamen hactenus Lutetiæ celebres fuerunt aliptæ, famamque ſcriptis vulgatis collegerunt, hydrargyrum calidum & ſiccum eſſe, atque ad luis venereæ aliorumque fere omnium frigidorum morborum curationem adhiberi poſſe contendunt, & maximo mortalium incommodo vſurpant. Eſt enim frigidum & humidum, corpora, quibus imprudenter ac temere illinitur, vel male perdens, vel pituitoſis & melancholicis morbis opportuna atque obnoxia reddens. Quod nobis hoc loco demonſtrandũ fuerit, ſumpto à temperamento initio.

Primum igitur chymiſtis nec temperatum, nec calidum & ſiccum eſſe videtur, quod per ſe nec addenſari, nec concreſcere, vt metalla, in quibus calor aut ſiccitas, aut vtrunque ineſt, poſſit. Id enim caloris & ſiccitatis inopia contingere tradunt, vel hoc argumento quod cum ſulphure calido & ſicco miſtum, facile in metallorum multorum materiam cedat atque cogatur.

Ad hæc, qui de ipſius fodinis perueſtigandis obſeruationes literis conſignarunt, montes locaque omnia, in quibus abſtruſus deliteſcit hydrargyrus, ineunte vere craſſis denſiſque nebulis circumdari tradunt, quæ in altum ob grauitatem ſeſe attollere nequeant. Addunt eoſdem montes aquæ penuria vel æſtate media atq; ardentiſſima, vix vnquam laborare, arboribus quamplurimis luxuriare, quæ vt multo quam aliis in locis ſerius frondeſcere, ſic

vix vnquam flores aut fructus edere ſoleant: quod non externi caloris penuria, ſed frigidæ materiæ in terræ viſceribus abditæ copia, fieri credendum eſt, cuius vis ad arborum vſque radices pertingens, nunquam ſinat earum fructus maturitatem aſſequi.

Quinetiam herbis tota æſtate viridiſſimis idcirco veſtiri ac decorari ea loca putant, quod frigiditate & humiditate hydrargyri, æſtatis ardor ſiccitaſque temperetur. Contra vero ſulphur chalcantum & alumen immenſa ſiccitate arida omnia & ſterilia vicina loca efficere notum eſt. Et his quidem argumentis hydrargyrum frigidum & humidum eſſe docent indagatores ipſius, exploratores, foſſores, & chymiſtæ. Quod & teſtatum reliquerunt Albertus Magnus, Placentinus, aliique non pauci. Iam ad eius opera & effectus veniamus.

Auicennas auctor eſt, argentum viuum neruorum principium ita refrigerare, humectare, mollire, & relaxare, vt rheumatiſmis nulla, aut admodum leui occaſione in poſterum tententur, qui eo ſæpius illiti fuerunt. Et ſi forte in aurem aliquando inciderit, præterquam quod immenſo frigore dolores excitat diuturnos, ſurditatem quoque parere, atque mentem peruertere, ſuaque ſede dimouere. Quinetiam ſæpe conuulſionem, interdum vertiginem, ſæpiſſime epilepſiam concitare, nonnunquam veternum, aut etiam apoplexiam, cerebri ſubſtantia nimium refrigerata atque commota. Cuius opinionis aſſertores fuerunt Paulus, Actuarius & Aetius.

Quæ ſymptomata ad cauſam caloris & ſiccita-

tis

tis participem nemo eſt qui referat. Quod ſi verum eſt, quod Galenus memoriæ prodidit, lib. 1. ſimpl. ex eo quod ſemper vnum idemque efficiat, quoad nos contingit medicamentum, propriam eius iudicandam eſſe facultatẽ, & hydrargyrus ſiue ſumptus, ſiue admotus plurimum humectet ac refrigeret, quis (niſi qui in vſum non adhibuit) humidum frigidumque eſſe negare poteſt? Ego vero, ſi mea etiam experimenta proferre licuerit, millies exploraui iuſto modo aſſumptum aut illitum hydrargyrum, æſtuantem & perferuidum ſanguinem refrigerare, eiuſque eruptiones & inſultus omnes cohibere bilis, pituitæ ſalſæ, aliorumque acrium omnium humorum impetum refrænare, morſum & acrimoniam retundere, puſtuliſque & vlceribus malignis & exedentibus opitulari: quorum omnium effectorum cauſa frigida ſit neceſſe eſt. Sæpe etiam obſeruaui hydrargyri vapore paralyſim, tremorem, conuulſionem, ſurditatem, cæcitatem, & deliria infligi, quæ vix vllis remediis cederent.

Faber aurarius Lutetianus 1556. hydrargyri vapore naribus excepto, ſtatim veterno prehenſus concidit. Quæ in os indebantur, deglutiebat ille quidem, ſed vrinam & ſtercus nullo ſenſu egerebat. Nullis hic remediis adiutus, exactis tandem ſex menſibus, putreſcente atque incaleſcente humore, manifeſta febre corripitur, tumque excuſſo torpore loqui cœpit, ac quæſitis reſpondere, ſed perturbate omnino atque confuſe. Profligata tandem febre ad ſe quidem rediit, verum caput graue, torpenteſq; & obtuſi ſenſus omnes manſerunt, menſq; certis interuallis perturbata.

Ex iis qui vnguine ex hydrargyro illinuntur, vel eius aut cinnabaris vaporem ore naribuſque excipiunt, alios videas ſubito reſolutos aut attonitos, repente concidere, quoſdam intumeſcente lingua obmuteſcere: alios tandem aſthmate anhelos, alios paralyticos, collo, manibus, pedibuſque tremulis vacillare, alios ſurdos reliquum vitæ ſpatium miſere exigere. Hiſpanorum & Italorum aliptæ è ſublimato aut hydrargyro fucum mulieribus quærentes, in quam fœda mala illas coniiciunt? Solius faciei illitu dentes his breui liuidi euadunt, & ſeneſcentes rheumatiſmis è cerebro nimiopere refrigerato in pulmones illabentibus, aſthmate tandem pereunt. Quæ ſymptomata omnia à frigida & humida cauſa proficiſci perſpicuum eſt.

Vir quidam illuſtris, lue infectus venerea, quam nō deleuerat hydrargyroſis, empirici hortatu eam ſubiit curandi rationem, quæ per cinnabaris ſuffitum tentari ſolet: qua cerebrum totumque genus neruoſum adeo molle, laxum & imbecillum effectum eſt, vt protinus altera coxa ſua ſede exciderit, & duæ ſpinæ dorſi vertebræ in externam partem luxatæ ſint: quæ prius in ſua ſede cōtineri non potuerunt, quam guaiaci decocto aliiſque ſiccantibus, & robur neruis conciliantibus præſidiis, toti eſſet corpori proſpectum: quod non ante menſes quindecim aſſequi licuit.

Anno 1557. militis cuiuſdam curationi interfui, in quo exacto decennio ab hydrargyroſi ſemel atque iterum repetita, exorti in ſincipite tophi duriores dolore acerbiſſimo cruciantes, in abſceſſum tandem conuerſi ſunt, quorum ſanies non modo pericranium & cranium, ſed etiam meningas

Digitized by Google

gas & cerebri ſubſtantiam putredine infecit, ac plane corrupit, illæſa fere cute: quæ tamen ad puris illic collecti emiſſionem diſſecta maligno vlcere breui exeſa eſt, quo, cerebri anterioris medulla albiſſima, ſed tamen putris quotidie effluebat, quemadmodum & foraminibus, quæ circum maiorem vtriuſque oculi angulum putredo ſibi comparauerat. Interim tamen neque æger decubuit, neque graui febre iactari, neque cibi cupiditate deſtitui, neque macreſcere viſus eſt, antequam ad cerebri ventriculos vlcus ſerpendo propagatum ſit, quo tempore exorto lethargo è medio repēte ſublatus atque extinctus eſt, nullo pene doloris ſenſu. Hunc autem ſex menſes ſubſtantia cerebri & meningibus corruptis, atque in pus quotidie abeuntibus ſuperſtitem vidimus. In aliis multis, qui hydrargyroſim copioſam tuliſſent, poſt diu toleratos capitis dolores, integra cute, è qua capilli ſuccreſcunt, pericranium, caluariam, & meningas graſſante putredine ſenſim depaſci, popularique abſque inſigni febre notauimus: quum tamen ex minimo capitis ictu, quo cranium, vel fiſſum, vel fractum ſit, orta putredine, quæ meningas feriat, illico inflammationem proritari, mortemque conſequi quotidiano experimento obſeruemus, niſi forte aperto modioli ope (vt fieri ſolet) cranio ſaniei exitus comparetur, antequam inflammatio meningas attingat. Cuius rei cauſa ab hydrargyro petenda, cuius vi imbutum atque perfuſum corpus, vt pituitoſis & melancholicis morbis opportunum euadit, ſic à febre fere & inflammatione tutum & immune redditur. Quod à ratione alienum videri non debet. Vt enim calida & humida

corporis excrementa facillime, ſic frigida & terrena ægerrime inflammatione tentari ac putreſcere poſſunt. Frigida autem ſunt omnia fere excremẽta, quæ hydrargyri noxa in corporibus præter naturam colligi ac ſuccreſcere ſolent. Ægre igitur febre corripiuntur corpora hydrargyro ſæpius illita, etiamſi multa ſcateant cacochymia. Niſi forte in quibuſdam dolorum ac vigiliarum diuturnitas, lẽtam quandam inducat febrem, quæ, vt ſymptomatica eſſe ſolet, ſic propriis luis venereæ alexipharmacis calidis & ſiccis profligatur, nec in hecticam niſi medentis imperitia & ignoratione degenerat. Eadem, credo, hydrargyri natura in cauſa eſt, cur vnguine ex eo ſæpius peruncti, ægrius adeo purgantibus moueantur, vt ea duplo validiora perferant quam ante hydrargyroſim. Frigidum ac humidum quum ſit argentum viuum, melancholicum ac pituitoſum reddit corporis habitũ. Quæ ſi vera ſint (vt certiſſima eſſe comperi) non modo hydrargyrum temperamento frigidum eſſe neceſſe eſt, ſed etiam occultiore quadam vi præditum, qua mutatum, perfuſum ac pene ſtupefactum corpus, neque catharticorum vim facile perſentiſcat, neque facile inflammetur.

His igitur obſeruationibus atq; argumentis argentum viuum frigidum & humidum eſſe, ſimulque corporis cui inungitur, habitum pituitoſum, aut certe melancholicum efficere, perſpicuum eſt. Eodem accedit, quod remedia, quæ à veterib. contra hydrargyri noxam præſcripta ſunt, maiori ex parte calida & ſicca ſint: cuiuſmodi eſt apium, abſynthium, piper, caſtoreum, aqua è melle, ſpica, eruca, ſaluia, ruta, myrrha, diamoſchum, & ſimilia,

quæ

quæ flatus diſcutiant, vrinas prouocent, ſudores moueant, & tandem corporis tumorem eius vſu contractum, ſiccando reſoluant. Contraria enim contrariorum ſunt remedia.

Qui opinionum diſſenſione à noſtra ſententia diſcrepant, his maxime nituntur argumentis. Certis (inquiunt) experimentis conſtat argentum viuum craſſa attenuare, incidere, diſſoluere, & in ſudores diſſipare, obſtructa aperire, duriſſima quæque penetrare, & alia multa opera edere, quæ caloris effecta eſſe neceſſe eſt, non frigoris. Siccum autem eſſe, non humidum, hinc intelligere eſt, quod etſi liquidum ſit, infuſum tamen in tabulam planam ac perpolitam, eam haud quaquam, vt alii liquores, humectet & madefaciat. Id enim fit propter ſiccitatem, quæ humorem temperat, & non ſinit tabulæ adhærere. His quidem vrgent argumentis, & pungunt tanquam aculeis: ſed quæ refellere haud difficile ſit. Scitum illud eſt, & omnium recte philoſophantium & medentium cõſenſu confirmatum, ſummas medicamentorum vires ac facultates, quæ cauſæ ſunt efficientes, alias à qualitatibus primis, calido, frigido, humido ſicco: alias à ſecundis, quæ à materia prodeunt, cuiuſmodi eſt tenuitas & craſſities, lentor & acrimonia: alias à forma & occulta proprietate proficiſci, eoſque prorſus cæcutire, qui in medicamentis vires omnes à primis qualitatibus quærant, nihilq; in tota arte præter intemperiem animaduertant.

Itaque argentum viuum ſumma partium tenuitate, qua vel duriſſima quæque metallorum & lapidum corpora ſubit ac penetrat, non calore attenuare, incidere, & ſudores mouere (ſiquidem il-

Digitized by Google

los ciere poſſit) credendum eſt, quum aliis multis argumentis frigidum comprobetur. Piper ac pyrethrum calidiſſima quum ſint, imbecillius tamen ſudores proliciunt, quam guaiacum eadem in qualitate remiſſius. Minus quoque attenuant & incidunt pulmonibus infarctam craſſam, lentamque pituitam, minuſque menſes promouent, quam gentianæ aut ariſtolochiæ radix, illis calore multum cedens. Quod ſi quærat aliquis, qui fieri poſſit, vt in medicamento impenſe frigido materia inſit ſumma partium tenuitate prædita: Quærendum quoque illi fuerat, cur opium adeo frigidum, vt narcoticorum ſit vehementiſſimum, amarore guſtantibus ſit moleſtum, quum amara omnia calida eſſe perhibeantur. Et cur caphura valde frigida, ſit nihilominus tenuiſſima natura ac odore aromatico prædita, quum odorata omnia calida eſſe dicantur? Multa, crede mihi, deprehendes in rerum natura, ſi ſingula diligenter obſerues, in quibus occæcari humani ingenii ſolertiam ſit neceſſe, & in quibus principia theoriæ imbecilla atque infirma eſſe annotamus.

Sed, quid cedo cauſæ eſt, cur argentum viuum ſudorem ciere poſſit? nonne potius frigidum & repellens remedium quum ſit corpori affrictum, contrario plane motu atq; hydrotica medicamenta è peripheria corporis ad ipſius centrum humores agens ſudoris materiam impellit? Si quis igitur ab illitu ſudore diffluit, eum partim ignis ad quem inungitur, partim calida olea quibuſcum miſcetur hydrargyrus, partim cubilis calor, non hydrargyrus elicit.

Iam vero hydrargyrum humidum eſſe non ſiccum,

Digitized by Google

cum, tum ex ſuprapoſitis, tum hinc quoque intelligitur, quod præduros tumores ſcirrhoſoſque ſupra cætera omnia emolliat, concretoſque diſſoluat, quodque membranas omnes neruos & articulos adeo relaxet ac debilitet, vt omnem fluxionem facile admittant, concitenturque eius vſu, aliis quidem arthritici dolores, aliis vero tremores immedicabiles. Sunt tamen qui hoſce tremores ad luis male curatæ reliquias neruos obſtruentes, vel ad motorum ſpirituum reſolutionem, diſſipationemque, non ad argenti viui humiditatem, aut vim qualitatemve maleficam, referendos eſſe pertinaciter defendant, ad hoc exemplis, aliiſq; argumentis vtentes parum validis, quæ nobis hoc loco paucis redarguere liceat.

Tremore corripi diximus, non lue modo contaminatos, ſed alios fere omnes exquiſite ſanos, quicunque vel argentum viuum in puteis legunt, vel minium effodiunt, vel ex eo hydrargyrum, & huic addito ſulphure cinabarim decoquunt, vel inaurando, vel alio quouis modo venenatum argenti viui vaporem, aut cinabaris ſuffitum, ore naribuſve excipiunt. Tremunt etiam iis tandem manus, qui lue venerea pollutos vnguento ex argento viuo ſæpius inunxerunt, in quibus tamen vix effatu digna ſpirituum motorum reſolutio perſpici poteſt.

Dum hæc ſcriberem, inaurator quidam opem implorauit, cui brachia & tibiæ vehementer adeo tremebant, vt nec incedere, nec ſtare, nec attonitum & tremulum caput attollere poſſet. Reſiccato per guaiacinum decoctum corpore, ſtandi ac incedēdi vires paulatim recuperauit, ſed cerebrum

illi graue torpidumque remanſit,& corpus vniuerſum fluxionibus obnoxium. Occurrunt quotidie & alii non pauci iiſdem, aut etiam ſæuioribus correpti ſymptomatis, ex quorum animaduerſione intelligere eſt, vim ſummam ineſſe hydrargyro refrigerandi, laxandi & molliendi, cerebro, neruis, tendonibus, membraniſque omnibus nocentiſſimam ac pernicioſiſſimam.

Quod autem proponunt fuſum hydrargyrum, planitiem nullo madore colluere, idem quoque in aquæ guttulis ſeſe in orbem cogentis propter *ὁμοιομερείαν* obſeruare eſt, quam tamen hoc vno argumento nemo ab humidis ſecreuerit contra veterum auctoritatem. Itaque ſi nullo madore imbuit hydrargyrus, id efficit, non ſiccitas humiditatem continens ac contemperans, ſed partim naturæ quædam proprietas, qua ſe in ſphæricam figuram perpetuo comprimit atque conuoluit, partim excrementitia quædã plumbago illum ambiens, qua adhæreſcere prohibetur.

Eſt igitur frigidum & humidum, non calidum & ſiccum argentum viuum. At nihilominus, quoniam vi ac proprietate occulta, omnis generis humores, peculiariter vero pituitoſos, aut ſputatione, aut alui profluuio vacuat corpori affrictum aut exhibitum, idcirco ſane recte exiccare perhibetur, ſed non niſi ex accidenti.

OCCVLTÆ HYDRARGYRI vires vſu & experientia comperta.

Cap. V.

ET hæc quidem de argenti viui temperie & materia, iam de occultis eius proprietatibus diſſerendum.

Digitized by Google

rendum. Hoc enim ſiue intro ſumitur, ſiue foris admouetur, multa edit opera, quorum nulla probabilis ratio reddi poteſt,& quæ idcirco vel formæ, vel occultæ proprietati referre accepta cogimur. Eiuſmodi eſt vis purgatoria,qua licet frigidum,adeo excellit, vt ne vſtione quidem eam exuat, ſed (quod nulli præterea conceſſum video) in cinere retineat multo etiam quam ante vehementiorem. Purgat autem craſſum, lentumque mucum atque ipſam pituitam, interdum etiam cõſecutione quadam bilem vtramque. Quanquam autem interdum ſupra duntaxat, interdum infra, interdum vtroque modo purgat, maxime tamen & propria vi ſupra purgare natum eſt, quomodocunque adhibeatur. Itaque vel illitum, vel intra corpus aſſumptum,quicquid ſenſim colliquarit, vndiq; primum in ventriculum, dein in fauces, ac denique in os regerit ac compellit, vnde nec tuſſi, nec vomitione, ſed continuata mucoſi ſputi profuſione reiicitur: quæ res effecit, vt ſaliuatio vulgo dicta ſit, noua hæc & veteribus nunquam tentata purgationis forma,aliis ſputatio,aliis profluuium oris. Quæ, quoniam ſemel inchoata, in multos dies nobis inuitis producitur, imbecillis viribus & corpore cacochymo ac impurgato quiſquis eam promouerit, in certum vitæ diſcrimen ægrum adduxerit. Vnum ergo caput maxime petit, ex quo immodicas deſtillationes mouet, quæ partim per os effluunt, partim in gingiuas & genas incumbunt, eaſque tumefaciunt, & magno fœtore magnaque moleſtia exulcerant. Quanquam enim frigidum eſt, ſua tamen nimia humiditate in calidioribus & humidioribus humores putrefacit atq; corrumpit, hinc vlcerum & fœtoris origo.

Digitized by Google

Porro autem craſſum hunc lentumq; mucum, quum è corporibus, vel exquiſite ſanis copioſum detrahat, carnes, tendines, membranas, neruos, aliaſque partes omnes liquefaciat atque diſſoluat, neceſſe eſt, vt ex iis humorem ſibi familiarem & cognatum eliciat, quem ſputatione, vel alui profluuio propellat, & foras exigat. Quod ne cuiquam paradoxon videatur, addam & illud, ne oſſibus quidem parcere, ſi quis ſæpius illitus vel eius vapore, aut cinnabaris ſuffitu perfuſus fuerit. Siquidem dentes alioqui ignibus inuicti ſtatim poſtea vacillant omnes, & liueſcentes marceſcunt, alia vero craſſiora, ſæpe cariem parte quadam contrahunt, & in tophos aſſurgunt, in quibus exciſis argenti viui guttulas tremulas non raro reperi: minime tamen in omnibus naturis eandem habet efficientiam. Etenim quo humidius corpus exiſtit ac laxius, hoc facilius per hydrargyrum, aut illitum, aut aſſumptum in ſputationem ruit, hocque diutius ac crudelius angitur: quo vero ſiccius ac terrenum magis, eo ægrius, interdũ etiam nullo prorſus modo. Quod ſi è ſola facie facienda coniectura fuerit, quibus ſanguine, floridoque rubore ea ſuffuſa eſt, facillime, quibus ſubnigra aut plumbea, ægre, aut vix vnquam ſputatio accidet. In medio ſunt pituitoſi & bilioſi, candido aut flaueſcente faciei colore præditi.

Non me latet veteres, non in purgantium, ſed in venenorum claſſem argentum viuum retuliſſe, ſed recentiorum, quam illorum in eo cognoſcendo, explorandoque maior fuit ſedulitas, qui tandem vſu compererunt, purum & impermiſtum argentum viuum, ſi ſumatur, ſua mobilitate, inſtabilitate

bilitate

bilitate & grauitate mox, vt ingeſtum eſt ad aluum deuolui, per eamque egeri ſyncerum, nullo ventriculi aut interaneorum vulnere, nulloq; fere valetudinis diſcrimine, ſi modo iuſtus fuerit modus, & aliquot aquæ ſaluiæ vnciæ mox ſuperdẽtur. Quod & Georgii Agricolæ auctoritate confirmatur, qui ſcriptum reliquit, improbam vxorem marito aliquot vicibus argentum viuum dediſſe deuorandũ, quod ille ſine nocumento egeſſit per aluum, quæ tamen in manifeſto maleficio deprehenſa, pœnas legibus dedit.

Ad hæc Antonius Muſa infantium lumbricos argento viuo propinato, tuto ſe enecaſſe ſcriptum reliquit, denique Andreas Matthiolus difficilem partum argento viuo propinato innoxie accelerari teſtatur. Quorum tamen opinionibus in eo propinando haudquaquam accedendum cenſeo. Ego enim (vt aliquid etiamnum de obſeruationũ mearum theſauro proferam) neque adeo venenatum, & humano generi infenſum comperio argentum viuum, vt ab vſu medicinæ prorſus reiiciendum ſit, & tanquam in mundi & naturæ exilium depellendum, neque ita tutum & innoxium, vt pueris & prægnantibus exhiberi tuto aut poſſit, aut debeat. Fateor igitur tuto & intro ſumi, & extrinſecus adhiberi poſſe, ſed nec temere, nec in omnibus temperamentis, nec citra aliorum adiectionem, quæ noxias eius vires refrænent atque obtundant. Impermiſtus ac ſyncerus hydrargyrus maiore doſi ſi propinetur [illegible] ſuo frigore ſanguinem congelans repen[illegible]in infert, velut iam ante commonefeci [illegible] doſi, aut etiam iuſto modo, ſed ſæpius exhibetur, vel illinitur, maxima ſua hu-

miditate humores putrefacit atque corrumpit, duriores vero partes, neruos, tendines, ligamenta ac membranas remollit, relaxat, atque reſoluit: nonnunquam & ipſa oſſa vitiat, & catie inficit. Omnibus qui frequenter vtuntur, venenata ſua, eaque occulta & inexplicabili qualitate natiui caloris robur atterens atque diſſoluens concoctionem labefactat, grauiſſima ventris tormina excitat, ac plumbeam accerſit faciei deformitatem. Ideoque valde ſenibus & imbecillis præſentaneum venenū cenſeri debet, inſitum illorum calorē iam languidum protinus extinguens omniaque putrefaciens cum fœtore. Nunquam tamen argentum viuum (id pace Dioſcoridis dixerim) ſuo pondere aut alia malefica vi interanea exedit aut exulcerat: ſed contra, maligna & ſerpentia vlcera ſiſtit ac cohibet, tum introſumptum, tum illitum. Suo frigore vim maximam inferre atque interimere auctor eſt conciliator hac hiſtoria.

Quum pharmacopœus quidam per ardentiſſimam febrem delirio & intolerabili ſiti iactaretur, dormientib. aliquando miniſtris clanculum è cubiculo, in quo iacebat, potus cauſa exiliens, forte fortuna in vaſculum argenti viui plenum (quod in pharmacopolio inter cætera reconditum ſeruabatur) incidit, cuius magna copia affatim epota, ne à proximis miniſtris deprehenderetur, ſtatim in lectum ſe recepit, in quo paucis poſt horis extinctus eſt. Miniſtri expergefacti repentinæ eius mortis cauſam requirentes, ſub cadauere argenti viui nuper exhauſti portionem, quæ ex aluo iam excidiſſet, reperiunt. Itaque diſſecto ad clariorem rei cognitionem cadauere, libræ vnius pondus in ventriculo

triculo inuentum eſt, cuius immenſo frigore ſanguis circa cor ac in reliquis proximis venis & arteriis iam concreuiſſet. Ego ex iis qui hydrargyrum recte præparatum iuſto modo aſſumpſiſſent, repente extinctum vidi neminem. At multos aduerti, quibus & introſumptus & extrinſecus adhibitus, ſæuiſſimos cruciatus mortemque ſenſim attulit, quod & plumbum efficere etiam comperi, ſi maiore copia aſſumatur. Sed hæc obſeruationibus aliquot melius eluceſcent.

Amicus quidam meus deſtillationi è capite interdum in ceruicem & ſcapulas, nonnunquam in pedum articulos obnoxius, neglectis medicis, à quibus ſæpe opem ſenſerat, hortatore empirico plumbi puluerem tenuiſſimum, è iuſculis, ex vino, ex piris coctis, aliiſque cibis ſacchari loco, dierum quindecim ſpatio vſurpauit. Sed bone Deus quot quantaque valetudinis incommoda perſenſit? Grauis protinus exorta eſt dyſenteria cum intolerabili totius ventris dolore diriſque cruciatib. & torminibus, quæ & febrem breui attulerunt. Ventriculi tanta diſſolutio, tanta oris ipſius oblæſio ſubſecuta eſt, vt vel blandiſſimo digitorum attrectatu vehementer offenderetur, & quæcunque ingerebantur, in plumbeum nidorem ac mucaginem deprauata mox vomitione excluderentur, nō ſine maxima ructuum copia. Sedata accommodatis remediis dyſenteria, febris & graues ventris cruciatus dies viginti perſeuerarunt, cum incendii interni moleſtiſſimo ſenſu ac inexhauſta atque inſatiabili ſiti, totidemque noctes æger inſomnes peregit. Interim nulla inerat cibi cupiditas, aluus ſponte nihil excernebat, & quæcunque aut ſupra,

Digitized by Google

aut infra prodibant plumbeo colore infecta erant omnia, ſuam plumbum qualitatem internis partibus tenaciter adeo impreſſerat. Quinetiam exorto ictero corpus totum fœdatum, & ſanguis ſedata dyſenteria ad febris curationem detractus, ſpumoſus ac putris apparuit. Hæc tam grauia tamque periculoſa ſymptomata, ſi plumbum oblæſis viſceribus inferre animaduertimus, quid de hydrargyro vel copia maiore, intro aſſumpto, vel aliis quæ eius vim maleficam coerceant, minime remiſto cenſendum putemus?

Pictor quidam Gandauenſis annos natus triginta, firma ac laudabili corporis conſtitutione, non ita pridem hic agens anno Christi 1557. manuum digitos grauiores ſolito, tardiores, & ad motum minus aptos percipiens, haud multo poſt illos contrahi conuelli que ſenſit: quæ affectio magis ac magis in dies augeſcens, digitos incuruos ac prorſus inflexiles reddidit. Quin & carpum & brachii principium peruaſit affectio, dum neruis tendonibuſq; refrigeratis, humoreq; craſſo oppletis admodum torpidæ, incuruæ, contractæ, atq; ad functiones naturales ineptæ manus eſſent.

Haud multo poſt idem pedes vitium ſenſere, nō parum oblæſa incedendi facultate. Neque tamen in his, neque in manibus, neque in aliis partibus afflixit vehemens dolor, qualis in lue venerea, & defluxionum morbis eſſe ſolet. Miſellus hic tot malis non ſatis (credo) diuexatus, in aliud ſymptoma longe grauiſſimum & crudeliſſimum poſt ſeptimeſtre incidit. Dolor longe acerbiſſimus atque atrociſſimus hypochondrium vtrunq; occupauit, qui ad totum ventrem pertineret: cui, quoniam

nec

Digitized by Google

nec noctu, nec interdiu intermittebat, clyſteribus, fotibus, balneis, & aliis quibuſdam remediorum generibus, ſed fruſtra, leuatio quæſita eſt. Vnicum tandem in acceſſione non inuentum, ſed repertum eſt ſolatiũ, tres quatuorve homines ventri incumbere curabat (compreſſo enim ventre paulo mitior cruciatus erat) ac patienter perferebat, dum pondere tãto compreſſis inteſtinis ac membranis, quæ flatibus diuelli atque diſtendi putabantur, non ita diſtorqueretur. Vbi ſex octove dies ita excarnificatus fuerat miſellus, ſenſim abeunte dolore & cibi deſiderium, & vires paulatim colligebat, dum alia rurſum ſimili acceſſione doloris repente correptus proſterneretur. (Viginti enim non amplius dies dolor intermittebat) in acceſſionibus aluus nullo fere remedio duci poterat: quod ſi quando contingeret, ſubnigrum aut plumbeum ſtercus eiiciebatur, & in doloris intermiſſione quæcunque purgantium medicamentorũ vi detrahebantur, plumbeo colore infecta erãt. Hypochondriis nulla tenſio, nulla durities inerat, nec febris vlla doloris comitem ſe præbebat. Adhibiti medici brachiorum & pedum contractionem atq; reſolutionem (miſtus enim ex his erat affectus) ad cinnabarim, quo pictores vti ſolent, referendam cenſuerunt. Nam quum ille penicillum digitis ſæpe extergeret, his adhærens cinnabaris partium continuatione maleficam vim ſuam cerebro (cui, vt neruis & tendonibus, & membranis omnibus maxime aduerſatur) communicauit. In eo autem imbecilliore reddito ac refrigerato pituita multa ſenſim collecta eſt, quæ tandem in carpum & digitos illapſa imbutis frigido crudoque humore eorum tendonibus

autinfra prodibant plumbeo colore infecta erant omnia, ſuam plumbum qualitatem internis partibus tenaciter adeo impreſſerat. Quinetiam exorto ictero corpus totum fœdatum, & ſanguis ſedata dyſenteria ad febris curationem detractus, ſpumoſus ac putris apparuit. Hæc tam grauia tamque periculoſa ſymptomata, ſi plumbum oblæſis viſceribus inferre animaduertimus, quid de hydrargyro vel copia maiore, intro aſſumpto, vel aliis quæ eius vim maleficam coerceant, minime remiſto cenſendum putemus?

Pictor quidam Gandauenſis annos natus triginta, firma ac laudabili corporis conſtitutione, non ita pridem hic agens anno Christi 1557. manuum digitos grauiores ſolito, tardiores, & ad motum minus aptos percipiens, haud multo poſt illos contrahi conuellique ſenſit: quæ affectio magis ac magis in dies augeſcens, digitos incuruos ac prorſus inflexiles reddidit. Quin & carpum & brachii principium peruaſit affectio, dum neruis tendonibuſq; refrigeratis, humoreq; craſſo oppletis admodum torpidæ, incuruæ, contractæ, atq; ad functiones naturales ineptæ manus eſſent.

Haud multo poſt idem pedes vitium ſenſere, nō parum oblæſa incedendi facultate. Neque tamen in his, neque in manibus, neque in aliis partibus afflixit vehemens dolor, qualis in lue venerea, & defluxionum morbis eſſe ſolet. Miſellus hic tot malis non ſatis (credo) diuexatus, in aliud ſymptoma longe grauiſſimum & crudeliſſimum poſt ſeptimeſtre incidit. Dolor longe acerbiſſimus atque atrociſſimus hypochondrium vtrunq; occupauit, qui ad totum ventrem pertineret: cui, quoniam nec

nec noctu, nec interdiu intermittebat, clyſteribus, fotibus, balneis, & aliis quibuſdam remediorum generibus, ſed fruſtra, leuatio quæſita eſt. Vnicum tandem in acceſſione non inuentum, ſed repertum eſt ſolatiū, tres quatuorve homines ventri incumbere curabat (compreſſo enim ventre paulo mitior cruciatus erat) ac patienter perferebat, dum pondere tāto compreſſis inteſtinis ac membranis, quæ flatibus diuelli atque diſtendi putabantur, non ita diſtorqueretur. Vbi ſex octove dies ita excarnificatus fuerat miſellus, ſenſim abeunte dolore & cibi deſiderium, & vires paulatim colligebat, dum alia rurſum ſimili acceſſione doloris repente correptus proſterneretur. (Viginti enim non amplius dies dolor intermittebat) in acceſſionibus aluus nullo fere remedio duci poterat: quod ſi quando contingeret, ſubnigrum aut plumbeum ſtercus eiiciebatur, & in doloris intermiſſione quæcunque purgantium medicamentorū vi detrahebantur, plumbeo colore infecta erāt. Hypochondriis nulla tenſio, nulla durities inerat, nec febris vlla doloris comitem ſe præbebat. Adhibiti medici brachiorum & pedum contractionem atq; reſolutionem (miſtus enim ex his erat affectus) ad cinnabarim, quo pictores vti ſolent, referendam cenſuerunt. Nam quum ille penicillum digitis ſæpe extergeret, his adhærens cinnabaris partium continuatione maleficam vim ſuam cerebro (cui, vt neruis & tendonibus, & membranis omnibus maxime aduerſatur) communicauit. In eo autem imbecilliore reddito ac refrigerato pituita multa ſenſim collecta eſt, quæ tandem in carpum & digitos illapſa imbutis frigido crudoque humore eorum tendonibus

& neruis, ſymptomata his non diſſimilia, quæ vnguento ex hydrargyro perunctos adoriuntur, exceptis artuum doloribus,excitauit. Et hæc ſana fuit me iudice ſententia. Eadem enim fere ſymptomata in aliis pictoribus adnotaui, quorum nonnulli etiamnum ſuperſtites ſunt pedibus, manibuſque reſolutis, tremulis atque contractis. At in doloris illius tam atrocis perueſtiganda cauſa quandiu laboratum eſt? quot habitæ concertationes? quam varia fuere medicorum decreta? Alius frigidam vitream pituitam firmius inteſtinis inhæreſcere putabat, quæ certis circuitibus in flatus reſoluta dolorem tantum pareret. Alius bilem acrem circum abdominis membranas coercitam certis periodis moueri, atque ſuopte impetu cieri, tumque ſentientes membranas diſtendere,atque acriter compungere, & acerbiſſimos illos cruciatus inferre contendebat. Alius melancholiam hypochondriacam ineſſe iudicabat, quæ tamen intermiſſiones ſtatas haberet. Alii denique alias cauſas aſtruebant, atque idoneis remediis demoliri, ſed nullo omnino profectu,ſatagebant. Siquidem annos tres crudeliſſimis dolorib. tortus & fractus exanguis tandem atq; exuccus vitam cum morte commutauit. In diſſecto eius cadauere ad cauſæ inueſtigationem omnia inſpicientes iecur, lienem, ventriculum & renes naturalem cõſtitutionem præ ſe ferre deprehendimus, nulla in cyſti fellis obſtructio, nulla in meſenterio humoris vitioſi congeſtio, nihil denique in alia vlla parte notari potuit, quod tantorum fuiſſet dolorum cauſa. Dicam ergo ea de re quid ſentiam, & cur ita videatur, explicabo. Quum ille penicillum non digitis modo, ſed ore etiam,

Digitized by Google

etiam, velut incautis pictoribus ſolenne eſt, extergeret atque exugeret, conieci cinnabarim ore exceptam partium continuatione internis partibus communicatam, ventriculum & inteſtina, membranas & reliquas neruoſas partes non humectaſſe ſolum aut perfrigeraſſe, ſed maligna ſua eaque inexplicabili pernicie, quæ oculorum refugeret obtutum ſic infeciſſe, vt nullis remediis deleta tantorum dolorum occulta cauſa fuerit, quæ non purgantibus, ſed contraria antidoto erat abigenda. Sic enim dolores paulo ante deſcriptos, vſu pulueris ex plumbo crudo, concitatos, quum vacuantibus medicamentis non cederent, balneorum & lactis aſinini potu diu continuato, prorſus conſopiui. In hanc ſententiam me adduxit non Dioſcoridis modo opinio, qua hydrargyrum ventris tormina ciere tradit, ſed medendi vſus, quo comperi argentum viuum ſæpius, & temere intra corpus aſſumptum, eius generis dolores inuehere, qui nullis cedant auxiliis, præſertim ſi frigida fuerit corporis natura.

Quanquam igitur nec argentum viuum, nec plumbum ſuo pondere (quod tamen veterib. placuit) aut alia nobis manifeſta vi interna exedit, aut exulcerat: quoniam tamen venenata quadam natura, & malefica labe nobis ratione incomprehenſa, non ſolum dyſenteriam, & grauiſſima ventris tormina infligere, ſed etiam alia multo grauiora, eaque fere incognita atque inexplicabilia, prorſuſque inſanabilia vitia partibus internis inurere deprehenduntur, vnde vix illæ expediri queant: ideo nunquam intra corpus quamlibet exigua quantitate aſſumi debebunt, niſi illorum malignitas alte-

xipharmaci adiectione ſit retuſa, eneruataque pernicies, idq; religioſe & vbi cætera omnia remedia morbi peruicacia ſuperauit. Quod & alia obſeruatione conſtat.

Populi qui ad Alpes habitant bronchocelis turgida habere guttura, præterquam quod nos aliquando vidimus, veterum etiam complures literis prodiderunt. Id autem illis idcirco peculiare vitium eſt, quod Alpes metallorum venis, maximeque argenti viui abundent, per quas aquarum ſcaturigines emanant: aquæ autem viroſa hydrargyri qualitate imbutæ, cerebri robur diſſoluunt, rheumatiſmis in fauces & dentes varie fatigant, & tumores excitant. Qua ex cauſa veteres multos fontes notarunt, ex quib. qui bibebant, alii intra biennium, alii citius dentes amittebant.

Sit igitur certum & exploratum, frigidum & humidum hydrargyrum, venenata qualitate cerebro neruiſq; bellum indicere, neque temere in omnibus naturis, nec ſæpe ſine graui noxa poſſe vſurpari. Qua autem ratione & arte ita domari, cicurarique poſſit, vt quæ commemorata ſunt vitia non inferat, planum faciam.

HYDRARGYRI CINIS QVI ET puluis mercurii, & præcipitatus hydrargyrus vulgo dici ſolet.

Cap. VI.

Hydrargyro tantam vim purgandi ineſſe diximus, vt ne vſtione quidem depereat & aboleatur, ſed in cinere ſuperſit multo etiam quam ante vehementior. Igne ſiquidem ſublata prorſuſque cõſumpta aquea hydrargyri ſubſtantia, in qua vis

vis refrigerandi inerat, etſi natiua eius temperies diſſoluta eſt, manet tamen in cinere, quæ à forma naſcitur, vis purgandi longe efficaciſſima. Efferueſcit autem atque vritur hydrargyrus admiſta aqua, quam ex chalcantho, alumine & nitro conficiunt (aquam fortem vulgus appellat) atque in acerrimum puluerem redigitur, quem alii præcipitatũ, alii mercurii puluerem vocitant. Hoc vero differt ab argento viuo hic cinis, quo acetum ab eius vſta fæce.

Hunc citra delectum exhibent circumforanei quidam circulatores, ſcelerati impoſtores non medici, ad luis venereæ dolores diuturnos, hydropem, febrem quartanam, melancholiam hypochondriacam, & ad eius generis affectus frigidos, idq; quatuor ſexve granorum pondere ex oui luteo vel mithridatio & theriaca, ac ſtatim, vt aſſumpſit aliquis, ex vniuerſo corporis ambitu omnis generis humores ſurſum ac deorſum prorumpunt, ſæpe tanto, tamque violento impetu, præſertim ſi molle, effœminatum & languidum corpus fuerit, vt exhauſtis ſpiritibus, fractiſque viribus, vel repente moriatur, vel quo die ſumpſerit, ſine viribus, ſine pulſu, ſine voce iaceat mortuo perſimilis. Os eius contagione interdum inflammatur, ac gingiuæ vlcera contrahunt putria ac valde fœtida: fauceſque pleriſq; ita intumeſcunt, vt ad multos dies nihil prorſus deglutire poſſint. Quinetiam nonnullis mens ita à ſua ſede dimouetur, vt exorta febre phrenitici tandem pereant.

Dum hæc commentarer, ſceleſtus quidam nebulo ad quartanam tria catapotia ex eo & mithridatio confecta, iuueni robuſto deuoranda tradẽs,

eum paucis diebus exorta dyſenteria, faucium inflammatione ac delirio è medio ſuſtulit. Itaque à catharticorum cenſu tãquam præſentiſſimum venenum reiiciatur, ac publicis legibus exulet. Chirurgis tamen in externorum vlcerum curatione concedatur, velut & alia multa venenata pharmaca, quæ prudenter vel ſola, vel mitioribus, quæ illorum vim maleficam infrænent temperata ac remiſta magni in chirurgia ſunt vſus. In id autem ſic comparetur.

Argenti viui vnciæ ſex, & aquæ fortis ℥ ij.ß. ampulla vitrea craſſioris & longiſſimæ ceruicis exceptæ, prunis non acribus feruere ſinuntur, dum liquida ac fluida omnis ſubſtantia prorſus ſit abſumpta. Cinis in ampullæ fundo reſtat, qui vlceribus ſordes craſſiores & callos detrahit, hyperſarcoſim omnem ſtrenue abſumit, nullo aut exiguo dolore: præſertim ſi ſæpius elotus fuerit aqua plantaginis, & reſiccatus. Ideoque ſordidis, putridis, ſanioſis, calloſis, ſerpentibus, atque aliis omnibus vlceribus, quæ vulgaria remedia contemnunt, & cicatrici obſiſtunt atq; reluctantur, modo ſolus, modo aliis, quæ citra morſum ſiccare aut tergere poſſunt, miſtus vtiliter adhibetur.

Cinerem hunc illotum ſi impuro & cacochymo corpore, vlceri vel ſimplici, vel venereo adhibeas, fluxiones, inflammationes, & dolores proritari, & exaſperari continget. Si cui forte in animo fuerit ad contumaces fluxiones & morbos melancholicos, qui reliqua cathartica ſuperant, puluerem hũc intra corpus aſſumere, modo validis firmiſq; viſceribus præditus ſit, & puluis recte corrigatur: vehementior ac concitatior, ſed forte non infœlix futura

tura eſt purgatio. At ſi tenſa hypochondria, vel viſcera imbecillitate laborant, vel corporis vires effœtæ ſunt, iſthæc vacuandi ratio prorſus aliena eſt. Correctio autem huiuſmodi ſit.

Puluis deſcriptus biduum in aquis refrigerantibus ſubinde mutatis maceretur, ac rurſum in cardiacis biduum: ſic omnem fere morſum exuet, quam aqua fortis illi impertierat. Reſiccatus dein puluis rurſum temperetur aliorum adiectione, & in catapotia aptetur.

℞ Pul. deſcripti præparati ℈ j. pul. E. triaſandal. ſimpl. ʒ ß. rhabar. electi ʒ j. mithridat. optimi, conſeruæ bugloſſ. pul. roſ. rub. maſtich. ſingul. ℈ ß. ſubigantur ſimul cum mucagine tragacanthæ extracta in aqua roſ. fiat maſſ. doſ. ʒ ß. in pilulis tribus mane ſumendis, hauſto prius iure pingui, è vitulina carne & pullo gallinaceo cum bugloſſ. borrag. oxalidi & portulaca.

In vſu eſt & lethale aliud argentum (chymiſtæ ſublimatum dicunt) ex argento viuo & ſale armeniaco confectum, cuius eximias vires in affectuum quorundam externorum curatione ſæpe ſum expertus. At intro ſumptum peſſimum eſt venenum, partem quam attigerit, ſtatim adurens, atq; exulcerans, mortemq; conuulſionibus ac internis cruciatibus formidabilem & horrendam acceſſens. Sunt qui conficiunt in hunc modum.

Argenti viui & atramenti ſutorii æquales portiones cum aceto teruntur, donec argẽtum viuum prorſus diſparuerit. Ex his conflata maſſa ſiccatur, deinde in fictilib. patinis vitro intus illitis diligenter obturatis trium fere horarum ſpatio coquitur, mox aufertur, & quum patinæ refrixerint, quic-

quid liquidi, ſolidique ineſt, rurſus eximitur, rurſuſque teritur, aceto ſubinde aſperſo, & coquitur. Id quod tandiu fieri debet donec omne argentum viuum in operculum ſublatum ignis calore cõcreuerit. Id inſignem erodendi vim habet, & potum non aliter quam calx viua interficit.

Nova ac secvra lvis venereæ per hydrargyrum & alexipharmacum curatio. Cap. VII.

ARgenti viui temperiem, & quibus id viribus occultioribus præſtet & excellat, quibuſque incommodis officiat diximus: iam id luis venereæ alexipharmacum ſit necne, diſquirẽdum. Aliptæ ac reunctores quicunque de luis venereæ curatione ſcripta in lucem emiſerunt, craſſam lentamque pituitam & melancholicum ſuccum ſubiectam materiam eſſe prodiderunt, in qua maligna & venenata eius labes ſedem habeat, infixaque ſit. Hanc, quoniam corpori illitus, vel introſumptus hydrargyrus peculiari quadam facultate & dote, nulli alii medicamento conceſſa, ſputatione expurgare deprehenditur, omniaque luis venereæ ſymptomata penitus delere, proprium ac peculiare ipſius alexipharmacum eſſe contendunt. Morbum enim radicitus extirpari, quum omnia eius ſymptomata (hæc enim cauſam tanquam vmbra corpus perpetuo conſequuntur) prorſus diſparent & euaneſcunt. Addunt paruo conſtare hoc remedii genus, & celeriter curare, quum alia non niſi ſenſim longoque tempore effectum ſuum ſortiantur, ac vix vnquam radicitus mali cauſam exſcindant.

Denique nec guaiacum, nec chynam, nec ſarçampar-

çam partillam craſſam & lentam pituitam, terrenamque melancholiam, in quibus luis pernicies inſidet, expurgare, ſed tenues duntaxat ac ſeroſos humores in ſudorem digerere, ideoque recurſuri mali metu haudquaquam liberare velut hydrargyrum, qui & tenues ſudoribus digerit, & craſſos ac lentos omnis generis ſputatione aut alui profluuio expurgat.

His fere argumentis imperitos ad hydrargyroſim pelliciunt, quæ tamen facile ſit refellere. Hydrargyro quidem eam vim ineſſe, eamque facultatem peculiariter inſidere fateor, vt vel extrinſecus emplaſtri, aut cerati, aut vnguenti forma impoſitus, vel intra corpus ipſum aſſumptus, craſſi & lenti mucoris ſputationem, vel è ſano corpore eliciat, quemadmodum ſcammonium & colocynthis ſeroſos tenueſque humores, inſita ſibi proprietate, vel è ſano corpore, detrahunt: An idcirco luis venereæ alexipharmacum aut eſſe, aut dici poteſt? minime vero. Malignam quippe venerei veneni labem ac perniciem, ipſumque morbi fermentum ſolidis partibus impreſſum atque infixum, nec manifeſta pugna, nec occulta proprietate delet aut euincit: quod tamen amuletorum proprium munus eſt, ſed ſummo duntaxat frigore intro repellit, & alia inexplicabili & incognita vi ad tempus cohibet, ſtupefacit, obtundit, & intus in partibus ſolidis velut colligat atque conſtringit, dum tempore reuertatur atque reuireſcat. Vt opium deſtillationum antidotum haud dicimus, aut rhabarbarum febrium alexipharmacum, etiamſi illas plerumque coerceat ac profliget. Sic neque hydrargyrus luis venereæ amuletum recte dici poteſt, etiamſi illam

interdum conſopiat. Niſi forte ampla ſignificatione alexipharmaca & antidota vocites, medicamenta omnia, quæcunq; vel morbi materiam demendo, vel intemperiem ſummouendo, vel aliqua alia facultate morbo cuipiam auxiliantur, quod tamen veterum auctoritate & loquendi vſu dicere vetamur. Antidota enim & alexipharmaca propriè appellarunt, quæ non quidem extrinſecus impoſita, ſed intra corpus ipſum aſſumpta, tota ſubſtantia & occulta proprietate, venenis reſiſtunt & aduerſantur, eorumque affectibus medentur, & grauiſſimis caſibus auxilio ſunt: quorum triplex differentia Galeno ſtatuitur, quod alia lethalium medicamentorum gratia offeruntur, alia aduerſus beſtias virus eiaculantes valent, alia denique morbis ex prauo victu contractis opitulantur: quibus ex aduerſo oppoſuerunt deleteria.

Vt enim lethalia venena (deleteria dicunt) vbi in animalis corpus ingreſſa ſunt, totum id momento temporis immutant, ſibiq; ſimili affectione inficiunt: ita ſane intro ſumpta alexipharmaca ſeu alexiteria, quæ venenorum remedia & antidota ſunt, contraria venenis lethalibus affectione, totum etiam corpus ipſa immutant, & perniciem à deleteriis impreſſam qualitatis ſuæ in maximam corporis molem diffuſione, delent & extinguunt. Craſſum quidẽ mucum & pituitoſam ſaniem ſputatione expurgat hydrargyrus, ſed crudeliter adeò ægros angit & excarnificat, vt perire ſatius ſit, quam tantis cruciatibus & laboribus morbo occurrere. Quum tamen hoc remedii genere pauci leuentur, in quibus venereum virus nondum altius radices egit. Adde quod in ſputatione multos

mori

mori cõtingat, ſiue quod fauces inflammatio præcludat, ſiue quod vires præ vigiliarum & dolorum vehementia ac diuturnitate, præq; inedia longiore fatiſcant atq; deficiant, ſiue quod pituita affatim in præcordia illabens, repente ſuffocet.

Quod autem aiunt ſublatis per hydrargyroſim luis ſymptomatis, nitidoq; reddito corpore, morbum, qui illorum cauſa fuerat, neceſſario tolli, id plane falſum & ab experientia quotidiana alienum eſt, qua conſtat non huius ſolum, ſed aliorum etiam multorum morborũ cauſas diu interdum intus ſepultas deliteſcere nullis notis conſpicuas. A cane rabido acceptum virus, intus deliteſcit dum contaminatis humorib. & infecto corde vitæ principio excãdeſcat. Et nitida facta corporis elephantici cute venenum intus reſtitat circum viſcera, quod breui foras remigret atque reuireſcat. Quid igitur mirandum, ſi vacuatis excrementis reſiccatoq; corpore venereum venenum intus abditum lateat, donec collectis in corpore excrementis denuo reuertatur? Externas corporis partes hydrargyrus expurgat, & à tuberculis vindicat, ſed plerunque venereum fermentum in internis relinquit, ſtupefactum quidem atque conſopitum, ſed quod tandem aliquando ſuſcitatum atque accenſum in excrementis horrenda ſui furoris ſymptomata proferat, in aliis quidem celerius, in aliis tardius, pro corporis natura & vitæ conditione.

Multos quotidie videas liberos procreare atque ſuſcipere venereis maculis, aut tuberculis, aut vlceribus prorſus conſperſos, atque contaminatos, qui tamen per hydrargyrum prorſus expediti, reſtitutiq; iudicabantur. Quibus ex cauſis ſupra de-

ſcriptam per guaiacum & alexipharmacum luis curationem fucatæ huic ac periculoſæ hydrargyroſi præferendam cenſeo, quidquid obganniant aliptę.

Ego tamen ne forte aliptæ, qui nec rationum momentis, nec quotidianis rerum euentis ab hydrargyroſi auocari poſſunt, curandi rationem per hydrargyrum à nobis ignorari obiiciãt: ita luis venereæ curationem inſtituam, vt non ſolum quæ ab hydrargyro creari ſolent pericula declinentur, ſed etiam reuerſionis, recurſuſque metus omnis tollatur, & perfecta ac minime fallax ſuccedat curatio. Ita quiſquis inuenta meliore fruge glandibus etiamnum veſci deſiderabit, vel ſuprapoſitæ curationis ſumptus præ egeſtate ferre non poterit, hac ſaltem cautione grauiſſima ſymptomata declinabit, quæ ſputatio per hydrargyrum concitata inuehere ſolet.

Multa ſunt in hac curatione cum ſuprapoſita, quæ per guaiacum & alexipharmacum fit, communia. Ideoque multa illic diffuſius explicata ſunt, quorum præcipua tantum capita hic attigiſſe ſatis ſit.

Vtriq; communis eſt vniuerſi corporis præparatio per vacuantia: hæc vero pro affecti corporis temperamento & habitu, & morbi tempore, aliiſque indicationibus non parum variat. Nam ſi ante contractam luem ſumma inerat corporis puritas, nec ita pridem contractus morbus eſt, ſemel atq; iterum catharſim moliri, atq; ſanguinem pro plenitudinis & virium ratione mittere ſatis ſit. At ſiue ante morbum excrementis corpus ſcatebat, ſiue iam diu impreſſa lues multa excrementa cumulauit, ſæpius repetita catharſi opus eſt, quæ im-

puritatis

puritatis ac cacochymiæ ſentinam eluat atque exhauriat.

Vtrique etiam commune eſt poſt conuenientes vacuationes, ſopitum intus venenum mouere, excitare, propellere guaiaci aut chynæ, aut ſarçeparillæ decocto. Sed in recens contaminatis, qui boni ſunt habitus, ſimplex guaiaci decoctum ad ſudores exciendos abunde eſt. In impura vero corporis conſtitutione & in inueterato morbo, præſtat purgatorio decocto in initiis curationum ſudorē promouere. Ita enim non modo venenata labes cum ſeroſis excrementis, ſudoribus digeritur & exhalat, ſed etiam omnis generis excrementa purgantur, puriſſimaq; à luis curatione manent viſcera.

Ad hæc præparationis huius, quæ catharticis tentari ſolet, tempus pro corporis & cauſæ morbum committentis ratione ac differentia longius aut breuius eſſe debet. Bono corporis habitu & conſtitutione, cute rara ac perſpirabili præditis recenſque contaminatis, dies viginti aut triginta ad ſummum ſatis ſint. Pituita aut melancholico ſucco refertis, & denſa atque adſtricta cute inſtructis, & inueterato vitio preſſis quadraginta aut quinquaginta vix ſufficiunt.

Commune eſt & vtrique curandi rationi, promotis ſudoribus dies aliquot guaiaci aut ſarçeparillæ decocto, alexipharmaco præmiſſo vti, dum in integrum reſtituta ſit valetudo. Sed id ipſum alias meracius, alias dilutius & temperatum magis vſurpandum, prout corporis affecti propria & peculiaris temperies ac natura expoſcit. In vtraq; etiam conuenit, ſi hyems eſt, in hypocauſto ægrum continere, vel etiam ſi in eo ægrius ſudor elicitur,

ſumpto alexipharmaco & guaiaci decocto vaporarium deſcriptũ in hypocauſto habere, in quo guaiaci cremore & alexipharmaco ſumpto, ſudorem excipiat. Denique & victus ratio, & reliqua omnia, quæ in ſuprapoſita curandi ratione tradita ſunt, in hac etiam accurate obſeruari debent, vt perfecta ſuccedat curatio.

Hoc autem proprium & peculiare habet hæc curatio, quod hydrargyri inunctio adhibetur poſt iuſtam præparationem, in hunc fere modum.

Singulis diluculis quinta, ſexta vel iuſta hora alexipharmaco & cremore guaiaci aſſumptis, æger ad ignem inungitur. Ac primo quidem die pedes, tibiæ ac brachia tantum perunguntur, ſecundo præter hæc, crura, tertio etiam tota dorſi ſpina ad ſcapulas vſq;, cauendo diligenter caput, ceruicem & anteriorem thoracis partem. Inuncto corpore vaporarium apte calens protinus adeundum, & inſudandum horam dimidiam, plus minus pro corporis & virium robore. Labaſcentibus viribus etiam ſi parum ſudoris emanarit, ab incœpto opere deſiſtendum, ſiue in lecto, ſiue in vaporario ſudor elicitur, neque vnquam committendum, vt ſyncope, quæ mortis eſt imago, ægrum territet. Sudore in vaporario profuſo, æger calente linteo obuolutus in lectum ſe recipit: ſtragulis coopertus ſudorem rurſum (ſi quidem ferant vires) emanare ſinit, dein ſiccatur, ac extergetur. Viribus languentibus protinus à vaporarii egreſſu, apoterapiæ incumbẽdum. Reſiccato corpore cibus præberi debet, qui vires & ſpiritus ſudorum profuſione diſſipatos reſarciat.

Eadem duobus tribuſve diluculis repetenda curatio,

ratio, dein quatriduum ſaltem ab inunctione ſuperſedendum, ne ea quotidie mane repetita, maxima humorum fuſio ac partiũ colliquatio ſequatur, quæ ſputationem aut alui tormina non facile cohibenda, forte etiam repẽtinam mortem accerſat. In ipſo vero tridui aut quatridui interuallo, alternis diluculis ſimplici decocto guaiaci ſudores ciere, alternis alio decocto purgatorio aluum ducere conueniet, vt quicquid hydrargyroſis reſoluerit, vel in ſudores digeratur, vel in aluum id depulſum expurgetur. Qui facile in ſputationem prolapſuri putantur, per biduum tantum inungi, dein facto quatridui interuallo ad vnctionem remitti debent, ne continuata vnctione in moleſtiſſimam illam ſputationem præcipites ruant. Itaq; eo quo dixi modo, inunctio, ſudorum profuſio & purgatio per aluum viciſſim iterata cõtinuabuntur, dum morbus radicitus abactus ſit.

Quibuſdam ſexies corpus inunxiſſe, aliis octies, nonnullis etiam decies aut duodecies, vix ſatis ſit. Vbi nec dolor, nec vlcus, nec tuberculum, ſed ne veſtigia quidem illorum ſuperſunt, conferet ſi frigidum & pituitoſum corpus ante curationẽ rheumatiſmis erat obnoxiũ, vaporaria, omiſſo vnguento ex hydrargyro, aliquot auroris ingredi, & in iis inſudare, dein ſiccato corpore caput, ceruicem, ſpinam dorſi, & articulos omnes oleo roborante & ſiccante illinere ac perfricare, quo noxa cerebro & neruoſis partibus illata emendetur.

In id oleum è ſaluia ſicca, arte chemica prolectũ primas tenet. Miſcetur autem medullæ ceruinæ in aquis vitæ & ſaluiæ ſæpius elotæ, additur humanus adeps ſimiliter lotus, & caſtorii (niſi fœtor diſ-

Digitized by Google

plicet) momentum. Oleum cephalicum in luis curatione deſcriptum huic remedio recte ſubſtituitur. Quinetiam perfecta curatione modo propoſita, ſecūdarium guaiaci decoctum dies minimum duodecim bibetur, ac paulatim augebitur cibi modus, dein ad priſtinam viuēdi rationem ſenſim fiet tranſitus.

Si forte vaporarium quod ante deſcriptum eſt, in manu nō erit, æſtuariolum arte fabrefaciat chirurgus, in quo æger ſedens vel ſtans aromaticarum herbarum, in aqua & vino albo feruentium vaporem excipiat, ex conuenienti ductu, cuius alterum extremum in lebetem inſeratur, alterum in æſtuariolum: vel certe in lapidem molarem candentem, herbarum, quæ ad vaporarium traditæ ſunt paratum ex vino albo decoctum affundatur. Id enim in vaporem ſolutum, non modo externas corporis partes afficit, ſed intro etiam penetrans ad cerebrum & viſcera, craſſa attenuat & incidit, frigida calfacit, ſudorem copioſum profundit, neruoſumque genus ſiccando confirmat.

Alia curandi ratio.

Qui expeditiorem, ac nihilominus tutā & certam curationem expoſcit, protinus vt iuſtis vacuationibus vniuerſo corpori proſpectum fuerit, guaiaci decoctum & hydrargyroſim viciſſim vſurpet, iis quæ dixi interuallis, dum plane à lue immunis, liberque euaſerit. Eſt tamen tanto tutior, quanto lōgior huius morbi profligatio, vt ſuadeam omnibus ſymptomatis deletis, remedia ad quindecim aut viginti dies continuare, ne qua ſuperſint fermenti venerei veſtigia, vnde reuerſio metuenda ſit. Hic enim nihil temere & repente fieri debere, iam

jam commoneſeci. Morbi quidem ab humoris fluxione profecti, plerunque ſubito tolluntur atque diuaneſcunt, eorum cauſa cathartico ſublata: at in venenatis & malignis præcipuum curationis caput attigit, qui venenatam & malignam perniciem partibus impreſſam alexipharmacis profligauit. Id vero nō niſi ſenſim ac pedetentim in lue venerea fieri poſſe vſus edocuit.

Alia curandi ratio per hydrargyrum, ſarçeparrillæ decoctum & aquam cardiacam.

Si quis præ mollitie, nec guaiaci decoctum ebibere, nec amuletum vorare ſuſtinet, is ſi hyems eſt, in hypocauſto contineri debet, in quo vaporarium ſit, vt quotidie ante epulas ſudorem ſumpto ſarçeparrillæ decocto excipiat, prout vires ferent. Dein lectum petat, in quo rurſum aquæ cardiacæ vncias tres exorbeat, atque iterum, ſi vires tolerent, ſudorem erumpere ſinat aliquantiſper. Deterſo, ſiccato & temperato corpore, cibo locus eſt & dilutiori ſarçeparrillæ aut chynæ potioni: Æſtate hypocauſtum noxium eſt nedum ſuperuacuum, ſed vaporarium vtiliſſimum. Quarto aut quinto quoque huius curationis die, mane mox à ſumpto ſarçeparrillæ decocto, vniuerſum corpus ceruice, capite, ventre, (anterioribus thoracis partibus exceptis) vnguine ex argento viuo ad ignem confricandum eſt, moxque ſudor in vaporario excipiendus. Per hanc curationem ſexto quoque die aluus ducenda fuerit, intermiſſis eo die ſudatoriis præſidiis, atque vnguento. Sic enim materiæ craſſamentum, quod digeri nequit, ſudoribus, detrahetur per aluum. Hæc remediorum viciſſitudo continuanda, dum reſtituta ſit valetudo, quod pro corporum ge-

neribus ſerius aut citius euenit. Victus ratio eadem eſſe debebit, quæ in curatione per guaiacum & alexipharmacum poſita eſt.

Alia curandi ratio per hydrargyrum & aquam cardiacam abſq; decoctis.

Singulis diluculis in vaporario ſudor eliciendus, hauſtis ante ingreſſum aquæ cardiacę vnciis tribus, excitandus & ante cœnam eadem arte. Hanc ſudoris excitandi operam perſequi oportet, dum ne minima quidem morbi nota ſuperſit, facta quarto aut quinto quoque die hydrargyroſi ante vaporarii ingreſſum, poſt hauſtã aquam cardiacam. Purgandum interim corpus ſemel in hebdomade, minime promotis eo die ſudoribus.

Alia curandi ratio infimæ ſortis hominibus commoda.

Si quis forte bonis fortunæ deſtitutus, in chirurgum illiberalem & auarum incidat, qui humanitatis oblitus, nil niſi numerata pecunia in pauperes conferat, hanc curandi rationem ſubeat, quæ remediis paratu facilibus, & quæ paruo conſtant, morbum radicitus eximet. Vacuato corpore guaiaci decoctum ſimplex domi conficiat, eoque vtatur loco vini, dum plane conualuerit: ſeruet etiam tenuem & ſiccam victus rationem, velut ſupra pręceptum eſt, & ante ſingulos paſtus ℥ vj. decocti ſudatorii ebibat. Interim ſexto quoq; die, paulo ante ſomnum corpus inungendum curet vnguento ex hydrargyro, moxque in lectum ſe recipiat minime promotis ſudoribus, qui tamen ſi ſponte emanabunt, detergendi erunt, & corpus reſiccandum. Poſtridie inunctionis, ſi publica in vrbe æſtuaria erunt, illa adeat, ibique ſudorem cieat: ſi non erunt, inſudet

inſudet in lecto quoque diluculo hauſto cremore guaiacino, vel certe fimo equino ſepeliatur, dum ſudorē multum profuderit. Repetenda quinto aut ſexto quoque die inunctio, & aliis diebus guaiacina potio ſudatoria, dum omnia luis ſymptomata diſparuerint. Semel interim in hebdomade aluus medicamento purgante ſubducetur, & quibus diebus minime perungetur, decocto guaiacino præmittetur opiata. Qui calido ſunt iecore & ſqualido corporis habitu, peracta curatione, balneo aquæ dulcis aridū & pruriginoſum corpus temperabunt, & in decocto guaiacino ſuprapoſito cichorii radicem, vuas paſſas, endiuiam & ſimilia inſerent, aut certe ſarçeparrillæ potionem vſurpabunt.

Alia curandi ratio per ſolum hydrargyri litum & opiatam citra ſputationem.

Corpore repurgato & miſſo ſanguine victus ratio tenuis & ſiccans inſtituetur, & in paſtu potio guaiacina diluta, aut ſarçeparrillæ decoctū. Quarto interim, aut quinto quoque die corpus vnguine ex argento viuo ad ignem illinatur: æger dein fimo equino calente ſepeliatur, ſinaturque dum ſudoris profuſione vires langueſcere ſentiat. Tum enim eximetur & deterſo ac reſiccato corpore opiatę aut mithridatii ℥ j. præbebitur. Hydrargyroſis eodem modo repetetur, dum nihil venenati morbi ſuperſit. Diebus interiectis opiatæ ℥ j. quoque diluculo deglutietur. Quibus opes ſuppetunt, non fimū, ſed vel vaporarium, vel lectum in æſtuario ad ſudores promouendos deſtinamus. Qui cachectico ſunt corporis habitu, poſt præparationem per vacuantia & purgatorium guaiaci decoctum quindecim aut viginti dies hauſtum, conuenire diximus

Digitized by Google

tepens balneum aquæ dulcis, in quo emollientes & detergentes herbæ ac radices decoctæ fuerint, iam teſtamur hydrargyroſim iiſdem vtiliter adhiberi in egreſſu inſeſſus, corpore reſiccato, idque quinto duntaxat quoque die, ne crebriore vſu ſputatio exorta periculum aut moleſtiam maximam adferat, repetenda autem dum corpus exacte deterſum ſit, ſatiſque temperatus viſcerum ſqualor, intermiſſo eo die, quo vngetur, decocto purgante. Curationis finis eſt, quũ omnia luis venereæ ſymptomata radicitus deleta euanuerunt.

Porro pro diuerſa corporum natura, diuerſa vnguenta componuntur. In frigidis & humidis naturis calida & ſicca olea adipeſve argento viuo commiſceantur, quæ frigidam & humidam eius naturam cohibeant, ne cerebro & toti neruorum generi officiat. Sed & argentum viuum idonea præparatione abſtracta illius plumbagine corrigendũ. Hydrargyri libra cum ſublimati ℥ ij. & aquæ fontanæ ℔.iij. rudicula diu agitatur, vt quicquid plumbi continet, in aquam deponat, qua effuſa puriſſimus deprehenditur hydrargyrus. Quæ præparatio ſæpius repetita efficit, vt è libra hydrargyri vix ſelibra ſuperſit, tanta in eo ineſt impuritas. Poſtremo in ſtillatitio ſaluiæ liquore aut ipſius ſucco optime eluitur. Argentum viuum æquis ſucci ſaluiæ & aceti partibus maceratur, deinde ſublimati momentum adiicitur diu agitando, tandem ſinitur, vt abiecto inquinamento ſyncerum relinquatur. Hydrargyrus etiam in vino fuluo cum aromaticis iuſto feruore ſubigitur, adiectis ſub finem ſale & aceto, dein per pellem ſubactam percolatur. Præparatio vero axungiæ hæc ſit.

℞ Saluiæ minoris, betonicæ, ſtœchadis, origani, mentæ, ſampſuchi, toriſmarini, chamæmeli, lauri, ſingul. p.j. rad. iridis florentinæ, calami aromatici, baccarum lauri & iuniperi, ſingul. ſemunciam, aquæ vitæ ℔.j. ſucci ſaluiæ & ebuli, vtriuſque ℔.ß. axungiæ ſuillæ recentis ℔. iiij. Ferueant in phiala aut olla anguſti oris dum aqua & ſucci expirent, axungia dein torculari exprimatur. Si quis calidius præſidium deſideret, olei è ſaluia extracti quantum volet, adiiciat.

Vnguentum commune in frigidis naturis.

℞ Argenti viui præparati ℥ij. ß. axungiæ præparatæ libram, ſedulo miſceto.

Vnguentum ex helenio cum hydrargyro, frigidis etiam naturis vtile.

℞ Argenti viui præparati vncias quatuor, ſucco ſaluiæ & tantillo terebinthinę exacte miſceto, dein adde axungiæ ſuillæ præparatæ libram, radicis helenii coctæ in hydromelite tuſæ & colatæ, butyri ſalis expertis, vtriuſq; ſelibram.

Aliud frigidis etiam naturis accommodatum.

℞ Hydrargyri, vnciis quatuor olei amigdal. amararum permiſti ℥ iij. mucag. ſem. fœnigræci extracti in aqua vitæ, axungiæ præparatæ butyri recẽtis loti in ſucco ſaluiæ ſingul. ℥ iij. mucago, axungia & butyrum coquantur ad linimenti craſſitiem. Dein hydrargyrus oleo amigdal. miſtus addatur cum moſchi granis vj.

Vnguentum in temperatis naturis vſurpandum.

℞ Butyri recentis, optimi, ſalis expertis, adipis ſuilli vtriuſque ℔. ß. argenti viui præparati ℥ ij. ß. Adeps & butyrum in vino albo & ſaluiæ ſucco eluuntur, argentum viuum dein adiicitur, ac ſedulo

miſcetur. Moſchi etiam grana aliquot, ſi fragrans eius odor ſuauis eſt, induntur.

Aliud in naturis calidis.

℞ Butyri ſalis expertis, olei roſ. adipis hœdi adhuc lactantis, ſingul. ſelibram, argenti viui vncias tres. Fingito linimentum.

Si pruriginoſum corpus erit, & ſcabrum ſic comparetur.

℞ Rad. helenii, acetoſæ, oxylapathi, ſingul. ℥. ij. morſus gallinæ, fumariæ, chelidonii, ſingul. M. j. Coquantur in hydromel. Tuſa omnia colo tranſmittantur, dein adde argenti viui oleo roſ. permiſti ℥ iiij. butyri recentis ℥ viij. adipis capri adhuc lactantis, olei amigdal. dulcium, lotorum in ſucco fumariæ, vtriuſq; ℥ ij. Fingito vnguentum.

Vel ſic:

℞ Axung. ſuillæ ſucco fumariæ elotæ ℔. j. olei roſ. argenti viui, vtriuſque ℥ iij. caphuræ ʒ ß. moſchi grana iiij. fiat linimentum. Si rubrum expetis, adde cinnabaris ℥ ß. In calidis & ſiccis temperaturis qua arte dixi præparata axungia & olea præcalida noxia ſunt. Nam & viſcera atque humores extorrent, & vlcera moleſtiſſima præpropere in ore excitant, haud facile tollenda. Sunt qui mithridatium & theriacam hiſce vnguentis immiſceant, ſed alexipharmaca introſumenda eſſe, vt venena vel foras exigant, vel extinguant, vt veterum auctoritas, ſic experientia commodiſſimum eſſe confirmauit. Alii oleum è baccis lauri, aut è ſpica, aut petroleum immiſcent, atque in omnibus naturis citra delectum temerario conſilio vſurpāt. Sic enim illata viſceribus noxa, ſitim inexhauſtam, febrem, aliaq;

Digitized by Google

aliaq; ſymptomata in calidis temperaturis antè optatum curationis fructum excitant.

Alia curationis ratio per guaiacinum decoctum amuletum & cerata aut emplaſtra.

Vicem vnguenti ſupplere poſſunt emplaſtra ex hydrargyro. Ideoque tenuioris fortunæ homines & mancipia, quibus nec domi ſe continere, nec cariori medicina vti conceditur, tenui & ſiccante victu guaiacino decocto & emplaſtro luē facile profligabunt, hac methodo.

Purgato corpore guaiacino decocto ſe committant, minime intermiſſo ſolito labore, eoque ad ſatietatē vtantur, cum in epulis tum extra has, quum ſitis premet. Sed cibo modico eoque aſſo, potius quam elixo, veſcantur, cum iuſto panis modulo. Exactis dieb. viginti emplaſtrum Vigonii cū mercurio tibiis ac brachiis, nonnunquam & ſcapulis imponunt noctu pariter atq; interdiu geſtandum, donec profligata ſint omnia morbi ſymptomata. Octauo autem quoque die immutandum emplaſtrum, & quum imponitur vnguento ex argento viuo illinendum. Continuanda remedia iſta ſunt vna cum decocto guaiacino, opiata & tenui victu, dum ne vllum quidem venerei morbi veſtigiū ſuperſit, repetita quaq; hebdomade idonea catharſi. Emplaſtrum Ioannis Vigonii ſi diſplicet, vſurpetur, quod ſic habet:

℞ Adipis ſuilli fibris purgati & loti in ſucco ſaluiæ ℥ viij. argenti viui præparati ℥ iiij. pul. roſ. rub. & foliorum ſaluiæ, croci, ſingul. ʒ j. gummi pini ℥ iij. gummi elemi ℥ j. ß. caphuræ ʒ j. moſchi grana iiij. ceræ q.ſ. fiat emplaſtrū quod vſus tempore vnguento ex argento viuo ſuperillinatur.

Eſt & alia curandi ratio admodum tuta, quæ fit per decoctum guaiaci & opiatam vna cum hydrargyro ſemel aut bis in hebdomade introſumpto: quam (ne empirici abutantur) hoc loco tradere non decreui. Fit & ſolo hydrargyro intro ſumpto, & aqua mercuriali extrinſecus adhibita: ſed non raro ſic curatis morbus reuertitur, niſi alexiterio & decocto guaiacino eius radicem intus deliteſcentem funditus extirpent.

Iam vero ſi forte qua methodo dixi, ad luis curationem adhibitum argentum viuum, præter opinionem ſputationem accerſit, ſi ea tanta eſt, vt ſomnum intercipiat, & vires atterat, inchoata curatio intermittenda, donec quod ſatis erit, emanarit. Neque enim ſtatim initio cohibenda, ne pituitæ illabentis copia ſubſiſtens, naturam opprimat ac ſuffocet: ſed ore patulo fluere ſinendum quicquid hydrargyrus liquefecerit. Cibos ſolidiores ſi aſſumere nequit, ouum ſorbile, aut iura, aut expreſſa è carnibus, hordeatum, gelatina, aliaque eius generis ſufficientur, quæ & lenire oris & faucium aſperitatē, & facile deglutiri poſſint. Potus ſit guaiaci aut ſarçeparrillæ decoctū, aut ſi vires nimium languent, vinum valde dilutū. Inter dormiendum os perpetuo hiare neceſſe eſt, eo enim clauſo pituita in ventriculo ſubſiſtens, aut faucibus hærens defectionis, aut etiam ſtrangulationis periculum affert. In id glycyrrhizæ baculum ore contineant, vel aliud quidpiam quod pituitæ viam liberam ſeruet, eamq; proliciat. Quum humoris acrimonia fauces & os totum exaſperet, nonnunquam & exulceret, os ſæpe colluant neceſſe eſt, vel hordei decocto, melle roſato dulcorato, vel hordeato aqua multa diluto,

diluto, vel lacte tepido, quũ præſertim ardor gingiuas male habebit. Si vlcera etiam inerunt, vbi quod ſatis eſſe videbitur, emanarit, aluminoſa aqua bis terve quoq; die è rudicula adhibenda, dum perſaneſcant. Aluus denique ſi durior erit, alternis diebus clyſtere mollienda, donec ſuppreſſa pituitoſa ſputatione cathartico locus ſit. Conquieſcente ſputatione, purgato corpore, recreatis aliquantum viribus, repetendum guaiaci decoctum vna cum opiata, donec res in tuto eſſe videatur, neque committendum vt deliteſcente intus veneni fermento, morbus aliquando repullulet atq; reuireſcat, maximo medici dedecore atque ægri damno. Sin leuis duntaxat excreatio argenti viui vſu proritata eſt, curatio continuanda, excepto litu, qui octauo quoq; die duntaxat repetetur. Veruntamen quoniam quæ per guaiacum & amuletum deſcripta eſt curatio, breuior, tutior, ac facilior exiſtit, quæ vero per argentum viuum longior, periculoſior & difficilior, conſultius ſemper fuerit, ſi per ægri facultates licuerit, illo potius quam hoc modo curari. Securior autem eſt, tum quia neminem vnquam occidit, quamlibet tenuem victus rationem obſeruet, tum quia non tantum ſymptomata cohibet relicta intus mali radice, vt quæ per argentum viuum fit, ſed illorum etiam cauſam atq; ipſius mali fermentum, funditus delet & extinguit recurſione prorſus liberans. Aut ſi quid aliquando ab ea præpropere omiſſa recrudeſcat, id & ante duos treſve menſes contingit, & repetita curatione intermiſſa facile deletur. Quo fit, vt æger ante paucos menſes ſecurus atque prorſus expeditus certo dici poſſit. Adde pueris, ſenibus atque prægnanti-

bus tutiſſimum eſſe, ſi quis remedia illorum naturæ & habitui prudenter accommodet, quum ea, quæ per hydrargyrum fit, languidum in ſenibus calorem extinguat, & laxum ac mollem puerorum habitum ita colliquet atq; diſſoluat, vt vtriſq; mortem accerſat. Facilior vero eſt, quod nullo graui dolore, aliove crudeli ſymptomate hominem excarnificet, vt quæ per argentum viuum tentatur, quodq; nec appetentiam proſternat, niſi forte primis diebus, neque ſomnum intercipiat, neq; aliam vllam moleſtiam pariat, præterquam ſudoris promouendi: quum alia ſi non occidit, vires ſaltē exoluat, & fauces atq; etiam interdum os totum, turpiter exulceret maximo fœtore: & dentes denigret atq; corrumpat, & pleriſq; ſurditatem accerſat, aliis tinnitum immedicabilem, omnibus cerebrum debilitet, & multis dolores articulares in omnem vitam concitet, omnibus ſomnum intercipiat, & appetentiam omnino deiiciat.

Nam quod obiiciunt aliptæ, tenues duntaxat humores hac curatione in ſudores digeri atq; diſſolui, craſſa & lenta pituita, quæ propria eſt, morbi materia intus relicta, falſum plane & commentitium eſt. Vt enim tenues & ſeroſi humores ſudoribus digeruntur: ſic craſſi & lenti decocto attenuati, purgatione ſæpe repetita exturbantur in aluum atq; deiiciuntur. Neq; vero craſſum lentumq; mucum quem ſputatione vacuat hydrargyrus, ſemper in corpore reperit. Quomodo enim eo exquiſite ſano, cui tamen affrictus ſputationem mouet tanta mucoſæ pituitæ inſit copia? Sed ſolidas partes colliquat, vt ex iis proprium ſibiq; familiarem humorem proliciat. Deniq; quod celerius argentum viuum

num reſtituere prædicant, quam guaiacinum decoctum & alexipharmacũ,id vt falſum eſt, ſic quotidianis euentis plane redarguitur, niſi forte malo fucum adhibere, non radicitus ipſum tollere, ſanationem appellent. Sufficit quidem breuius ad inungendum, quam ad ſanandum per guaiacum & amuletum tempus, ſed Deus bone, ab inunctione tanquam ab vrbe egrediunti, quam longa conficienda ac pertranſeunda ſunt ſuburbia? nemo credat, niſi qui vel in aliis multis viderit, vel ſit ipſe perpeſſus.

Sed age recens contracta lues, per hydrargyrum curanda proponatur. Ante hydrargyroſim præparatio quædam neceſſaria eſt. In id dies minimum ſex inſumuntur, interdum duodecim aut quindecim. Nam initio prima corporis regio repurganda eſt: deinde ſi plenitudo ineſt, ſecta vena ſanguis detrahendus. Poſtremo ſi qua impuritas ſupererit, purgatio per apozema aliquot diluculis repetenda. Sin minus vnicum medicamentum ſatis erit. Ab iis decoctum guaiacinũ ad ſex minimum dies imperatur: quod latens vitium ſuſcitet, & humores attenuet. Purgatio deniq; repetitur, quæ circum viſcera collectum excrementum guaiacino decocto dimotum extrahat. Hinc opus aggredi licet. Primo igitur die corpus ad ignem inungitur ac cõfricatur, idq; quinq; ſexve diluculis alias continuatis, alias interiectis repetitur, dum videlicet ſputum ſolito copioſius profluat, & in gingiuis vlcuſcula negotium faceſſant. Hic enim finis inunctionis ſtatuitur.

Sputatio ſi recte procedit, ad quindecim minimum dies, interdum & ad viginti aut triginta ex-

currit duratq;. Ea vero ſuppreſſa corpus denuo repurgandum eſt, tandemq; reficiendus æger, dum vires receperit: quod non ante viginti dies contingere ſolet, quibuſdam vix menſe integro. Hæc luis incipientis curatio, quæ breuiſſima eſſe ſolet, dies minimum quadraginta requirit, interdum ſexaginta, nonnunquam ſeptuaginta. Quum inueterata lues, doloribus ac nodoſis tumoribus iam moleſta, plerunq; vix menſibus quatuor, interdum ne anno quidem integro profligetur. Vidi qui duos annos ſæpius hydrargyroſim experti, nihil aut parum opis ſenſerunt. Hoc etiam diſcriminis intereſt, quod multi per hydrargyrum reſtitui non poſſunt, quamlibet, diligenter ac ſagaciter omnia tententur. At guaiaco & noſtro alexipharmaco nullus vnquam videbitur vti (ſi exercitatus præfuerit medicus, & æger ipſius monitis obſequatur) qui præſentiſſimum auxilium non percipiat, & tandẽ non liberetur. Certa igitur & tuta eſt, quæ per alexipharmacum: incerta fere & fallax, nonnunquam & maxime periculoſa, quæ per hydrargyrum tentari ſolet luis curatio, niſi forte, velut præcepi, hydrargyro guaiacinum decoctum & amuletum adiungas. Sed de his plus ſatis.

Finis Libri Tertii.

I. PAL-

I. PALMARII CONSTANTINI DE ELEPHANTIASI LIBER VNVS.

ELEPHANTIÆ DESCRIPTIO atque notatio. CAP. I.

ELEPHANTIA totius ſubſtantiæ morbus eſt, contagioſus, occultus, venenatus, fere elephantis corio ac tergori cutem haud abſimilem reddens, vnde & nomen accepit. Habet igitur corporis elephãtici forma fere elephantis naturæ ſimilia multa. Vt elephas nulli animali ſimilis eſt, ſic neque hic morbus, alii cuiquam. Ille omnia animalia magnitudine & craſſitie ſuperat: hic morbus non ſolum genere maximus eſt, ſed laborantes etiam efficit ſeipſis maiores & craſſiores, totumque corpus in tumorem attollit. Qua ratione nonnulli hunc definiunt tumorem præter naturam, qui totum corpus in ſpeciem elephantis immutat: non quod tumor vnus in corpore ſit, ſed multiplex & inæqualis, & per vniuerſum corpus huc illuc diſperſus, intus à viſceribus facto initio, & progreſſione vſque ad extimam cutem continuata. Summa corporis elephantici pars crebras maculas, crebroſque tumores, & tubercula, verrucis perſimilia habet, quorum rubor in liuidum aut atrum colorem paulatim cõuertitur. Et omnes

quidem elephantes maculis multis leuiter extuberantibus aſperſi notatique ſunt, & liuido cinereoque colore toto corpore obſcurãtur, nocti & morti pene ſimiles. Ad hæc ſumma elephantici cutis inæqualiter craſſa & dura, quaſi ſquamis quibuſdam exaſperatur, ac interdum finditur, rimiſque dehiſcit: & elephas quidem corium habet aſperum, craſſiſſimum, duris extuberationibus inæquale, & ſciſſuris multis, ſemitis ac ſulcis prælongis interſectum atque inaratum. Elephanticis capilli & ſupercilia & barbæ pili vel excidunt, vel in lanuginem extenuantur rariſſimam. Et elephas rariſſimam lanuginem, non pilos, aut ſetas toto corpore gerit, præter animalium morem. Denique frigoris impatientiſſimus eſt elephantia conflictatus, & elephantes quidem hyeme, aut regione frigida contremiſcunt, horrent, & intermoriuntur, niſi tota hyeme calido in loco contineantur, & vino generoſo reficiantur. Quæ cauſa eſt, vt in frigidis regionibus, nec naſcantur, nec aliunde aduecti diu viuere poſſint. Tument digiti in pedibus, ac pedes pene ſimiles euadunt elephantum pedibus: vnde nonnulli vitium elephantiaſim appellatum volũt. Archigenes tamen à magnitudine morbi, ſicut ante propoſui.

Sunt & qui morbum hunc leonem aut leontiaſim appellent, à buccis & ſuperciliis, in his non minus quam in leone protuberantibus, ac flexili mole præditis, ſeu ob tumidæ frontis dilatationem ad ſimilitudinem rugoſæ pellis ſuperciliorum leonis. Aut denique quod non minus horrendum & formidabilem, quam leonis aſpectum præ ſe ferant elephantiaſi laborantes.

Saty-

Digitized by Google

Satyriaſis etiam nonnullis appellatur, quod iiſdem malæ cum rubore attollãtur, & muſculis maxillaribus veluti conuulſionem patientibus, mentum ipſum efficta quadam ad ſatyrorum formam ſimilitudine dilatetur, aut ob inexplebilem impudentem atque coeundi, qua hi continenter iactantur libidinẽ. Hac enim fabuloſi Poetæ ſatyros ex ardentiore memoriæ prodiderunt. Habent igitur faciem ſatyris perſimilem, & concubitum vehementer appetunt atque concupiſcunt. Dicitur & herculeus, quoniam eo nullus maior eſt, neq; contumacior: & magnus quidem eſt poteſtate morbus, quod ad mortem inferendam potentiſſimus ſit atque omnium longe efficaciſſimus. Nempe à mortis cauſa ducit originem, quæ primigenii eſt humidi ab alieno calore depopulatio præpropera, quàm extrema omnium partium ſiccitas conſequitur.

Contagioſus vero morbus exiſtit elephas, idque magis quam lues venerea. Non enim, vt illa ſolo impuro vel concubitu, vel attactu, ſed etiam inquinati aeris inſpiratione contrahi vulgo fertur. Inquinatur autem aer quem inſpirando trahimus, vlcerum virulentorum fœtore, & corrupta ſpiritus exhalatione. Quod ſi aliquando neque ex parentum ſemine, neque ex alterius inquinati contagione, ſed ex proprio intimoque vitio generatur, non idcirco contagioſorum morborum numero expungenda eſt elephantiaſis, non enim contagioſus morbus, ex ſolo ortu primo, ſed ex inuadendi ſerpendique modo & ratione ſpectatur.

Occultus autem morbus dicitur, quod diu intus deliteſcat, priuſquam ſe prodat, nec vllam inſi-

gnem ſui coniecturam notumve ipſius principium exhibeat, vt qui à manifeſta humorum intemperie, aut putredine oriuntur, & quod neque dolor, neque febris, vllave alia aperta atque inuſitata affectio ante hominem inceſſat: neque in corporis ſummis partibus repræſentetur per initia, vt protinus eum videre quis poſſit, & venienti occurrere ac reſiſtere. In viſceribus namque abditus fomes ſuccenditur, ibique ſæuit, dum interiorum victor, in ſuperficie tandem exardeſcat. Non igitur vt recte ſcripſit Archigenes tum gigni morbum hunc exiſtimandum eſt, quum ad cutem tumores prorumpunt, ſed potius perfici. Prima enim mali labes in iecore & liene reſidet, atque inde vitium ſerpit, pares in internis viſceribus tumores excitans, qui in externis poſtea apparent.

Venenatus quoque cenſetur elephas. Non enim terrenus & melancholicus humor, toto etiam corpore exuperans, vel bilis flaua, vel ex iis genita atra, prius hunc infligit, quam venenatam quandam malignitatem ac perniciem aſciuerit, quæ tum vniuerſi corporis humores, tum partiũ ſolidarum ſubſtantiam polluat & labefactet. Huius rei argumenta ſunt, melancholia morbus & mania, in quibus atra bilis toto corpore diu redundare poteſt ſine elephantiaſi, & febris quartana, tum intermittens, tum continua, in qua melancholicum humorem putreſcere fatemur nullo elephãtiæ periculo.

DE ELEPHANTIÆ CAVSIS. Cap. II.

Elephantiæ cauſæ aliæ externæ & euidentes, aliæ antecedentes, aliæ proximæ continenteſque

teſque dicuntur. In externis numerantur, diuturni & exurentes ſolis ardores, longa & perperam ſuſcepta inedia, victus tenuis ſiccans & excalfaciens, decocti guaiacini vſus diuturnus & intempeſtiuus, vini generoſioris & meracioris potus: eſculenta ac porulenta, quæcunque vel bilem flauam exurunt & extorrent, aut craſſum & melancholicum ſuccum procreant, vt bubula, ceruina, aſininave caro, & relſqua eius claſſis omnia, quæ alibi particulatim enumerata ſunt. Deinde ſalſamenta omnia & pipere aut alio aromate condita. Poſtremo legumina plurima, vt lentes, fabæ. Hæc enim omnia craſſi prauiq; ſunt ſucci.

Secundum locum tenet alterius inquinati contagio, quæ ſiue concubitu, ſiue accubitu, ſiue aſſidua vitæ conſuetudine cōparetur, idcirco elephantiam infligit, quod ex elephantico corpore pernicioſa quædam qualitas pariter cum humore, vapore aut ſpiritu transferatur in integrum corpus, cuius non ſolum humores, ſed partes etiam omnes ſenſim peruadat atque contaminet. In euidentibus primum ac præcipuum locum ſibi vendicat vitioſa alterius aut vtriuſque parentis elephantia laborantis conſtitutio. Nam ſi forte parentum alter quum genuit elephantia tenebatur, fœtus profecto ei naſcetur elephanticus, tanta eſt diuinæ procreatricis facultatis energia, vt in ſemine intemperato ac prorſus impuro conſiſtens, corporis partes vel ex impura materia fingat & efformet. Si nondum elephantia parens quum genuit, tenebatur, ſed in eam duntaxat propenſus erat atque procliuis, filius eadem ætate qua parens, elephantia prehendetur, eritq; elephantia hæreditarius morbus ele-

Google

phantico parentum ſemine genitus. Fieri tamen poſſe arbitror, vt quemadmodum Aetius ſcriptum reliquit, non omnino contagioſæ ſint ſucceſſiones huius affectionis in omnibus, quum videlicet alterius parentis integra valetudine præditi ſemen in conceptione vincit.

Mulierem quæ inſtantibus aut profluentibus menſibus conceperit, fœtum edere in elephãtiam procliuem Auicennas literis prodidit, non admodum veriſimili opinione. Multis namque orbis tractib. nunquam graſſari deprehenſa eſt elephantia, in quibus tamen ſæpe profluentibus menſibus mulieres concipere veriſimile eſt. Et in hac noſtra Gallia, quæ parum menſibus repurgantur, vix alio quam ipſius purgationis tempore concipiunt, citra vllam in elephantiam propenſionem. Secundo loco ſunt menſium & hæmorrhoidum diuturnarum ſuppreſſio, aut varicum, in quas natura ſeſe exonerare conſueuerat, ſectio, vel vſtio. Deinde iecoris calida & ſicca intemperies bilẽ flauam cumulans, quæ diu cohibita in atram facile degenerat, & venenatam perniciem indipiſcitur, quam toti impartitur, ac communicat. Animi mœrores, & perturbationes, quæ melancholicum & terrenum humorem adaugere poſſunt. Frequens iracundia, quæ bilem flauam in atram vſtione commutat.

Antecedentes cauſæ putantur bilis flaua, ſanguis, melancholicus humor, & pituita ſalſa. Hi enim humores quum ſupra modum torrentur, in atram bilem degenerant, quæ diu coercita ſenſim ac tempore venenata labe inficitur. Nã venenum in nobis ſponte gigni poſſe, Pelopis auctoritate confir-

confirmat Galenus, & experientia docet in epilepſia, ſuffocatione vterina, aliiſque eius claſſis affectibus.

Proxima continenſque elephantiæ cauſa terrenus & melancholicus eſt humor, virus perniciemque adeptus, quod puſtulæ maxime demonſtrant, duræ, ſiccæ, liuidæ, purpureæ, inæqualis cutis durities ex rubro nigreſcens. Hic autem humor malignam ac venenatam qualitatem vſtione indipiſcitur, quam tum viſceribus, tum aliis partibus omnibus ſenſim impertitur, ac communicat. Illa vero ſemel inquinata, non niſi terrenum quendam & melancholicum ſuccum, vel ex puriſſimis alimentis poſtea proferunt, eiuſdem veneni participem: quo partes deinceps imbutæ ac enutritæ, tẽpore ſimilem nanciſcuntur naturam, fitque elephantia totius ſubſtantiæ morbus, & vniuerſi corporis velut cancer quidam. Totum igitur corpus in elephantia ita afficitur, vt ipſa quoque oſſa vitiari dicantur, quod ipſa etiam impuro fruantur ſucco. Verum prima ac præcipua mali labes in iecore reſidet, è quo poſtea cum ſanguine in totum ſpargi propagariq; ſolet.

Quæ ſponte proprioque vitio nulla alterius inquinati contagione inuadit elephantia viros, quam fœminas ſæpius & crudelius exercet, atq; inter illos, rurſum frequentius, qui craſſum, lentum & melancholicum ſanguinem, aut ſalſam pituitam cõgerunt. Ac proinde qui victu ad huiuſmodi procreandos humores idoneo vtuntur, ſæpius, quam qui contrario.

Quamplurimos enim in Alexandria elephantia conſpurcari propter victus rationem, & regionis

feruorem, ex veterum monimentis accepimus. Illic enim elixata farina, & lentibus, & cochleis, & multis ſalſamentis, & nonnulli ex ipſis, aſininis carnibus & aliis quibuſdam cibis, qui craſſum & melancholicum ſuccum generant, veſcuntur. At in Germania & Miſia rariſſima hæc affectio videtur. Et apud Scythas lactis potatores nunquam fere apparuit. Deinde qui vel otio torpeſcunt, vel cibo & potu nimio ſeſe ingurgitant, vel inedia, vel violenta exercitatione, quæ ſæpe humores adurit, vel cibos in ventriculo corrumpit, præſertim in calida & ſicca regione, vtuntur, non raro in elephantiaſim incidunt.

Nationum igitur aliæ familiaré agnoſcunt morbum hunc, vt Ægyptus & Iudæa. Aliæ vix nouere, vt Germania & Scythia & olim Italia. Aliæ inter vtraſque mediæ. In vniuerſum æſtuoſis regionibus, quam temperatis, & frigidis, frequentior. Quanquam ſunt qui extreme frigidis ac gelidis familiarem eſſe contendant, quod prohibita tranſpiratione, coercitoque calore humores exurantur.

Quod ad ætates pertinet, quum nec pueri, nec adoleſcentes, humorum quæ dixi vitiis pateant, elephantia vix eos, ſponte ſine ſeminis labe inuadit, ſed ætate florentes, vel etiam prouectiores. Vix etiam vllus eunuchus hoc morbo tentatur. Qua ratione nonnullos legimus ſibi teſtes execuiſſe, ne ea ignominiæ labe aſpergerentur. Sed & qui elephantico parente progeniti ſunt, raro in elephantiaſim ante pubertatem incurrunt, ſi prudenter ſe gerant atque contineant. Eadem de mulieribus, quæ ſingulis menſibus naturæ lege purgantur: deque

que viris, quibus ſtatis temporibus hæmorrhoides fluunt, vel inſignes varices, in tibiis ſanguinē profundunt, ſententia ferenda.

Imminentis ac iam conſpicuæ elephantiaſeos notæ. Cap. III.

Antequam in externis corporis partibus certæ elephantiæ notæ ſe prodant, ingēs corporis ſegnities, & ignauia motuſque difficultas, exercet, ſpiratio tarda & difficilis euadit, aluus ſicca & adſtricta eſt, vrinæ iumentorum lotiis ſimillimæ, albæ, craſſæ & turbidæ ſunt. Expiratio grauis & fœtida, ructus continui, ipſi etiam ægroto non parum moleſti, aſſidua cruditas. Appetitus nec integer eſt, nec omnino proſtratus, digeſtio facilis, tanquam in ſuum ipſius alimentum morbo raptim attrahente, propterea inferioris ventris ſiccitate laborant. Impetus in venerem intenſus, in ſomnum propenſio. Inſomnia metus & mœſtitiæ plena, velut & animi mores, qui ſubdoli quoque & vafri exiſtunt. Vitii cauſa foras emigrante, maloque ad cutem progrediente, malæ craſſiores fiunt, & pro florido ac viuido colore, liuido rubore tinguntur, & tumores in facie extuberant. Plerunque enim in facie hæc lues erumpens, tanquam ignis de ſpecula procul conſpicuus effulget. Hinc humore multo perfuſa cutis ſenſim craſſior, durior, aſperior, decoloratiorque redditur, & crebras maculas, crebroſque tumores habet: & aliis quidem nigricat aut liueſcit, quibus melancholicus ſuccus, aliis flaueſcit, quibus bilis flaua, aliis albicat, quibus pituita ſalſa, vel in atram bilem degenerauit, vel atræ bili permiſta eſt, aliis ex rubro liueſcit,

quibus craſſus ſanguis vſtione nigreſcit, atque in atram bilem deprauatur: vnde quatuor elephantiæ differentiæ conſtitui poſſunt. Alia enim ſubrubicunda dicitur, quæ à ſanguine melancholico & limoſo profecta eſt, & mitior eſſe ſolet. Alia alba à melancholico humore pituitæ ſalſæ admiſto, vel potius à pituita ſalſa nitroſa & acri, & hac minus deturpari ac dehoneſtari ægri ſolent.

Alia nigra ex vera atra bile, quæ omnium peſſima & fœdiſſima exiſtit: In hac enim corpus vniuerſum tandem vlceribus ſcatet, & extrema putredine conſumpta plerunque nullo ſenſu decidunt. Alia ſubflaua, quæ à bile flaua præaſſata, & in atrā degenerante fit. Hæc per initia quidem mitis, tandem feruida & peſſima euadit. Primum autem in facie, aut in manibus, aut in pedibus elephantiæ ſigna comparent, natura quoad licet vitia, longiſſime à corde, & hepate propellente in corporis extrema, minime tamen expurgante, ob humoris craſſitiem & cutis denſitatem: deinde vero & in reliquo corpore pullulant. Eadem de cauſa in extremis corporis partibus ſenſus paulatim hebeſcēs, tandem plane torpeſcit, ineſtq; frigus perpetuum, maxime vero in pedibus, & tibiis calore in præcordiis coercito, vbi noxiæ materiæ ſcaturigo & focus latitat. Motus vero ſemper per initia integer, in quibuſdam etiam ad obitum vſque ſeruatur: in aliis tandem deprauatur vel prorſus aboletur: maxime vero in pedibus & tibiis. At frigoris & ſtuporis ſenſus toto morbi decurſu fatigat, ſed magis eo ingraueſcente. Tum temporis deprauatæ in omnibus partibus concoctiones & aſſimilationes fiunt, qua ratione tubercula plurima verrucarum inſtar,

alia

alii iuxta alia ſuccreſcunt, & tumores alii iuxta alios exurgunt, melancholici humoris exuperantiâ natura foras extrudente, quæ in cute concreſcit. Primum quidem, vt ſupra poſitum eſt, in fronte & reliqua facie, quoniam exhalatio omnis ſurſum facillime fertur, præſertim ad faciem, in qua venulæ multæ obliterantur. Deinde etiam in manibus & reliquo corpore. Pedes, ſuræ, manus, & facies, elephanticis facile intumeſcunt, interdum quoq; & reliquum corpus, quod intolerabilis grauitatis ſenſu ſemper premitur & torpeſcit. Labra ſenſim adeo craſſeſcunt ac prominent, vt inuertantur, eorum parte inferiore liueſcente. Nares reſimæ euadunt, & extrinſecus atris tuberculis ſcabræ: intus vero alarum craſſitie obſtruuntur, & rimis diſcerptæ, atque fere intus vlceratæ cruſtulas nigras atque cruentas excutiunt. Quibus ex cauſis olfactus fere concidit. Venæ temporum diſtentæ ſunt, & quæ ſub lingua conſpicuæ apparent, liuido, nigro, & fæculento ſanguine turgent. Lingua vero ipſa grandinoſis varis extuberat, velut & palatum verrucoſis tuberculis. Aures extenuantur rubentque admixto nigrore, vlcera in earum baſi ſunt, è quibus ſanies defluit, ac pruriunt, aut obſtructæ ſunt & elephanticæ, vt ſolito grandiores eſſe videantur. Oculi caliginoſi, in orbem coguntur, alio atque alio colore notantur, plerunque tamen candidum ex rubro flaueſcit, miraque craſſitie quaſi vngue obtegitur. Supercilia pilis nudantur, prominent, craſſa, prædura, ac fere calloſa euadunt, deorſum verſus pondere vergunt. Color liuidus aut ater eſt. Epiſcenium vehementer cõtrahitur, dum tandem oculos contegat, vt iraſcentibus leonibus accidit,

Digitized by Google

vnde & leonina hæc affectio forte vocitata eſt. Pili in toto corpore præmoriuntur, dein ſenſim defluunt: ſed primũ ſupercilia, & palpebræ, & mentum & pubes glabreſcunt. Deinde rara in capite euadit cæſaries, intempeſtiui cani, & caluitiũ ſubito ingruunt. Horrenda denique euadit partium omnium deformitas. Nam ſi qui pauci pili remanẽt, hi magis dedecent, quam qui defluxerunt. Totus corporis habitus ſic commutatur, vt multi alarum inſtar, prominentes ſcapulas habeant, & mutato faciei colore, caracteri & mole auribus retortis ſatyros referant. Pedũ plantæ & calcanea rimis profundis & aſperis interſecta ſunt, manuum pedumque digiti ſiccitate dehiſcunt, vngueſque finduntur ac dilacerantur. Totius corporis cutis exareſcit, atque fœda eaque ſicca ſcabie exaſperatur: ſæpius cum pruritu, nonnunquam ſine hoc. Malo ingraueſcente, alimento quidem priuatur corpus, ipſaque muſculorum caro abſumitur, ſenſimq; liqueſcit, ſed craſſeſcens tamẽ cutis rugis aſperis magis ac magis exaratur. Ad hæc quæ primũ ſtupida cutis erat, ſenſu omnino deſtituitur, manente motu, vt ne infixa quidem acicula dolorem moueat, neque aſperſa feruens aqua exurat. Obſeruaui tamen in quibuſdam pedum motum cum ſenſu periiſſe, & in quodam alterius brachii: qui tamen reſtituti ſunt. In omnibus ſpontaneæ inſunt laſſitudines, & ſingula membra quantumuis exigua, inuſitata & intolerabili grauitate premuntur. Quinetiam corpus omnia grauatim fert, non illuuie delectatur, non cibo, non ieiunio, non motu, non quiete. Ab omnibus enim morbus alienus eſt. Somnus exiguus & breuis eſt: vigilia peior, mala ſua cogitans,

tans, vox raucescit, craſſefacta, exaſperataq; grandinoſis varis arteria & gutture. Neque enim, vt recte ſcripſit Areteus, inopinabile eſt omne corpus talibus ſcatere tuberculis, quandoquidem & ſuillæ carnes, elephanticæ grandinis plenæ ſunt. Spiratio difficilior multo quam dudum euadit, & nõnulli circa ſomnum ſic afficiuntur, vt præfocari, ſtrangulariq; videantur. Spiritus totiuſq; corporis exhalatio fœtore moleſta eſt. Pulſus exiguus, imbecillus, creber, tardus. Tumores malarum, menti, digitorum, aliarumq; partium, in ſordida & virulenta, eaq; fœda vlcera degenerant, grauiſque putredo omnia contaminat, dum aliis naſus, aliis manuum aut pedum digiti: nonnullis etiam pedes ac totæ manus de corpore excidant. Neq; enim elephantia prius perimit à turpi vita, ſæuiſq; cruciatibus liberans, quam membratim dilaceratus homo ſit, ſed longæua eſt, quemadmodum & elephas animal. Aliter atq; aliter in hiſce habet appetentia, non obtuſa, ſed guſtatus atq; qualitatis expers eſt, nullaque edendi aut bibendi delectatio. Anguſto puſilloq; animo fiunt, neq; præ vitæ amore vitam relinquere & contemnere poſſunt, neq; calamitatem generoſo altoq; animo perferre, verum ſeipſos condemnantes ſeſe occultant, & hominum notorum conſortia, conſpectuſq; fugiunt. Non tamen omnia in omnibus, ſed alia in aliis ſymptomata deprehenduntur, vt eſt peculiaris cuiuſque corporis natura, vitæ lex, & graſſantis veneni pernicies. Et quo grauiora inſunt, eo ſæuior elephas iudicandus eſt. De elephantiæ ſignis plus ſatis, nam quæ ex vrinis ac ſanguine petuntur, incerta ſunt omnia atque fallacia.

PROGNOSIS. CAP. IV.

QVVM morbis quo diſſoluantur, vel paria, vel maiora eſſe remedia oporteat (quod enim ſuper infirmiuſque morbo eſt, hunc quidem minuere, eaque ratione iuuare, ſed nec prorſus tollere, nec profligare poteſt) nemini mirum videri debet, ſi nulla remedia à veteribus excogitari potuerunt, quæ elephantem ingens malum expugnare, ac funditus excindere queant. Neque enim in parte vna, aut viſcere vno inhæreſcit, neque aut intus duntaxat labes occultitur, aut extra tãtum prorumpit, neque humores ſolum, molleſque corporis partes leuiter afficit, ſed & in penetralibus totum hominem occupat, & extrinſecus totum amplectitur, in ſolidas quaſque partes, atque in oſſa ipſa ita ſeſe inſinuans ac penetrans, vt propriam illarum ſubſtantiam prorſus immutet. Triſte profecto & viſu terribile ſpectaculum. Quod vbi ad ſummum malignitatis ſuæ faſtigium conſcendit, tum ſtabilem ac firmam in ipſis viſceribus & ſolidis partibus ſedem collocat, vt omnino dimoueri, diuellique non poſſit. Hic igitur perniciem differre non auferre, vitam in longius tempus protrahere, & morbi fœditatem emendare, non funditus eius cauſam excindere licet.

At ſi ad nouam & adhuc orientem elephantiaſim curandam, idonea victus ratio, & medicamenta quæ mox referam, conferantur, ſalutis ſpes tandem affulgebit, præſertim ſi ex improba victus ratione, vel ex alterius inquinati contagione, non ex parentum ſemine malum originem habet. Nam quum ex elephantico ſemine vitium contractum

eſt, etiamſi adhuc oriatur, de ægri tamen ſalute ſpes omnis abiicienda, noſtris tamē remediis morbus coerceri reprimique poteſt. Sunt autem ex iis, qui vitium ex praua victus ratione, vel inquinati alterius contagione, non ita pridem contraxerunt, curatu faciliores, quibus à bile flaua, aut à pituita ſalſa, aut à craſſo ſanguine ſuperaſſatis, proxima mali cauſa orta eſt. Quæ à bile originem trahit, ſæuioribus quidem ſymptomatis vrget, & neglecta citius perimit, quam quæ à melancholico ſucco in atram bilem conuerſo proficiſcitur: ideoque maiorem curandi rationem poſtulat, ſed facilius remediis cedit & obſequitur. Quibus teſtes vel natura deſunt, vel executi ſunt, ii vix vnquam elephātia tentantur, ſi Archigeni credamus. Sed nec iam prehenſis aliunde præſentius remedium, quam ex teſtium excíſione affulget. Quotquot enim executi ſunt, tanti mali diſcrimen effugiunt, ſi modo temperatam eamque frigidam & humidam victus rationem in poſterum tenuerint: hancque veterum complures, vt omnium tutiſſimam curandi rationem ſequutos eſſe comperio. Legibus cautum eſt ne cum ſanis verſentur elephantici: nec iniuria, mea quidem ſententia. Licet enim ex iis, qui elephantia laborantibus perpetuo aſſiderent, neminem hactenus ſola inſpiratione eodem vitio contaminatum videre potuerim: obſeruaui tamen halitus graueolentia, vlcerum fœtore, & tetra totius corporis expiratione illorum bonam conſtitutionem tandem labefactari.

Quanquam igitur elephantiæ perinde atq; luis venereæ virus humore quodam non ſpiritu, pro vehiculo vtitur, ſine quo vix conſiſtere, aut in alios

commigrare, & parem affectum parere queat: ideoque vel concubitu, vel accubitu, vel oſculo, vel alio impuro attrectatu opus eſt, vt contagionis ſeminaria celeriter in alios commigrent: quoniam tamen inſpiratione ſic aerem inficiunt elephantici, vt aſſidentibus omnibus grauis & morbidus ſit, recte eos à reliquorum ſocietate leges ſeiunxerunt.

CVRATIO. CAP. V.

QVI elephantiam curare aggreditur, humores præter naturam in corpore collectos primum educere debet, deinde contractam intemperiem & terrenam ſiccitatem veneni participem emendare. Quæ dum fiunt & in corpore iam genita tubera ferro excindenda, aut cauſtico medicamento exedenda, & vlcera illinc relicta, vel ſponte nata, tergenda, implenda, atque cicatrice obducenda, & alia ſymptomata corrigenda ſunt.

Remedia ergo in genere ſunto, initio quidem, incremento, & quandiu humor efferueſcit, refrigerans & humectans vitæ lex: vbi vero deferbuerit, & calor elangueſcere cœperit, temperata, vel paulo calidior. Purgatio frequens, venæ ſectio ex interuallis repetita. Balneum aquæ dulcis, litus ex hydrargyro, aut certe catapotia ex eo ipſo & auro, alia alexipharmaca varia. Cornua ſeu cucurbitæ. Cauſtica & cutem detergentia, atque faciem illuſtrantia: quorum omnium vſum particulatim expediam à victus ratione orſos.

Incipiente morbo victus ratio imperanda, quæ refrigerandi & humectandi facultatem habeat. Calida enim & ſicca eſt morbi cauſa, quæ per contraria

Digitized by Google

traria profligari poſtulat: plus tamen aut minus, pro humoris morbum committentis, & corporum differentia. Conueniēt igitur frequentes ſorbitiones ex pullis gallinaceis, & vitulina carne, quibus ſub finem coctionis, acida & refrigerantia olera adiiciantur, oxalis, atriplex, portulaca, viola, bugloſſum, borrago, lactuca, ſcariola, plantago, vua acerba, oxyacantha, aliaque eiuſdem claſſis, quæ atræ bilis calorem & ſiccitatem temperāt, malignitatemque infrænant. Ebur, & cornu ceruinum ſiccitate quidem aliquantum obeſſe videri poſſunt, ſed veneni perniciem oppugnāt & infringunt: maxime vero ceruinum cornu, ideoque & ſorbitionibus incoquitur, & cibis vtiliter permiſcetur, qui illius ſiccitatem corrigant. Carnes boni ſucci & coctu faciles, elixæ optimæ ſunt, ſi ſuprapoſitis herbis condiantur. Conceduntur & aſſæ, ſi cum omphacio aut alio condimento acidulo earum feruor retundatur. In id primas tenent mali punici, aut citrii, vel medici ſucci. Sequitur oxalidis ſuccus, omphacium & acetum: quibus aqua roſ. aliquando commode adiicitur. Item oua ſorbilia & piſces euchymi. Cremor hordei amygdalino lacte exceptus, & cum ſaccharo roſaceo coctus, omne alimenti genus anteit profecto, ſeu bonitas ſucci, ſeu coctionis facilitas, ſeu calidæ & ſiccæ, vſtæque bilis contemperatio quæritur. De lacte aſinino eadem fere ſententia eſt. Vacuationibus igitur neceſſariis præparato corpore, inuicem modo hordeatum, modo lac aſininum, pro ientaculo ſit, præſertim per æſtatis ardores, & in elephāte quem atra bilis à flaua genita procreauit, aut certe alternis menſibus vſurpentur. Quinetiam qui ex hor-

Digitized by Google

deo panis conficitur, vtilis eſt, terget, refrigerat, aluum liberam efficit, & alimentum corpori præſtat non contemnendum.

Vitentur ſalſamenta omnia, & aromatis condita, aliaque omnia potulenta & eſculenta, quæ bile feruentem ſanguinem procreant, veluti cepe, allium, porrum, ſinapi: deinde bubulæ, ceruinæ, aſininæ, ſuillæ, leporinæ carnes, caſeus vetus, aliique cibi omnes, qui terrenum ac melancholicum ſuccum progignunt. Item legumina omnia, & quæ difficile coquuntur, & flatus, quibus elephantici maxime premuntur, proferũt. Niſi forte per morbi initia quum feruidus calor omnia exurit. Tum enim & mala carpendula cruda, & pira chriſtiana cum ſaccharo eſſe licet, & lactucam ac portulacam in acetariis, vt tantum feruorem reſtinguant, maxime vero melones & reliquos fructus horarios eiuſdem generis vel ceraſa acida. Capparum vſum etiam veteres in acetariis concedunt.

Potus eſto non merum, quod inualeſcentem partium ſiccitatem foueat, & humores exurat, non cereuiſia, quæ craſſi ſucci copiam aggerat; non aliud denique potulenti genus, quod ferocientem elephantiæ cauſam exaſperet: ſed vel pomaceum limpidum, pellucidum, optime defæcatum, nec acidum, nec prædulce, pari etiam aquæ portione dilutum, vel hordei & paſſarum decoctum, vel vulgaris ptiſana. Quod ſequitur decoctum humorum feruorem reſtinguere, & malignitatem occulta proprietate reprimere atque obtundere poteſt. Ideoque in hac curatione omnibus aliis antecellit, quandiu inſiti caloris vires frigida nullo negotio vincere, ac concoquere poſſunt. His enim

nim langueſcentibus decocto frigida detrahere præſtat.

℞ Saniculæ buglæ, plantaginis, pimpinell. calendul. vlmariæ, ſingul. p. j. ſcobis eburneæ, cornu ceruini, vtriuſque ʒ j. paſſarum purgat. glycyrrhizæ raſæ, vtriuſque ℥ ij. hordei p. j. Coquito in aquæ ℔. viij. dum duæ deceſſerint. Decoctum percolatum, & ſyrupo violato conditum vſui reponito. Eaſdem vires habet quod ſequitur.

Cichorii radicis tres quatuorve vnciæ, cum paſſarum pari pondere, aquæ ℔. viij. coquuntur, dum ſex ſolum ſuperſint. Tum glycyrrhizæ purgatæ tuſæ ſeſcuncia, hordei pugillus, ſcobis eburneæ, cornu ceruini & ſem. fœniculi, ſingul. ʒ j. adiicitur. Ferueant omnia ruſum dum libra vna abſumpta fuerit: dein olla ab igne ſemota perfrigeratum decoctum colo traiiciatur, quod per ſe vel cum ſyrupi violacei momēto in vicem vini vſurpetur. Plantago & lactuca recte inſeritur tum ſorbitionibus, tum decocto modo deſcripto, dum feruet humor & exuritur. At inclinante ac fatiſcente natura frigida omnia marceſcentem inſitum calorem conuellunt, & flatus gignunt, ſæpe etiam febrem mouent. Pimpinella quod venenatæ perniciei obluctetur, neque frigore aut calore obſit, omni morbi tempore tuto vſurpatur, velut & borrago, ſanicula, calendula, & bugla, quod putredini aduerſentur. Hordei ſolius decoctum (aqua hordei vulgo appellatur) & palato non ingratum, & retundendo incipienti morbo aptiſſimum exiſtit. Commode in eo mali punici acidi, aut ſubdulcis granula imponuntur, & in vicem ſacchari glycyrrhiza ac vuæ paſſæ.

Benefaciet & potus diuinus, qui pro aquæ coctæ, vel decocti hordei libris ſingulis ſucci mali citrii vnciam, & ſacchari vnam habeat vnciam cum cinnamomi pauxillo: ſed tandem ventriculo officit. Si forte ingrata hæc diſplicebunt omnia: aqua ſimplex optima vſurpetur, quæ tamen affecta ætate & remiſſiore calore noxia putanda eſt, cuius loco aqua ſaccharo & modico cinnamomo condita conceditur. Inedia quum biliofas materias imprimis commoueat & accendat, atque graſſantem clanculum partium ſiccitatem promoueat, iure inter res huic morbo infeſtiſſimas habeatur. Inualeſcente putredine ac calore fatiſcente potus deligendus, qui ſpiritus inſtauret, vires foueat, ſerpentem putredinem arceat, & vitam in quam longiſſimum fieri poterit, tempus proferat: cuiuſmodi eſt qui ſic habet.

Capus & fruſtum vituli aquæ libris decem coquitur, dum ſex ſuperſint: ſub finem adduntur veronicæ vtriuſque, bugloſſ. borrag. aſclepiad. pimpinell. calendul. ſaniculæ ſymphyti maioris & minoris, plantag. ſcariolæ ſingulorum M. j. rad. pentaphyll. vetonicæ coronariæ, ſem. cardui, ſcobis eburneæ, & cornu cerui, ſingulorum ℥ ß. Colatum ius in vitream ollam inditur, vt in duplici vaſe aqua proliciatur, quæ ſaccharo & ſantal. citrini momento condita vſui apta ſit. Cibus igitur ſit paulo plenior, ſed euchymus & coctu facilis, iſque bis die potius quam ſemel ſumatur. Noua enim eſca continenter corpori applicata ſpatio temporis antiquam vacuationibus iam minorem factam, obſcurat atque infringit.

DE

De exercitatione, frictione, geſtatione, ira, venere, & aliis multis. Cap. VI.

VEhemens omnis exercitatio, quæ ſudorem elicit imprimis noxia eſt, vt & duræ corporis frictiones, & quæcunq; vel corpus exiccant, vel humores inflammant & torrefaciunt. Adde & fomenta omnia ſicca, & natationes in mari aut ſulphureis & aluminoſis aquis. Dein & vnctiones omnes ſiccandi facultate præditas, & vinum abſynthites (quod tamen à vomitione aliquando, & vbi cruditas vrget tuto dari poteſt.) Hæc enim omnia aliaque eius generis inualeſcentem partium ſolidarum ſiccitatem diuturno aut frequenti vſu fouent, & mortem accelerant: quemadmodum & ira, & mœror, & reliqua omnia animi pathemata, quæ humores exurere, & calorem inſitum labefactare, atque atterere poſſunt. Somnus diurnus elephanticis pernicioſus eſt, nocturnus autem aptiſſimus, poſt iuſtum à cœna interuallum. Deambulatio lenta commoda, velut & frictio lenis, ſubductis alui fæcibus redditaque vrina. Hæc quidem refrigerans & humectans victus ratio, quandiu feruet humor, vigetque calor inſitus, alieno tamen æſtuante tenenda: maxime vero in eo elephante, qui ab atra bile quam flaua procreauit, profectus eſt. Nam quum ita iam exuſta ac retorrida ſunt omnia, vt cinis duntaxat ſuperſit frigidior, in calore & frigore temperata alimenta neceſſaria ſunt, alioqui labaſcente calore inſito ac pene iam extincto, quæ ab eo fiunt concoctiones fruſtrantur, aggeruntur que flatus & cruditates,

quæ corpus mire laceſſunt. Qui eo miſeriæ iam præcipites acti ſunt, ſumpto potulento aut eſculento refrigerante, febre tentari ſolent, donec nata inde cruditas euicta ſit: qui tamen morbi initio calidis tum alimentis,tum medicamentis valde offendi viderentur. Itaque pro morbi progreſſione, ætatis & temperamenti differentia, aliaq; medendi opportunitate prudenter immutanda victus ratio. Hoc tamen ſciri velim, calidiore & ſicciore victu, quam humidiore & frigidiore grauiorem noxam ab elephanticis contrahi. Inclinante ergo natura, vini ſed diluti vſus concedendus, alimenta temperata euchyma ac concoctu facillima deligenda, imperandaque ſunt, quæ à languidiore calore nullo negotio confici, concoquique poſſint. Fugienda etiam acida omnia, niſi ſaccharo aut cinnamomo condiantur. In iis nulla tentari debet curatio, quæ morbi cauſam excindat. Illic enim ſymptomatum impetum retundere, ac perniciem differre,non morbum radicitus euellere licet. Idonea victus ratione præſcripta, in humorum qui naturæ moleſti ſunt & graues, præparationem & vacuationem incumbere oportebit. Sed quoniam tres omnino ſunt corporis regiones, è quibus excrementa arte educuntur,priuſquam craſſus & fæculentus ſanguis, venis maioribus coercitus agitetur, quæ in prima corporis regione coaceruata ſunt, eluenda, expurgandaque, primum quidem clyſtere, deinde carthartico blandiore: cuiuſmodi ſunt caſſiæ atramentum, rhabarbarum, & ſenna, & quæ ex iis fiunt compoſitiones catharticæ. Si quis tamen vbi plenitudo ineſt, ante vſum cathar-ticorum ſanguinem mittat,nullam grauem noxam accer-

Digitized by Google

acceſſuerit. Auicennas Græcorum imitatione venæ ſectionem quum ex vſu eſt, purgationi præmittit, nec ante octauum ab ea diem purgare aggreditur. Purgat autem per hieram diacolocynthidos, vel per apozemata, aut catapotia, quæ helleborum, ſcammonium, lapidem cyaneum, pulpam colocynthidos, & aloen habeant, à quibus in huiuſce morbi initiis, ob cruditatem, lentorē & craſſitiem humoris abſtinendum cenſemus, ne magna ſequatur perturbatio. Ille ſatis eſſe putat, ſi ſemel aut bis quoque anno validis hiſce pharmacis purgentur elephantici: nos mitioribus ſæpius repetitis, ſenſim cacochymiæ ſentinam melius, tutiuſque exhauriri didicimus: illorum tamen vſum turgente materia haudquaquam repudiamus.

Archigenes primas purgationes molitur colocynthidis pulpa in catapotia redacta, qua tamen ſeroſos humores, qui atræ bili, veluti frænum aliquod iniiciunt, & pituitam potius detrahi comperimus melancholia retorrida intus reſtitante. Itaque primo curationis huius die, aluus clyſtere proluenda, poſtridie vero, purgans medicamentum, quod nulla perturbatione ventriculum primas venas & inteſtina ſordibus exoneret, propinandum: tertio die vena incidenda in cubito dextro conſpicua: poſtero die ſecanda, & interna ſiniſtra ſi vires valent: ſin minus, bidui interiectio iis recreandis aptior fuerit. Detrahendi autem ſanguinis modum, vires & vaſorum plenitudo præſcribent. Oportebit & in malleolis, poſt aliquot dies venas tundere, deinde & in fronte. Vt ſemel dicam, ſæpe & multum, & variis ex locis in hoc affectu ſanguinem mittere operæpretium eſt. Reuiuiſcit nam-

Digitized by Google

que elephanticorum calor detracto putri & feruente ſanguine, hacque quaſi ſarcina leuatum corpus multo alacrius euadit. Exigua quippe ſanguinis pars, in elephanticis optima eſt, quæ naturæ in alimentum cedat, reliqua vero plurima. Hanc repetita euacuatione detrahere, illam familiari ac bono alimento adaugere oportebit. Habendus tamen modus in euacuando, dandaque erunt interualla, quæ recreandis viribus ſatis ſint, & quo magis progrediente morbo vires imminuuntur, eo minus ſanguinis detrahendum. Interea dum ſanguinis detractiones fiunt, ſi durior aluus diutius ſubſtiterit, alternis diebus ſoluenda, aut etiam ducenda, vel caſſiæ atramento, vel iuſculo purgatorio, vel clyſtere, aut viciſſim modo hoc, modo illo. Sanguine quantum opus erit detracto, duo ſcopi ſuperſunt, ad quos medici conſilium omne, curaque dirigatur, purgatio & commutatio. Purgatio quidem eius quod ſic vitium fecerit, vt priſtinam integritatem recipere non poſſit. Commutatio vero, cum humorum, tum partium noſtri corporis ſic venenata labe inquinatarum, vt tamen in priſtinam bonitatem reuocari, reducique poſſint. Arte igitur ſenſim educenda quæcunque à naturali ſtatu ita receſſerunt, vt nullis remediis reſtitui queant. At vero immutandum quicquid emendari atque corrigi poſſe videbitur. Educetur autem ſecta vena, catharſi, cucurbitis, cornubus, balneis, vnguentis, & emplaſtris digerentibus aut ſuppurantibus. Venæ ſectio noxium quidem humorem demit & vacuat, ſed vna cum eo vtiles ſpiritus & humores puros in ſanis detrahit, eaque ratione vires diſſoluit, & natiui caloris robur atterit: at in ele-

elephanticis, vbi fere totus ſanguis venenatam putredinem concepit, ſi interuallis repetatur, nihil nocuerit quandiu vires valebunt. Purgans tamen medicamentum id duntaxat detrahit, quod naturæ prorſus ineptum atque inutile eſt, relicto vtili alendo corpori idoneo, quod immutantib. emendetur, ſi quod ſubſtantiæ aut qualitatis exiguum vitium contraxerit. Qui circum viſcera & in venis maioribus redundat craſſus ac fœculentus humor, (eiuſmodi eſſe ſolet, qui huiuſce morbi materia cenſetur) nec per ſudores euacuari, nec cæca tranſpiratione digeri, nec vomitione facile ac tuto excludi, ſed ſola alui purgatione & venæ ſectione detrahi poteſt. Porro horum remediorum vſus multiplex ac varius exiſtit, nam modo purgantibus & immutantibus confuſis atque permiſtis, eodem die purgatio & commutatio adhibentur, modo viciſſim purgatio & immutatio tentatur. Noxios igitur humores eodem die præparare ac purgare poſſunt ſyrupi & apozemata, quæ præter ſennam, agaricum & elleborum, radices, herbas, ſemina, ac flores habeant, quibus attenuandi, incidendi, aperiendi, humectandi, refrigerandi, putredinem inhibendi, atque atræ bilis perniciem edomandi, infringendique facultas inſit. Sed his alternis duntaxat diluculis, aut quarto quoque die locus erit, ne quotidiano vſu ventriculo ac viſceribus (quorum robur ad morbi lõgitudinem tueri operæpretium eſt) vlla vis & noxa inferatur. Diebus vero interiectis, præparantibus & immutantibus pugnabimus. Immutant autem quod emendari poteſt, & præparant quod purgatione excludi poſtulat, cardiaca refrigerantia, humectantia, bilem vtramq;

& craſſam pituitam attenuantia, incidentia, & vias purgationis aperientia medicamenta, zulapii, apozematis, ſyrupi, ſorbitionis, opiatæ, tabellæ, pulueriſve forma: quorum materia medico exercitato notiſſima eſt. Adde & vnguenta, & balnea, & alia quæcunque in id vſus comprobauit. Veteres ellebori nigri obolos tres cum ſcrupulo ſcammonii in ſero lactis aſinini diſſoluebant, ac frequenter præbebant elephanticis. Purgato dein ſæpius corpore vomitiones proritabant, primum quidem à cibo, deinde etiam ieiunis, idque interdum per raphanos, interdum per album veratrum. Sed effrænis nimis & periculoſa, ac nihilominus parum efficax iſthæc medendi ratio deprehenſa eſt. Purgatio per elleborum ante balnearum vſum, & exquiſitam præparationem magna moleſtia minimum proficere comperi. Vomitio nec materiam craſſam circum viſcera, & in venis inhæreſcentem detrahere, nec genitam intemperiem emendare, nec malignam morbi perniciem infrænare poteſt: mucoſam duntaxat ventriculi pituitam & bilem multis cruciatibus euellit. Multo igitur ſit ſatius, ſi nigra & retorrida bilis caſſia, rhabarbar. & ſenna haud ſatis ſtrenue detrahi videatur, ellebori nigri momentum, apozematis, & ſyrupis purgantibus, quæ ſennam & rhabarb. habeant incoquere, hiſque ſemel aut bis in hebdomade aluum ducere. Eſt autem purgantium, & præparantium quę modo propoſui, vſus viciſſim repetendus, dum alimenti penuria morbus fatigetur, ipſæ vero corporis vires alacriores euadant. Nec negligenda etiam in cibis medicamentoſa purgatio, quibus diebus validiora cathartica non porriguntur. In prunorum damaſceno-

ſcenorum decocto colo transfuſo, aut in iure pingui ſennæ ſemuncia recte incoquitur, cum bugloſſo, borrag. oxalide, & hyſſopi ac thymi pauxillo. Excolatum dein decoctum horis duab. cibis præmittitur. Hæc dum fiunt, ſi vel tubercula, vel latæ quædam maculæ liuido rubore cutem deturpent, ſiue ſenſus in his iam perierit, ſiue integer adhuc & incolumis perſtiterit, primum fotu & vnguento emollienda, deinde diſciſſa cute cornua ſuctoria identidem adhibenda, quæ parti tenacius impactum, & hærentem ſanguinem exugant atque extrahant. Sic illa fronti, genis, ceruici, brachiis, manibus, aliiſque minutioribus partibus, commode infiguntur, oreque exugitur, quicquid in parte redundat humoris alieni. Cornua ſuctoria quum deſunt, nec cognitus eſt admouendi modus, cucurbitulæ ſufficiuntur, etiamſi multo imbecillius trahant. Poſt cornua altius rurſum diſcindenda tubera, & catheretico medicamẽto, aut etiam cauſtico exterenda, abſumendaque ſunt. Latæ maculæ ſcalpelli cuſpide diſciſſæ, mercurio ſublimato in populeo vnguento diſſoluto radicitus exeduntur. Idem ſed imbecillius ac minore moleſtia præſtat puluis mercurii, vel ſolus vel vnguento roſato exceptus, neque validioribus opus eſſe comperio ad omnes elephanticorum verrucoſas puſtulas, ſi quis prudenter vti nouerit. Maculæ emplaſtro è cantharidibus fermẽto & ſapone nigro facile abolentur. Hoc enim veſicas latas tenui ſero turgidas excitat, quibus ruptis effuſoque humore, mortua epidermis à vera & craſſiore cute diuulſa, facile nulloque negotio vel excidit, vel eximitur. Tumque ſi locus nimium extuberat catherecticum vnguen-

tum imponitur, quod illam reliquis adæquare poſſit. Quo quum ventum eſt, cicatrix inducitur. Si non extuberat, contractus ardor vnguento roſato demulcetur, dein cicatrix contrahitur. Iam vero quum primum iſtorum præſidiorum vſu toti corpori prouiſum fuerit: balneum tepidum ex remollientium decocto apparandum, in quo bis die elephanticus inſideat, mane quidem ante epulas horis duabus, & veſperi ante cœnam horis totidem. Hoc in biduum aſſeruari poteſt integrum, & ſemel in hebdomade inſtaurari, donec remittant, aut prorſus euaneſcant omnia luis huius ſymptomata. Ea cautione, vt neque in lecto poſt balnei egreſſum, neque in ipſo balneo ſudor cieatur, aut diffluat è corpore. Hic enim calidioris balnei nota eſt. Sit igitur iuſto tepore moderatum balneum, ne calidius morbi cauſam (quæ ſudoribus, præ nimia craſſitie tolli nequit) exaſperet.

Veſperi poſt balnei egreſſum corpore reſiccato, illitus ex hydrargyro adhibetur: & poſtridie balnei, catharticum propinatur, quod fuſum, liquefactumque humorem in aluum rapiat. Singulis ergo hebdomadibus balneum innouari debet ad biduum, & ſemel quoque die à balneo corpus vnguento ex argēto viuo in lecto perungi: dein ſumpto cibo euchymo & eupepto, ſomnus ſi accedat excipiendus nulla ſudoris profuſione. Non enim partium ſolidarum ſubſtantiam hydrargyri litu liquefacere, & in ſudores, aut mucoſum ſputum deprauare, ſed earum ſiccitatem humectantibus emendare ac corrigere, & refrigerando feruorem retundere conſilium eſt. Ideoque ſi bis inuncto corpore ſputatio aut dyſenteria imminere ſentia-

tur,

Digitized by Google

tur, ſemel duntaxat in hebdomade poſtea inungatur, & impendens ſputatio propinato cathartico coerceatur, ne corpus quod humefacere conſilium eſt, nimio exiccet opere. His quæ dixi remediis, tribus menſibus continuatis, tametſi morbus in totum nondum erit abactus, fatigatæ tamen naturæ duorum triumve menſium remiſſionem concedere operæpretium fuerit: ea lege vt interea octauo quoque die, & ſyrupo, aut alio cathartico, quicquid de quotidianis alimentis corrumpitur, detrahatur, & balneum ſingulis menſibus biduo ſaltem vſurpetur citra hydrargyrum. Interim aſinini, aut caprini, aut ſi ne hoc quidem ſuppetit, vaccini lactis quinque ſexve vnciæ quoque diluculo exorbendæ adiecto ſaccharo roſaceo, cuius vſu atræ bilis pernicies coerceatur. Recreata natura, ſi nondum prorſus deleta erunt elephantica ſymptomata ad principium ſuprapoſitæ curationis reflectere oportebit, omniaque ſuo ordine facere, velut ante poſitum eſt, præterquam quod multo religioſius ſanguis mittetur. Idque bis, ter, quaterve his, quæ dixi interuallis repetere operæpretium fuerit, ſi ex deſcriptis præſidiis profectus euidens quæritur. Maligna enim huius morbi natura, tenaciter adeo viſceribus, aliiſque partibus ſolidis inhæreſcit, vt in pleriſque niſi ſæpius repetito remediorum vſu, funditus non excindatur. Aliis igitur annus vnus ad curationem ſatis eſt, qui neque ex parentum ſemine vitium contraxerunt, neque diu tentati ſunt, aliis, quibus extrinſecus acceptum vitium iam diu inhæret, vix duo anni ſatisfaciunt: aliis, qui vel hæreditario hoc vitio, vel aſcititio, ſed inueterato tenentur, in totam vitam continuanda, quæ poſtea tradetur curatio.

Digitized by Google

Vna elephantia præ aliis longis morbis remediorum varietate ac viciſſitudine gaudet. Suntque in hoc affectu, ſi quo in alio, ab omnibus fere remediis induciæ quædam & intermiſſiones ſæpe ægro concedendæ, deinde & reſumptio, & ad priora reditio, & nouorum remediorum admotio adeo neceſſaria, vt eum vix vnquam conualiturum credam, qui in vnico remedio quamlibet generoſo ſpem ſalutis collocarit.

Alia curandi ratio ſuperiori affinis, ſed facilior.

Præparato qua dixi ratione corpore, neglecto litu ex hydrargyro, catapotia vſurpanda, quæ calidam & ſiccam viſcerum ac ſolidarum partium intemperiem emendare, omnium humorum ferociam & perniciem reprimere, obſtructiones viſcerum ſoluere, & earum cauſam ſenſim expurgare, atque idcirco elephantiam profligare ſolent. Cuiuſmodi ſunt, quæ ſic habent.

℞ Argenti viui ℥ ß. cum panis adhuc calentis medulla, manibus diu ſubige, vt in eam plumbaginem deponat, purgatum dein hydrargyrum ſucci limonum momento, & olei è myrrha arte chymica deprompti ℥ ß. exacte miſceto, adiecta terebinthinæ venetæ aqua roſ. elotæ ʒ j. tum adde auri puriſſimi, eodem artificio chymico in tenuiſſimum pollinem redacti, vel ſi deſit, foliorum auri ℥ j. ambaris ℈ j. pulueris electarii: diamargar. frigidi & electarii trium ſantalωn ſimplicis, vtriuſque ʒ ij. fingito maſſam, cui ſequentis magmatis ℥ j. ß. admiſce.

℞ Foliorum ſennæ electorum ℔. j. rhabarbari in fruſtula diſſecti ℥ iiij. rad. arefactæ ellebori nigri

gri noſtratis ℥ j. diem vnum œnoſtagmate macera, quod dein exime ac ſepone, atque aliud affunde, idque rurſus exactis duodecim horis expreſſum cum priore miſceto, & vitreo vaſe exceptum in diplomate exhalare curato, atq; relictum magma ad vſum ſeruato. Huius compoſitionis ʒ ß. dabitur quindecim alternis diluculis, tribus horis ante cibum: idque alternis menſibus, interiecto balneorum, & aliorum omnium præſidiorum deſcriptorum vſu.

FVCATA EORVM QVI NVLlo remedio in integrum reſtitui poſſunt, curatio. Cap. VII.

Recens orta elephantia, quæ gentilitio iure comparata non ſit, his remediis profligatur. At quæ vel hæreditario iure ſucceſſit, vel inueterata eſt, nullo vnquam remedio penitus excinditur. Hæreditaria quippe naturæ & ſeminis vitio, quod ars nulla emendare poteſt, committitur. Inueterata vero quoniam partium ſolidarum ſubſtãtiam in ſui naturam prorſus iam immutauit, nullo amplius remedio vincitur. Præſtat tamen in rebus anguſtis, arctiſque, vel etiam deploratis, aliquod experiri remedium, quam in certam deſperationem, ægrum præcipitem dare. Humanum enim eſt, & plenum beneuolentiæ ſignum, in ſummis etiam malis ad experimentum vſque progredi, vt difficilem affectum, ſi non omnino tollamus, certe leniamus & compeſcamus, ſic tamen ne vulgo dedecore afficiantur præſidia, quæ multis fuere ſaluti. Itaque in vtriſque tentetur modo tradita curatio, ſi caloris natiui robur ſupererit. Elephantiæ

hæreditariæ aut inueteratæ cauſam, ſi radicitus nō tollit, eam ſaltem infringit ac debilitat, perniciem ſi prorſus non aufert, illam certe differt, vitamque prorogat, plerumque in longiſſimum tempus, & morbi fœditatem obſcurat. Sed vt erit natiui caloris robur, & corporis natura, hydrargyri modus in vnguento, quod in egreſſu balnei aliquando adhibebitur, veniet decernendus, veluti & in catapotijs. In omnibus quidem naturis ac corporum generibus, idem remedium, ſed non eodem modo vſurpandum fuerit. Qui viribus valent, ac firmo corporis habitu præditi, neq; ætatis florem egreſſi ſunt, eis non raro multa & frequens hydrargyroſis, quæ ad ſputationes vſque progrederetur, ſed citra ſudorum profuſionem præſens auxilium, opemque attulit: qui vero ſenilem iam ætatem aſſequuti, viribuſque fracti, rheumatiſmis afflicti, oppreſſique ſunt, nihil aut parum adiumenti ab hydrargyro percipiunt: Quum enim frigidus & humidus ſit hydrargyrus, frigidum ſenum corpus calore natiuo qui ſupererat extincto, morti celeriter addicit. Incipiente igitur increſcente & vigente elephanticorum calore, non vanis titulis famigeratum ex viperis remedium, non theriaca, non ferrum, non ignis, non aliud denique vllum præſidiū hydrargyro ſecundum deprehendetur. Quod ne temere dictum videatur, meæ opinionis longo iam vſu & experientia confirmatæ, rationem paucis, vt mos eſt, expediam.

Elephantia admodum ſiccus & terrenus morbus eſt: argentum viuum ſummo humore præditum, quum partium tenuitate omnia permeet, indurata omnia mollit, laxat & humectat. Acris, exuſtus

exuſtus & malignus humor eſt, qui elephantem parit, argentum viuum tum frigore, tum alia occulta proprietate & efficientia, acrium omnium humorum feruorem retundere, & malignitatem, feritatemque infringere deprehenditur. Elephantia non externas tantum corporis partes attingit, ſed ſolidarum etiam ſubſtantiam labefactat. Argentum viuum maxima partium tenuitate præditum, non in extima cute hæret, ſed ad viſcerum, & ſolidarum partium ſubſtantiam vſque peruadit ac penetrat, omnia ex æquo fere ſuis viribus afficiens atque efficaciter immutans. Itaque prudenter, vt iam præmonui, corporum generibus, & natiui caloris robori, aptetur hydrargyri modus, & iuſtis cancellis circumſcribatur vtendi ratio. Hic enim graſſantem ſolidarum partium ſiccitatem remorari, atrabilarii humoris incendium reſtinguere, feritatem cohibere, & inualeſcentem putredinem arcere poteſt.

De venæ ſectione idem eſto iudicium. Neque enim in deploratis, quorum languent iam vires, fatiſcitque calor inſitus, tam ſæpe mittendus ſanguis fuerit, tamque copioſe, quam in recens contaminatis, qui & virium robore valent, & ſanguinis plenitudine tenentur. Mittendus tamen iuſto interuallo, quum putredo nimium in venis inualeſcens, perniciem accelerabit, vt ſublata putrentis ſanguinis ſarcina, reliquum langueſcens calor facilius concoquat.

Cætera omnia quæ elephanticis conuenire dixi remedia, vix vnquam vlla noxa, maximo fere profectu ſemper à prudenti & rerum vſu perito medico vſurpantur. Tenendus tamen vel in his modus,

quæ ſemper ſalutaria deprehenduntur, concedendaque naturæ interualla, & veluti quædam remediorum induciæ, feriæque, quo repetita illam poſtea magis velut noua afficiant atque immutent. Itaque non modo ſemel in hebdomade melanagogo medicamento aluum ducant, ſed etiam clyſteribus ſæpe illam ſoluant, atque etiam interdum ſorbitione purgante, quæ borraginis, bugloſſi, oxalidis, oxylapathiq; folia habeat, cum ſennæ ſemiuncia, & thymi atque hyſſopi pauxillo. Sæpe laxantibus atque emollientibus balneis inſideant. Sanguinem quoque menſe, aut ſi ætas iam valde inclinat, tertio aut quarto quoque menſe, aut ſaltem vere & autumno detrahant, plus minuſve, vt feret plenitudinis, putredinis, & virium ratio.

In loco habitent ſalubri, temperato, lucido, æſtate media, ſolis ardoribus minime expoſito, ſed ad ſeptentrionem aperto, nam hyeme meridianum ſolem habere præſtat, frigidis hiſce regionibus.

Cibis vtantur boni ſucci & facilis concoctionis, iiſque temperatis, ſi iam inclinat ætas ac reſtinctus eſt bilis atræ feruor: refrigerantibus vero & humectantibus, ſi nondum morbi calor deferbuit. Vino in omnem vitam abſtineant, aut certe ad ſexageſimum annum vſque, tumque eo quam dilutiſſimo vtantur. Calfacientia & ſiccantia alimenta, & medicamenta omnia declinent, nec ſe inedia conficiant, iracundiam cohibeant, mœrorem, metumque pellant, cupiditates, ſolicitudineſque omnes detrahant, & perturbationes, concitatoſque animi affectus coerceant, atque moderentur. Cardiaca quæ venenatæ labi obluctantur, frequenter vſur-

vſurpent, opiatæ, conditi, pulueris, electarii, aquæve ſtillatitiæ forma, idque mane, & ante epulas, vel ſub horam ſomni, interdum & cum epulis: quorum omnium compoſitiones poſtea trademus.

DEPLORATÆ ELEPHANTIÆ ſymptomata. Cap. VIII.

Qvi elephantico ſemine progeniti ſunt, non ſubito concidunt, ſed ſenſim inualeſcēte putredine corrumpuntur, membratim dilacerantur, tandemque intereunt. Hic varias humorum mutationes ac multiplices morbi & naturæ conflictus obſeruare licet. In his primum faciei cutis craſſeſcens viuidum colorem amittit, atque ex rubro liueſcere incipit, quod ſymptoma anteuertere, atque arcere expedit, alienæ materiæ, (quam è venis ac viſceribus natura ſeſe exonerans eo pepulit) vacuatione, balneis aquæ dulcis tepefactæ, in qua emollientes, laxantes, ac tergentes ſtirpes decoctæ fuerint, victu humectante & refrigerante, fotu emolliente & rarefaciente, vnguento molliente, rarefaciente & tergente, admotis cucurbitulis, aut cornu ſuctorio poſt ſcarificatum, vnguento ex hydrargyro, corpori poſt balnei egreſſum illito. Si malum nihilominus ſerpit, breui tubera erumpūt, primum quidem in facie, dein in tibiis, manibus, aliiſque partibus. Hæc ſcalpello diſciſſa cathaeretico medicamento radicitus exeduntur, deinde cicatrix inducitur. Progrediente tempore cutis quibuſdam faciei locis mire craſſeſcens, maxima deformitate in tumorem attollitur, cui color ineſt ex rubro nigreſcens ac pellucens. Hæc ſcalpello vul-

nerata feculentum ſanguinem fundit, qui etiam cucurbita, vel cornu ſuctorio, maiore vi elicitur. Emplaſtro dein cathæretico quicquid inæqualiter intumuit ac ſupercreuit, exeditur, atque adæquatur, cicatrix tandem contrahitur. Neque enim verendum, vel ſupercilia, vel frontem, vel genæ particulam ſic vulnerare, atque reliquis quæ non ita intumuerunt, æquare, quum relicta ex vlcere cicatrix, multo quam reliqua cutis venuſtior eſſe ſoleat. Vlcera quæ ſponte vel in tibiis, vel in aliis partibus naſcuntur, ſanguinis feculenti & corrupti eo decumbentis ſoboles ſunt. Ideoque purgato corpore à ſanguinis miſſione, curatio ineunda. Mittitur autem primum quidem inciſa vena, quæ fluxionis fontem exhauriat, dein quæ ab ipſa parte deriuet ac vacuet. Hinc pars incidenda ſatis altis plagis, vt multus ex ea ſanguis extillet, adhibendæque cucurbitulæ: poſtremo vlcus aliorum more curandum.

Commune eſt in omnibus vlceribus, quæ in hoc morbo ſponte emergunt, poſt vacuationes vniuerſales, & deriuationem, ex affecta parte, altis ſectionibus, partem ipſam cedendam eſſe, vt adhibito cornu ſuctorio, aut cucurbita, ſanguis ipſi impactus extrahatur, dein cathæretico medicamēto quicquid vel occaluit, vel ſupercreuit, vel nimis intumuit, vel aliud inemendabile vitium contraxit, abſumatur: poſtremo vlcus aliorum more & carne impleatur, & cicatrice obducatur quam elegantiſſima.

Morbo ingraueſcente ſæuiora ſymptomata emergunt. Primum igitur ſenſus in externis partibus hebeſcit, ineſtque frigus fere perpetuum. Quæ ſym-

ſymptomata etſi nullis auxiliis funditus tolluntur, leniri tamen ſolent, & periculum differri: primum quidem ea curatione quam ſupra retulimus: deinde topicis medicamentis, quæ frigidum & craſſum humorem parti inſertum digerere, craſſeſcentem cutim emollire, laxare ac leuigare, & inſitum ipſius partis calorem fouere atque erigere poſſint. Cuiuſmodi eſt oleum quod ſic habet.

Sigillum mariæ, radix bryoniæ, & altheæ, prunis vino albo & oleo ſenſim incoquuntur, dum vinum abſumptum ſit, oleum dein exprimitur, quo pedes tibiæ & manus, ſi ſtuporis & frigoris ſenſus inerit quoque veſpere inungentur. Benefaciet & fotus digerens, rarefaciens, & corroborans, ex malua, violaria, ſem. lini, rad. altheæ, origano, ſampſucho, ſaluia, anagallide, roſ. rub. omnibus ſacculo concluſis, & aqua ac vino albo incoctis.

Quum iam eo miſeriæ ventum eſt, vt putredo hominem membratim dilaceret, infœlix ſed vnicum ſolatium ſupereſt, quicquid ſic vitiatum eſt, vel medicamentis exedere, vel ferro reſcindere, vel vrere. Exſcinduntur, vel viciſſim exuruntur minutulæ partes, quas putredo cadaueroſa tabefecit, & vlcera illinc relicta aliorum more curantur: in corporis trunco cathereticis potius locus eſt.

Oculorum membranæ ſenſim craſſeſcentes, viſus obſcuritatem inducunt: remedium eſt, fotus emolliens, rarefaciens & diſcutiens. Collyrium tergens, attenuans & ſiccans, aquæ pulueris ſyrupi vnguentive ſpecie. Fotus fiet ex malua, violaria, euphraſia, fœniculo, ſemine lini, ſacculo concluſis, & aqua ac vino albo decoctis. Collyrium eius qui ægrotabit naturæ & vitii magnitudini aptum com-

parabitur ex myrrha & ærugine, oui albumine coctione indurato, concluſis, & loco humido reconditis, dum aqua viridis extillauerit: cui ſyrupus de abſynthio aquæ ſtillatitiæ euphraſiæ, fœniculi & plantaginis, ea temperatione miſcebuntur, vt citra vehementiorem dolorem efficaciter attenuet craſſeſcentes membranas, & ſordes omnes abſtergat. Acriori remedio opus eſt quum membranulæ ex maiore oculi angulo enatæ pupillæ obtenduntur, aciemque perſtringunt, qualia ſunt quæ ad pterygium traduntur. Buffo viuus olla fictili exceptus exuritur: tenuiſſimus puluis in oculum afflatus, pterygium concoquit, & in pus deducit. Sed quum adhibetur refrigerans remedium, extrinſecus oculo ſuperponendum, ne eius acrimonia, dolorem & inflammationem pariat.

Malo inualeſcente, ſic elangueſcit inſitus calor, vt in omnibus corporis partibus fruſtrentur concoctiones, multaque ſeroſa excrementa colligantur, maxime vero in capite, quæ ſæpe in thoracem tanto impetu decumbunt, vt aſthma ſuffocationis periculo horrendum, ſæpe etiam febrem accerſant. Interdum in oculos irruunt, & diſruptis eorum membranis, repentinam cæcitatem inducunt, aut inter eas intercepta, implacabiles dolores ciēt, ac prorſus obcæcant, oculis protuberantibus, ac pene exertis. Præſentaneum auxilium affert ſanguis celeriter miſſus, phlegmagogum atque hydragogum confeſtim datum atq; repetitum, dein concoquentia & tenuis victus ratio.

Quum nares præ alarum craſſitie, ac cruſtulis, quæ illic adnaſcuntur, obſtruuntur, primum cruſtulas excutiet molliens, tergenſq; decoctum, dein ſicci-

ſiccitatem leniet, & cruſtas denuo adnaſci prohibebit butyrum ſalis expers, aut certe oleũ amygdal. dul. recens expreſſum rudicula & linteolo, vel calamo intromiſſum illitumq;.

Concubitum elephantici maximopere concupiſcunt, nec eo interdici debent, quum & corpus refrigeret, & mœrentem illorum animum demulceat. Quoniam tamen nimis frequens vires ſoluit, pro ratione ætatis & naturæ ægrotantis in eo modus adhibendus.

Qui deſcriptorum remediorum efficacia integram valetudinem recuperauerit, ne recollectis in corpore noxiis excrementis, mali radix tandem aliquando reuireſcat, omni opera prohibeat. Itaque cibis euchymis vti conueniet, vel temperatis, vel paulo frigidioribus & humidioribus, vino omnino ſibi interdicere, vel eo quam dilutiſſimo vti, calidis & ſiccantibus alimentis omnibus vitatis, ſalſis quoque & aromaticis omnibus, porris, cepis, alliis, ſinapi, & reliquis omnibus, à quibus abſtinendum eſſe in ſuperiori curatione præcepimus. Loca incolant æſtate quidem frigida & humida, hyeme vero paulo ſicciora & calidiora. Ad hæc aliis atque aliis medicamentis melanagogis, aluus interuallis ducenda. Habenda ſæpe & medicamentoſa in cibo ratio.

Vere ineunte & autumno vena ſecanda eſt, aut etiam ſæpius, ſi quando vlla plenitudine corpus tenebitur. Sæpe & cardiaca, quæ venenatæ morbi malignitati reſiſtant & obluctentur, vſurpanda venient, opiatæ, conditi, pulueris, electarii ſolidi, ſyrupi, aquæve ſtillatitiæ forma. Biduo etiam, quoq; menſe, balneum comparandum æſtate præſertim,

& in eo bis die deſidendum, qua methodo ſupra poſuimus, adhibita in exitu, corpore tamen prius reſiccato hydrargyroſi, velut ante præceptum eſt. Alioqui catapotiis ex Sole, & Mercurio ſupra deſcriptis, ex interuallis vtendum.

QVÆ ELEPHANTIÆ CVratio ab antiquis tradita ſit.
Cap. IX.

FAMA eſt elephanticum quendam vitæ pariter ac morbo finem imponere quærentem, viperam in muſti dolium irrepſiſſe, conſpicatum, extincta in eo vipera, ſeſe muſto ad ſatietatem, ſemel atque iterum ingurgitaſſe. Cuius vi poſt virulentas vomitiones, ebrietas, profunduſque ſopor morti haud diſſimilis obrepſit. Quibus tandem diſcuſſis, imprimis pili defluxerunt omnes, & vngues exciderunt, dein omnia in ambitu membra corporis contabuerunt, denique certum exitium in propinquo videbatur, quum ex reliqua quadam virium ſcintilla, natura hominem redintegrans, alias carnes enutriuit, vngues nouos, & nitidam formam inſtaurauit, ac vetus corium, ceu ſerpentis ſenectam exuit. Ita habet fabula non admodum veriſimilis quidem, ſed cuius tamen imitatione, antiqui elephãtiæ curationem ad occultam viperarum proprietatem retulerunt, de aliis remediis deſperantes. Occultam proprietatem dixi, propter ea, quod qualitatibus manifeſtis, elephantiæ cauſam augeant potius quam infringant. Nam vel Galeni teſtimonio, manifeſtæ ac generales qualitates carnium viperarum ſunt, exſiccare valenter, digerere mediocriter, & excalfacere. Atra autem bilis, quæ hujus

huius luis cauſa eſt, calida & ſicca quum ſit, per contraria retundi poſtulat. Vere potiſſimum elephanticorum curationem aggrediuntur, primumque corpus in aliorum fere omniũ diuturnorum morborum modum identidem purgant: deinde venam ſecant, ſi vires ferunt: hinc ad viperas ſe conuertunt, quas alii aliter apparare ſolent. Omnes in hoc conueniunt, caput & caudam vt abſcindant, dein interanea omnia ac cutem etiam ipſam eximant, poſtremo corpus ipſarum exquiſite eluant. Quidam, quod caſu contigit imitatione cõfirmantes, in vini generoſi dolium, illas coniiciunt, ac ſinunt dum ſuffocentur, dein vinum ægris neſcientibus propinant. Alii medicinam ex viperis confectam, quam theriacam vocant, ſæpius adhibent. Alii ſale theriaco vtuntur, quod viuis viperis cum quibuſdam aliis medicamẽtis in fictili nouo combuſtis comparatur. Alii viperas ipſas comedunt in paſtillos redactas. Alii illas in anguillarum modum apparatas exhibent. Atque hoc omnibus commune eſt, viperis tandiu vtendum eſſe, dum elephantia vel in lepram abeat, vel in totum deſinat, in tenues auras difflante per cutem affectu. Galenus elephãticos aliquot ita ſe percuraſſe gloriatur: quin & incipientem morbum ſola catharſi & phlebotomia vere & autumno præſcripta profligaſſe atq; propulſaſſe ſe venditat. Cuius auctoritatem tot ſeculis confirmatam, & ſi non repudio, vix tamen quid de hoc remedii genere cenſuerit Fernelius, quidque partim dum is Lutetiæ floreret, partim poſt eius obitum expertus ſum, perpetuo ſilentio inuoluere poſſum. Elephanticos multos veterum imitatione quum viperarum vſu reſtituere maxi-

ma methodo ſtuduiſſet Fernelius, nemini in tota vita, vt erat in votis, ſucceſſit: quod cum mihi indicaſſet, & à remediis omnibus ſiccantibus abſtinendum eſſe monuiſſet, veterum medicorum auctoritatem eius opinioni anteponendam ratus, & illorum pollicitis nimium forte addictus: theriacam elephanticis multis, qua methodo illi præcipiunt, præbui, ſed nullo prorſus profectu: quæ res effecit, vt viperas ipſas aliter atque aliter apparatas experiri agreſſus ſim, quas tamen nihilo plus opis afferre comperi.

Paucos (fateor) poſt dies cutis extima ſquammas & furfures remittit, tanquam elephas in lepram degeneret, videturque iuuare per initia hoc remedii genus, ſi ſolius cuticulæ rationem habeas, ſed neque viſcerum conſtitutio, hocce modo melior fieri, neque verrucoſa tubera intermori, neque craſſeſcentis cutis deformitas emendari ſolet: ſed elephanticum virus, poſt viperarum vſum, è viſceribus multo maiore quam vnquam impetu in cutim remeans, omnia ſymptomata ſic exaſperat, vt aucta putredine, membratim dilacerentur ægri teterrimo fœtore. Neque enim paſtilli theriaci, neque venenatæ viperarum carnes, quouis modo præparatæ, ſiccam & terrenam partium conſtitutionem corrigere poſſunt, ſed omnia deprauare, atque venenata pernicie inficere. Si quis tamen veterum auctoritati tantum tribuit, vt Fernelii & meam hanc experientiam vniuerſis medendi legibus conſentaneam ſuſpectam habeat, ei facile ſit, qua ratione illi præcipiunt, viperarum vſum experiri. Tutiſſimam vtendi rationem hanc tradunt recentiores.

Viperas

Viperas præparatas in aqua cum hordeo decoquito, quo poſtea gallinæ alantur dum implumes euadant. His ergo gallinis elephantici alendi ſunt, donec comæ ac pili defluant omnes, & craſſior cutis ſquammas ac furfures remittat.

De proximæ elephantis cauſæ temperamento multi inter ſe non parum diſſentiunt. Galenus melancholicum quidem humorem elephantiam progignere paſſim confirmat: ſed quum ampla ſignificatione id nominis Latini vſurpent (nam & de proprie dicta atra bile, acerrimo & ardentiſſimo humore, qui & corpus rodit, & terram fermentat, & de melancholico ſucco frigidiore, qui ſanguinis veluti fex & limus eſt, dici ſolet) haud facile aſſequi poſſe putant, quo in ſignificatu, melancholici humoris nomen in procreatione elephantis accipiat. Sunt qui eum commentar. in Aphoriſ. 2. lib. 4. ſuccum melancholicum frigidum, proximam elephantiæ cauſam his verbis facere exiſtiment. In atra, inquit, bile totius corporis color ad nigritiem tendit, puſtulæ nigræ fiunt ex eius colore. Et quicumque morbi ex eius fiunt exuperantia, multitudinem melancholici humoris manifeſto indicant, quemadmodum cancer, elephas, quartanus circuitus ex melancholico humore generantur. Si Galeni ſententia, inquiunt, quartanus circuitus & elephas ex eodem fiunt humore, quartanus autem circuitus non raro ex proprie dicta atra bile pernicioſiſſimo humore, ſæpe vero ex melancholico ſucco frigidiore & terreno originem habet, & elephantem ab eodem ſæpius fieri, oririque neceſſe fuerit. At libro de atra bile aliter ſentire videtur hac ſententia. Verum alia quoque pleriſque non

febricitantibus in cute craſſeſcente, ſicceſcenteque exanthemata prouenire videmus, cum melancholici humoris redundantiam natura ad extimas partes pellit, quo genere is quem elephantem nuncupant, continetur. Vbi autem tale quidpiam ſimul cum febre exoritur, humor melancholicus, qui in cutem abſceſſit, facit eum quem carbonem appellant. At ſi citra febrim decumbat, ſitq; cum ſanguine coniunctus, gignere elephantem poteſt: ſi ſolus ſit, in principio quidem tumorem atrum producit, ſed progreſſu temporis in cancrum deſinit, cum vtique corroſa cute acrior ſit magiſq; malignus, cum mitior ſine vlcere, latentem cancrum efficit. Euidens enim eſt hos affectus omnes, præcipue cancrum, ex humore melancholico gigni. Cancrum, inquiunt, carbunculum & elephantiam, ab vno & eodem humore fieri tradit Galenus: at carbunculus à maligna atra bile fieri, contrahique alibi dicitur, quare & elephas: Contra tamen, qui calidus eſt humor melancholicus carbonem, qui non eſt eiuſmodi, cancrum & elephantiam gignit ex Galeno. Eodem etiam libro cum affirmare tradunt, ſubrubros elephantes, ab atro humore qualitatibus mitioribus prædito, ſanguinique admiſto, procreari: & ſi inueterarint, nigriores reddi. Quod vt componatur diſſidium, atram bilem ex humore melancholico nuper genitam, humoris melancholici nomen & appellationem idcirco veteribus etiamnum retinere crediderim, quod nondum plane incaluerit, nec priſtinis qualitatib. omnino ſpoliata ſit. Procedente vero tempore quum manifeſte iam incaluit, ſæuioraque ſymptomata inuexit, proprie tum atram bilem nuncupari: tametſi eadem

dem vtriuſque forma, eademque ſit ſpecies: ſic enim videtur ſentire libro de tumoribus præter naturam. Elephas, inquit, affectus melancholicus eſt, cuius prima origo ex melancholico ſanguine eſt, ſpatio vero temporis copioſior, quam ſanguis atra bilis redditur: quo tempore corpus iam male & grauiter olet, turpeque & deformatum videtur, & aſpectu horrendum, atq; interdum etiam exulceratur. Hunc affectum, quum incipit, ſatyriaſinum vocant, quod ſatyris aſpectu ſimiles elephãtici euadant.

Atra igitur bilis proxima eſt omnis elephantiæ cauſa, ſed quæ quum vel ex ſucco melancholico ac feculento ſanguine, vel ex bile vitellina, vel ex nitroſa pituita exuſtis ac torrefactis, non ita pridem habuit originem, illorum etiamnum appellationem interdum retinet. Neque me iudice, immerito, quod ſuæ procreationis initio nondum late ab humore à quo nuper genita eſt, diſſideat. Frigida quidem videtur atra bilis Galeno, quia terreſtris, non tamen caloris expers, quemadmodũ nec cinis, nec etiam acetum. Iam Arabum de ea iudicium ac ſententiam inquiramus.

Auicennas auctor eſt elephantiaſim partium ſolidarum ſubſtantiam, qualitatibus vitæ noſtræ è diametro repugnantibus & infenſis, continenter immutare ac peruertere. Quod ſi verum eſt, frigidam & ſiccam ſtatuere oportet elephantis cauſam (calore namque & humore vita noſtra fouetur, continetúrque:) Quibus perſpicuum eſt, frigidum & ſiccum è diametro opponi. Elephantia, Auicennæ eſt bilis atræ per vniuerſum corpus profuſio, qua membrorum temperamentum, forma

& compoſitio labefactatur: vnde tandem continuitatis ſolutio, & partium caſus & fœda vlceratio ſequitur. Ad hæc melancholicum humorem vſtum non prius elephantem parere tradit, quam refrixerit, & inueteratas, diuturnaſq; obſtructiones non aliam ob cauſam elephãtiam inurere, quam quod minime ventilatus calor natiuus præfocetur, vnde & refrigeratur & craſſeſcit ſanguis, eique gignendæ idoneus fit. Poſtremo in elephanticis ſanguinem non raro circum articulos congelari, & pulſum imbecillum iis idcirco eſſe dicit, quod facultas ſit imbecilla, & exigua neceſſitas, frigido vtpote morbo fatigante. Principem hunc ſcholæ Arabicæ ſequuti recentiores fere omnes, elephantis cauſam frigidam & ſiccam eſſe prodiderunt, atram bilem non prius eam inferre dictitantes, quam abſumpta omnino fluxili, liquidaque eius ſubſtantia, calor tandem prorſus diſſipetur atque diuaneſcat, terrena duntaxat eaque ſicciſſima eius parte cineri haud abſimili ſuperſtite. Idque perinde eſſe atque quum ſuccenſus ignis abſumpto prorſus ligni humore, quo terrenæ eius partes inter ſe iunctæ cohærebant, euaneſcit & extinguitur, ſicciſſimum duntaxat cinerem pro ligno relinquens: quem accenſo ligno, ſi conferas, frigidum exiſtimes. His igitur auctoribus frigidus & ſiccus humor elephãtiam progignit.

Ego vero (ſi de re tam controuerſa meam dicere ſententiam licet) facile efficiam, vt hoc compoſito diſſidio inter veteres cõcordia coeat, vel ſi dogma eligendum eſt, Græcorum potius ſententiæ ſubſcribendum ſit. Quanquam acerrima ac calidiſſima atra bilis, quæ corpus rodere, & terram fermen-

fermentare creditur, à frigido & ſicco melancholico ſucco, temperie ac ſpecie recedit atque diſſidet: ſæpe tamen veteres illam melancholici humoris appellatione deſignant & inſigniunt: ſiue quod illa metu & mœſtitia, aliiſque melancholicis perturbationibus animum mentemque percellat & exagitet, perinde atque melancholicus ſuccus frigidior, ſiue quod ſuæ procreationis initio, dum nondum vehementer incaluit, accenſaq; eſt, haud multum à feculento ſanguine diſcrepet, vt nec quũ ſicceſcens de ſuo calore non parum deperdiderit. His ergo ex cauſis, veteres maximeque Galenus, elephantiam quæ reapſe nunquam aliunde quam ab atrabilario humore vndecunq; genitus ſit, proficiſcitur, ſæpe à melancholico ſucco aut humore naſci tradunt, & Auicennas frigidum morbum eſſe prodidit.

Quanquam autem elephantiæ omnis origo, ab atra bile ducitur, ea tamen pro affectorum corporum natura, & humoris è quo orta eſt, affectione, non parum & inuadendi, ſerpendique modo, & ſymptomatis variat. Vt enim quæ elephante prehenduntur corpora, minime ante hanc, melancholica, vt ita loquar, erant omnia, ſed alia ſanguinea, alia biliosá, alia melancholica, alia pituita ſalſa perfuſa, alia ex iis miſta: ſic certe neque atra illa bilis ex vno eodemque humore perpetuo naſcitur, ſed interdum à ſucco melancholico, frigido & ſicco, interdum à bile flaua in vitellinam verſa, interdum à nigroſa pituita originem habet. Quæ igitur ex frigido & ſicco, eoq; melancholico ſucco exuſto procreatur atra bilis, quoniam eius humoris, à quo non ita pridem vſtione genita eſt, naturam

conditionemque etiamnum redolet, diutius occulitur, nec niſi ſenſim lenteque tandem in externas partes erumpit: quo quum ventum eſt, elephantem leuioribus ſymptomatis cõſpicuum profert: quem nonnulli frigidã cauſam habere idcirco dixere, quod manifeſta caloris ſymptomata nulla ſtatim corpori intentet nec incutiat. Quæ vero ab aduſta flaua bile fit, cauſæ ſuæ naturam redolens, multo tenuioribus partibus quum ſit, breui contaminatis viſceribus, in extremitate corporis ocyus exardeſcit, ſæuiſſimaque incendii ſymptomata, niſi occurritur, inducit, quæ ſui cauſam calidam eſſe manifeſto demonſtrent. Medio quodammodo ſe habet, quæ à ſalſa pituita proficiſcitur. Quæ vero à ſanguine feruidiore exuſto proxime ad eam, quæ à præaſſata fit flaua bile accedere deprehenditur: vt quæ à feculento & craſſiore, ad eam quam à melancholico humore fieri diximus. Quod autẽ proponunt nonnulli, quum iam eouſque ſerpendo proceſſit elephantia, vt exhauſta humida atræ bilis ſubſtantia, cui calor inſidebat, ſoli eius cineres frigidiores ſuperſint, ardoris, incendiique omnia ſymptomata tum remittere, morbumque frigidam cauſam habere, plane falſum eſt. Licet enim vſti ligni cineres minime eum retinent calorem, quem vel eius flamma, vel carbones exhibebant: ſunt tamen integris rebus, à quibus dimanarunt multo calidiores. Quod vini fæces demonſtrant, quæ vſtæ longe calidiores, acrioreſque euadunt. Tantumque abeſt, vt vel atra bilis, aut nonnullarum aliarum rerum cineres frigidi iudicari poſſint, vt etiam frigidarum quarundam cineres, non paruam vſtione acrimoniam, caloremq; conquirant, & aſſe-

& aſſequantur, ſicut experientia nos docuit, qua compertum eſt frigidiſſimi ac humidiſſimi argenti viui cineres, cathereticos, acres, vrenteſque eſſe. Ad hæc ſi frigida & ſicca eſt elephantiæ cauſa, cur ex cedo non ſolum elephanticorum tubercula exedantur, & in profunda vlcera ſerpendo degenerent, ſed etiam partium ipſarum extrema, vel humoris acrimonia abſumpta pereant, vel corrupta, & putredine carieque confecta excidant? Non enim frigidus & ſiccus humor melancholicus, vel frigida & humida pituita, iſtorum poſſint eſſe operum cauſa: niſi immutata ſpecie in alterius humoris naturam commigrarint. Quod igitur dictitant nonnulli, atram bilem per initia elephantiæ calidam, abſumpta tandem liquida & fluente eius parte, frigidam euadere, minime permutata ſpecie, abſurdum plane cenſeri poteſt. Habent enim ſinguli humores proprium & peculiare temperamentum, quod ſuperſtite forma nunquam depereat. Calida enim ſemper bilis flaua, calida & atra, vt pituita ſemper frigida, frigiduſque ſemper melancholicus humor. Hæc tamen bilis alia calidior, frigidiorque interdum hæc, quam illa pituita cenſetur. Niſi forte putreſcens, per febres pituita, quoniam incaleſcit manente forma, iſtius axiomatis veritatem conuellat, atque labefactet. Sed hanc impermiſtam, veterum nonnulli vix vnquam putredine ſic incaleſcere cenſuerunt, vt febrem accerſat, febres omnes климиoſas arbitrati: quorum opinioni ſubſcripſit Fernelius. Nec ſi putreſcens incaleſcat, amplius pituitæ nomine inſignitur, ſed eius humoris, in quem putreſcens degenerat.

Elephantia itaque omnis calidam cauſam habet, quæ tamen caloris, ſiccitatiſque ratione, pro corporis affecti, & humoris, è quo profecta eſt, natura, proque morbi tempore, non parum varia eſt. Quod & veterum auctoritate doceri poteſt, qui non alia ratione caſtrandos cenſuerunt elephanticos, quam quod teſtes vim maximam caloris, feruoremque in vniuerſum corpus effundant, qui elephantiæ cauſam exaſperet.

FINIS.

QVÆ

QVÆ PAVCIS PERSTRINXI ELEPHANTIAE remedia, in tyronum medicinæ gratiam, formulis vulgo vſitatis luculentius exprimere viſum eſt.

POTIONES ELEPHANticis ex vſu.

POMACEVM è ſucco malorum dulcium maturitatem aſſequutorum, ſatis defecatum, ſatiſque maturum, tenue, ſubflauum, & limpidiſſimum, quale in Neuſtria copioſum ferunt agri Conſtantini, elephãticis & melancholicis ajbatrabilario humore adeo ſalubre eſt, vt omne potionis genus bonitate vincat. Quod me longo vſu, ratione duce comperiiſſe profiteor, & cõplures melancholicos hypochondriaco, quibus iecur & meſenterium morbo cauſam dederant, eius ope reſtituiſſe. Nam & tetros melancholiæ vapores, multo quam ſyrupus è ſucco pomorum efficacius diſcutit, & cordi lætitiam adfert, & viſcerum atque humorum ſiccitatem, ferinamque qualitaten omnem demulcet ac contemperat, & alimentum copioſum corpori præſtat, & aſſuetis gratiſſimum exiſtit. At pyraceum omne & pomaceum, è malis acidulis expreſſum, vel vetuſtate

coaceſcens, noxium exiſtit, perinde atque omnia cruda & acidula vina vulgo vidia appellata. Repudiandum, & pomaceum, quod ex malis dulcibus expreſſum dulce quidem exiſtit, ſed nondum ſatis concoctum: multoque magis quod fecibus prorſus non depoſitis turbidum & craſſum perſiſtit, nec inclareſcit donec aceſcat, qualia fere ſunt in pingui Algiæ ſolo nata. Copioſius quidem alimentum corpori ſuppeditant, & agricolis ac foſſoribus expetuntur, ſed quia obſtructiones pariunt, craſſique ſucci copiam aggerunt, tum ſanis tum ægris noxia putanda ſunt. Curent igitur Medici, vt elephantici & hypochondriaci, quibus iecur & meſenterium (quod fere fit) vitio cauſam præbent, tenue, ſubflauum, pellucidum, beneque maturum pomaceum, pro generoſiſſimo remedio veteribus quidem incognito, ſed nunquam ſatis laudando, in vicem vini vſurpent, quod tamen calidæ & ſiccæ naturæ, præſertim vero æſtate, aquæ quadrante diluent.

Aliud gratum & innoxium poculenti genus, temperatis, aut non ita calidis naturis ex vſu.

℞ Aquæ puriſſimæ ℔. vj. ſcobis ſantali citrini ʒ j. ſacchari alb. ℥ v. ferueſacito horam dimidiam vaſe argenteo, aut in olla noua. Colo poſtea traiicito.

Aliud feruente magis humore commodius.

Habet aquæ puriſſimæ ℔. vj. ſacchari alb. ℥ iiij. ſcobis ſantali citrini ʒ j. hordei integri P. j. ſucci mali medici acidodulcis ℥ ij. Conferueāt aliquantiſper, dein percolato, & vtitor. Vulgus ptiſanam vulgarem, vel hordei decoctum ſemine fœniculi condi-

conditum, vſurpet, vel certe (modo ventriculi & præcordiorum ratio toleret) puriſſimam & limpidiſſimam aquam.

Potus nonnullis diuinus appellatus, calidis omnibus naturis, in calidis morbis omnibus vtilis, ſi valet ventriculus.

℞ Aquæ optimæ ℔. vj. ſacchar. ℥ v. ſucci limonum ℥ j. ß. (plus minus pro ventriculi & caloris natiui robore, aut imbecillitate & ægrotantis palato) ſcobis ſantali citrini ʒ j. Bulliant horam dimidiam, tum adiicito cinnamomi ʒ ß. colato & vtitor.

Alii ſacchari plus minuſve inſerunt, ſumpta indicatione ab ægrotantis natura, ætate, conſuetudine, anni tempore, & partium nutritioni dicatarum conſtitutione.

Alius in elephante bilioſo, feruente etiamnum circum viſcera humore, commodior, ſed inſuauior.

℞ Radicum cichorii agreſtis, vuarum paſſarum purgatarum, glycyrrhizæ ſingulorum ʒ ij. hordei integri P. j. ſcobis eburneæ & corn. ceruini, ſem. fœniculi, ſantal. citrini, ſingul. ʒ ß. conferueant horam dimidiam in ℔. viij. aquæ, dein decoctũ tranſcoletur. In magno ardore plantago & lactuca recte inſeruntur.

Quum partium putredo inualeſcit, feruente etiamnum humore, profectu maiore vſurpatur, quod hic habet poculentum.

℞ Radicum cichorii agreſtis, vuarum paſſarum purgatarum, glycyrrhizæ, ſingulorum ℥ ij. hordei

integri P. j. ſaniculæ, buglæ, pimpinellæ, calendul. vlmariæ, plantag. lagopi, ſingulorum P. j. ſcobis eburneæ, & cornu ceruini, ſantal. citrini ſingulorum ʒ j. ſacchari ℥ vj. ſucci mali citrii ℥ ij. Coquito in aquæ ℔. viij. ad ℔. vj. decoctum, percolatum ſeponito, & vtitor. Quum calor natiuus elangueſcere incipiet, frigida detrahentur.

Deſtillatum inſtaurans magnatibus extra epulas in vini vicem ex vſu affecta ætate & viribus labaſcentibus.

Vituli fruſtum & carnem capi in libris xvj. aquæ puriſſimæ, elixato dum viij. duntaxat libræ ſuperſint: adde ſub finem veronicæ vtriuſque bugloſſ. borraginis, pimpinellæ, ſaniculæ, calendulæ, buglæ vtriuſque, plantaginis, ſeriolæ ſingulorum M. j. rad. tunicis & tormentillæ, ſeminis cardui, ſcobis eburneæ, & cornu ceruini ſingulorum ʒ ij. in colato iure, rurſum adiicito conſeruæ bugloſſi, borraginis, violarum, nympheæ añ ℥ iij. conſeruæ ocellorum ceu caryophillorũ noſtratium ℥ ij. omnia in ollam vitream indito, vt in duplici organo aqua proliciatur, quæ ſaccharo vel Syrupo è limonibus, aut violaceo & cinnamomi momento condita, vſui apta ſit.

Et his quidem, aliiſque eius generis potionibus, quas ex tempore & pro re nata, prudens & exercitatus medicus inſtituere poterit, elephanticis occurretur. Iam purgationum formulæ deſcribendæ.

℞ Polypodii, querni, ſeminis cartami, radicum cichorii & oxalidis, vuarum paſſarum purgatarum, foliorum ſennæ, ſingulorum ℥ ß. coquito igne remiſſo horæ quadrantem, dein adde bugloſſ. borrag.

rag. lupul. ſcolopendriæ, ceterach, adianti, fumariæ, epithymi, ſingulorum P. j. conſeruar. bugloſſ. borrag. & viol. añ. ʒ ij. ſeminis fœnicul. & melonũ añ. ʒ ß. conferueant rurſum aliquantiſper, dein in decocto percolato tepido, macera horis duabus rhabarb. optimi ʒ ij. ß. cinnamomi ʒ ß. in eodem expreſſo diſſolue ſyrupi è fumaria ℥ j. fiat potus mane ſumendus hora quinta.

Si hoc ægre mouetur cathartico Elephanticus, Catholici deſcriptionis Fernelii ℥ j. remiſcebitur.

Bolus ſi magis arridebit, eſto huiuſmodi.

℞ Atramenti caſſiæ recens extracti ℥ ij. ſem. fœniculi pulueriſati gr. vj. Syrupi violati pauxillũ.

Vel ſic:

℞ Medullæ caſſiæ recenter extractæ, Catholici deſcriptionis Fernelii, vtriuſque ℥ j. ſyrupi violati ʒ ij. miſce, præbeto mane tribus horis ante cibum.

Vel ſic:

℞ Caſſiæ recenter purgatæ ℥ j. ß. rhabarb. pulueriſati ʒ j. ß. ſem. melonum mundatorum & contuſorum ʒ ß. ſem. fœniculi, gr. iiij. Syrupi violar. modicum, fiat bolus.

Si vndiq; tenues etiam humores detrahere expedit, confectionis Hamech. ʒ ij. ß. inſerẽtur, rhabarbaro quidem detracto, ſi effrenis purgatio metuitur, ſin minus eo etiam relicto.

Apozema primas corporis ſedes expurgans, venarum infarctus molius expedit.

℞ Rad. petroſelini, fœniculi, & apii, in aceto horis vj. maceratarum, ſingulorum ℥ j. ß. rad. cichorii ℥ ij. rad. oxylapathi, oxalidis, aſparag. & gra-

minimis, ſingulorum ℥ ß. foliorum ſennæ ℥ ij. rad. hellebori noſtratis præparatæ ʒ ij. Coquito in aqua ad doſes tres, adde ſub finem pimpinellæ, bugloſſ. borrag. endiuiæ, ſcariol. lupulorum, omnium capillarium, fumariæ, ſingulorum manipulum ß. florum cordi dicatorum, mentæ, epithymi, hyſſopi, ſingulorum p. j. ſeminis fœniculi, coriandri præparati & melonum ſingulorum ʒ j. ß. In colato, decocto diſſolue, ſyrupi è cichorio ſimplicis ℥ iiij. Clarificetur & condiatur ʒ j. ß. cinnamomi, & ʒ j. ſantal. citrini.

Alius parandorum apozematum modus, quo nihil virium coctione deperit.

Omnia modo deſcripta ſimplicia medicamenta, in ollam argenteam aut terrenā induntur, cum eo aquæ modo quem ſupereſſe volumus, (fere tamen apozema ad tres doſes aquæ ℥ xij. habet) olla dein luto philoſophico obſignata, in caldarium feruentis aquæ collocetur, vt horas tres conferueant omnia: vbi olla à lebete ſummota refrixerit, decoctum collo traiicitur: & ſyrupus aut ſaccharum additur, vt in tres aut quatuor doſes alternis diluculis ſumendas diuidatur apozema.

Detracto helleboro, ſtrenue quidem melancholiam detrahet, ſed nec à cerebro, nec à venis maioribus ſatis efficaciter.

Syrupus ſolemnis.

℞ Polypod. rad. oxylapathi, oxalidis, cichorii, bugloſſ. & borrag. vuarum paſſarum, glycyrrhizæ, ſingulorum ℥ j. quinque capillarium, bugloſſ. borraginis, ſcariolæ, endiuiæ, chamædryos, ſingulorum M. j. Coquito in aqua ad lib. j. Decoctum colo tra-

Digitized by Google

lo traiectum in ollam inditur, dein adiiciuntur foliorum ſennæ purgatorum ℥ vj. rad. hellebori noſtratis præparati, ſeminis fœniculi, aniſi & melonum, ſingulorum ℥ ß. agarici albi, rhabarbari ſelecti, contuſ. ſingulorum ℥ ß. ſuccorum endiuiæ, fumiterræ, malorum redolentium, bugloſſ. borrag. aquæ roſarum, ſingulorum ℥ ij. florum cordi amicorum, foliorum mentæ, hyſſopi, origani, meliſſæ, ſingulorum p. j. epithymi ℥ ß.

Olla luto philoſophico obſignata, in duplici organo (balneum mariæ vocant) feruere ſinitur horis quatuor. Decoctum denique colatum cum duplo ſacchari perpurgatum, in ſyrupum coquitur, in vaſe duplici, olla obſignata: doſis ℥ ij. aut ℥ ij. ß. aut ℥ iij. cum pari portione decocti borraginis & glycyrrhizæ, bis, ter, quaterve menſe.

Opiata.

℞ Vuarum paſſarum purgatarum, vuarum corinthiacarum, iuiubarum, ſingulorum ℥ j. ß. polypodii, querni, glycyrrhizæ, vtriuſque ℥ ß. foliorum ſennæ ℥ iiij. radicum bugloſſ. borraginis, & lupulorum, ſingulorum ℥ j. coquito in aqua bugloſſ. igne remiſſo, ad lib. j. ß. dein adde vtriuſq; bugloſſ. vtriuſque aſplenii, adianti vtriuſque, ſingulorum M. ß. florum cordi amicorum & nympheæ, ſingulorum p. j. ſem. fœniculi, coriandri præparati, vtriuſque ʒ ij. in decocti libra colo traiecta, diſſolue ſacchari optimi lib. j. Coquito in ſyrupum, cui adde conſeruarum, bugloſſ. borraginis & viol. exquiſite contritarum, ſingulorum ℥ iij. conſeruæ roſarum ℥ j. ß. conſeruæ ocellorum, qui & caryophil. ℥ ij. ſem. iiij. frigidorum maiorum mundatorum, ſem. fœniculi, coriandri præparati, ſingulorum

puluerisatorum ʒ j. ß. ſantal. citrini, cinnamomi pul. vtriuſque ʒ ß. atramenti, caſſiæ ℥ iiij. fiat opiata mollis, vt ex cochleari vorari poſſit, cuius doſis erit ℥ j. ß. aut ℥ ij. mane, duabus horis ante cibum. Acrem ac ferinam omnium humorum qualitatem frequenti vſu domat ac demulcet, viſcerum & humorum ſiccitatem temperat: quicquid ventriculum & inteſtina obſidet, ſtrenue detrahit, ſimulque primas venas & viſcera ipſa, obſtructione liberat, earumque partium impuritatem ſenſim ac blande in aluum deducit & expurgat.

Huc pertinet ſyrupus ſaporis purgatorius, à Meſue deſcriptus, & ſyrupus è cichorio compoſitus, cum ℥ iiij. rhabarb. pro libris ſingulis: huius, aut illius, ſi tria cochlearia opiatæ ſuperdentur, plenior, nec tamen moleſtior erit effectus. Dantur per ſe ab ℥ ij. ad ℥ iij. idque ex cochleari, vel cum aquis cardiacis. Catholicum à Fernelio deſcriptum inualeſcentibus cruditatibus, & craſſeſcentibus humoribus commodiſſimum.

Ius pulli purgatorium.

℞ Decocti pulli gallinacei, & vitulinæ carnis ℥ viij. in quo macera per noctem foliorum ſennæ mundatæ ℥ ß. mane bulliat horam dimidiam, igne valde remiſſo: dein in percolato decocto, rurſum feruere facito borraginis M. j. buglоſſ. oxalidis, an. p. j. origani, hyſſopi, thymi, ſingulorum pauxillum: decoctum percolato, & præbeto tribus horis ante epulas. Si radicis noſtratis hellebori præparatæ ℈ j. inſeretur, melancholicum humorem validius detrahet, nec nocuerit, modo ex longioribus interuallis repetatur. Simplex enim modo deſcriptũ, ſemel

Digitized by Google

ſemel aut bis quaque hebdomada tuto vſurpatur, velut & opiata.

Præparantia melancholicum humorem, quibus inter purgationum vices vtendum erit.

Accipe radicum apii, petroſelini, & fœniculi, in aceto maceratarum horis vj. vuarum paſſarum purgatar. glycyrrhizæ, radicum, bugloſſ. borraginis, lupulorum & cichorii, polypodii querni, viſci querni, corticis radicum capparis, & tamaricis, ſingulorum ℥ ß. coquito horam integram in olla noua, dein inſerito bugloſſ. borraginis, endiuiæ, ſcariolæ, fumariæ, hepaticæ, vtriuſque aſplenii, adianti vtriuſque, ſingulorum M. j. conſeruæ florum violarum, borraginis, bugloſſ. nympheæ, epithymi, ſingulorum ℥ ß. quatuor ſem. frigidorum maiorum, ſem. endiuiæ, lactucæ, fœniculi dulcis, ſingulorum ʒ ij. in decocti libra diſſolue ſyrupi è ſuccis deſcripti ℥ iiij. Syrupi Byzantini ℥ ij. parato apozema clarum & conditum ʒ j. ß. ſantal. citrini, & ʒ j. cinnamomi. Præbeto ℥ iiij. ante ſingulos paſtus, idque in triduum ante ſingulas catharſes Conuenit quum pars humorum feruet & exuritur, pars vero iam retorrida, contumaces obſtructiones inuexit, quas ſoluere, tetros vapores diſcutere, cordis arcē ab iis tueri, & incendium internum reſtinguere, conſilium eſt.

Aliud in elephante bilioſo ſuperiore, niſi obſtructiones multæ inſint aptius, incipiente, augeſcente & vigente bilis retorridæ feruore: Eo enim repreſſo, alia præparatione opus eſt, quæ poſtea tradetur.

℞ Rad. cichorii ſylueſtris ℥ ij. radicum oxalidis,

lupul bugloſſ. borraginis, vuarum paſſarum, polypodii, ſingulorum ℥ ß. glycyrrhizæ ʒ ij. coquito igne remiſſo horam vnam: dein adde vtriuſque aſplenii, vtriuſque bugloſſ. vtriuſque adianti, lupul. fumariæ, endiuiæ, ſcariol. plantaginis, ſingulorum M. j. cõſeruæ, bugloſſ. borraginis, violarum, nympheæ, epithymi, ſingulorum ℥ ß. quatuor ſeminum frigidorum maiorum, ſeminis fœniculi & endiuiæ, coriandri præparati, ſcobis eboris, & cornu cerui, ſingulorum ʒ ij. in libra decocti, percolati dilue ſyrupi de endiuia, deſcriptionis Fernelii ℥ iiij. paretur apozema conditum, ſantali citrini ʒ j. & cinnamomi ℈ iiij.

Syrupus è ſuccis; melancholicum humorem & bilem atram demulcens.

℞ Succorum depuratorum vtriuſque bugloſſ. & pomorum redolentium, ſingulorum ℔. ß. ſuccorum oxalidis, lupul. & endiuiæ, ſingulorum ℥ ij. ſacchari albi ℔. j. ß. Perpurgato ouorum albuminibus agitatis, atque in ſyrupum coquito, cinnamomi & ſantali citrini, vtriuſque ʒ j. conditum. In quem dein nodulum qui iſthæc cõtineat, diu macerari ſines.

℞ Croci ʒ ß. granorum tinctoriorum ʒ j. ambaris cinericii coloris gr. vj. ligni aloes ℈ j. fiat nodulus.

Vſus tempore, miro profectu inſeritur tenuiſſimus pollis auri præparati, pondo ℈ j. mane præſertim duabus horis ante epulas: vorandus autem ex cochleari, nequid auri pereat, bis, terve in hebdomade.

Syrupus alius qui dum tetros melancholici humoris vapores ſtrenue diſcutit, cordi etiam iucunditatem

ditatem atque hilaritatem, & incenſis atq; conflagrantibus humoribus refrigerium præſtat.

℞ Succi ceraſorum rotundorum, rubicundorum, & acidulorum, bene maturorum ℔.j.ß. ſuccorum bugloſſ. & borraginis, vtriuſq; ℥ vj. in quibus macera noctem integram florum ocellorum, ſeu caryophillorum noſtratium ℥ j. ß. Mane expreſſis & abiectis floribus, alios rurſum indito, quos exactis horis 24. exprimas & abiicias, eandemque operam tertio aut quarto repetito: in expreſſis tandem ſuccis, ſacchari par pondus diluito, ligni deinde aloes & ſantal. citrini momento adiecto, perpurgatum præſidium in Syrupum coquito.

Si ſucci fumariæ ℥ vij. inſerantur, inſuauius, ſed aduerſus melancholicum humorem efficacius remedium fuerit.

Syrupus de endiuia à Fernelio deſcriptus, locum habet in elephante bilioſo, quandiu incendio conflagrant viſcera.

℞ Conſeruæ florum caryophillorum noſtratium ℥ vj. conſeruæ florum vtriuſque bugloſſ. ℥ iij. conſeruæ roſarum, & nympheæ, vtriuſque ℥ j. ß. conſeruæ florum viol. ℥ ij. pul. elect. diamarg. frigid. ʒ j. ſcobis cornu cerui, eboris, & coral. ſingulorum ʒ ß. auri præparati ʒ j. ß. ambar. gr. vj. ſyrupi è ſuccis ſupra deſcriptis q. ſ. Conficito opiatam, vtitor mane, & ſub horam ſomni, quum tetros bilis atræ vapores diſcutere, & cordi lætitiam conciliare eſt animus.

Si propria ac peculiaris ægri natura, aut humorum exuperantium qualitas, aut anni tempus, præſidium, quod magis refrigeret, poſtulare videbitur,

Digitized by Google

conſerua florum cichorii recte inſeretur: ſin contra, quod magis cõcoquat, ac flatus diſcutiat, conſeruæ helenii, mentæ, & florum roriſmarini, ſingulorum ſemuncia.

℞ Radicis ſiccæ helenii, vuarum paſſarum, glycyrrhizæ ſingulorum ℥ ij. polypo. quercini, corticis radicum capparis & tamaricis, ſingulorum ℥ ß. coquito igne remiſſo, in aqua puriſſima, ad ℔. j. adde ſub finem coctionis aſplenii, vtriuſque ſicci p. ij. & quum ab igne ſummouentur, abſynthii vulgaris ſicci p. j. conſeruæ viol. bugloſſ. borraginis, nymphеæ, & epithymi, ſingulorum ℥ ß. In colato, decocto, diſſolue ſyrupi de ſuccis ſuprapoſiti ℥ iiij. Hoc apozemate ante paſtus vtendum fuerit ex interuallis, quum flatus & cruditates inualeſcent. Cruda mire concoquit, craſſa enim attenuans, & ſeroſa ac tenuia coctione incraſſans, flatus diſcutit, viſcera obſtructionibus liberat & corroborat, tetros melancholici humoris vapores diſcutit & mitificat, vt ſemel dicam morbis omnibus à cruditate & frigida cauſa, aut viſcerũ imbecillitate natis, ſupra opinionem opitulatur, & tamen nihil calore nimio exurit: ſed præparatus humor melanagogo medicamento ex interuallis repetito detrahendus.

Si forte à iecoris ſiccitate & feruidioris bilis aestuo metus eſt, ne repetito huius apozematis vſu inſoleſcant, (quod tamen in ſenibus calore inſito iam effœto & fruſtrata concoctione minime pertimeſcendum eſſe comperi) ſylueſtris cichorii radicis ℥ ij. commode inſerentur, & opportune interiicietur purgatio. Huc pertinent Syrupus de Epithymo, Syrupus de aſplenio, & Syrupus Byzantinus, & multo efficacior, qui ſic habet.

℞ Rad.

Digitized by Google

℞ Rad. helenii ſiccæ ℥ iiij. macera horis vj. in ſuccis vtriuſque bugloſſ. dein adde omnium capil. epithymi, ſingulorum M. j. conſeruæ florum caryophil. bugloſſ. borraginis, roſarum, ſingulorum ℥ ß. feruefacito igne valde remiſſo horam dimidiam, adiecta aqua ſufficienti: tum imponito abſynthii ſicci vulgaris p. j. & ab igne ſummoueto: in expreſſione diſſolue ſacchari albi ℔. j. Coquito in ſyrupum conditum ʒ j. ß. cinnamomi & ʒ j. ſantal. citrini.

Vſus erit ante paſtus ex cochleari ℥ j. ß. pro doſi, ad imminentem ex vtriuſque viſceris obſtructione & imbecillitate, hydropem cruditatem, atque ad omnem inſiti caloris à frigida cauſa languorem. Cruda enim & craſſa omnia cõcoquit & attenuat, frigida & ſeroſa coctione incraſſat, flatus diſcutit, fuliginoſos atræ bilis vapores diſſipat, viſcerũ obſtructiones expedit, ventriculi, iecoris, cordis, & pulmonum robur tuetur, augetque.

Remediorum cardiacorum & alexiteriorum forma.

℞ Conſeruæ caryophil. ſeu ocellorum, bugloſſ. borraginis, violarum nymphex, roſarum & cichorii, ſingulorum ʒ ij. auri in tenuiſſimum pollinem redacti, vel auri foliati, ʒ j. ſcobis eboris, & cornu ceruini, coral. vnedonum, ſcobis cornu vnicornis, ſingulorum ℈ j. ambar. optimi grana vj. Syrupi è ſuccis q. ſ. fiat opiata, vtenda mane ante epulas ʒ j. aut ʒ j. ß. pondere.

℞ Conſeruæ florum bugloſſ. borraginis, caryophil. nympheæ & cichorii añ ℥ j. mithridat. theriacis, vtriuſque ʒ j. ſcobis cornu ceruini ʒ j. Syrupi de nymphea q. ſ. fiat opiata. Præfertur in re tenui,

quod minoris conſtet, & facile paretur, præſertim ſi calor iam deferbuit: nam æſtuante etiamnũ humore, quæ ſic habet, commodior erit.

℞ Conſeruæ florum cichorii ℥ ij. conſeruæ florum nympheæ, bugloſſ. borraginis, roſar. ſingulorum ℥ j. raſuræ cornu cerui ʒ j. ß. conſeruæ ocellorum ℥ j. ſeminum quatuor frigidorum maiorum purgatorum, ſingulorum ʒ ij. Syrupi è ſuccis deſcripti q. ſ. fiat opiata.

℞ Scobis cornu ceruini & eboris, vnedonum, oſſis è corde cerui ſingulorum ʒ j. ß. coral. ʒ ß. auri præparati aut bracteolarum ipſius ʒ j. ß. ambar. ℈ ß. conſeruæ caryophil. & borraginis añ. ℥ ß. ſacchari roſ. ſextuplum, fiat conditum.

Aliud in re tenui.

℞ Scobis cornu ceruini ʒ ij. ſcobis eboris, coral. margaritarum ſplendidarum, ſingulorum ʒ j. conſeruæ bugloſſ. borraginis, nympheę, ocellorum & cichorii, ſingulorum ʒ ij. ſacchari roſ. q. ſ. fiat conditum. Inclinante calore, inualeſcentibus autem cruditatibus, mithridatii & theriaces vtriuſque ʒ j. inſeretur: vſus erit ex cochleari ante paſtus, atque etiam ſub horam ſomni.

Detractis conſeruis ex vtroque condito, puluis fiet ex cochleari, vt conditum, ante paſtus vorandus.

℞ Radicis tormentil. ſcobis cornu ceruini & eboris, margarit. coral. ſingulorum ℈ j. ſcobis cornu vnicornis, ℈ ß. pul. elect. diamargarit. frigidi, & de gemmis vtriuſque ʒ j. ſacchari alb. diſſ. in aqua roſ. ℥ vj. fiat elect. per tabellas pond. ʒ iij. quarum vſus erit ante paſtus.

Aquæ ſtillatitiæ, quæ ad frænandam luis vene-

Digitized by Google

reæ perniciem præſcriptæ ſunt, hic etiam locum habere poſſunt: Alterutrius autem ℥ ij. cum ſyrupi violacei ℥ j. opiatæ, aut condito, aut tabellæ ſuperdabuntur, quæ tamen ſequitur peculiariter, elephanticum virus domat, ac ſerpentem putredinem inhibet, deploratis præcipue ad protrahẽdam vitam frequenti vſu commodiſſima.

℞ Vtriuſque veronicæ, bugloſſ. borraginis, betonicæ, plantaginis, ſaniculæ, buglæ, lagopi, vlmariæ, calendulæ, ſymphiti minoris, florum hyperici, & ſambuci, cacuminum, centaurii minoris, pimpinellæ, ſingulorum M. ij. Contundito omnia, dein in ollam nouam indito permiſtis, quæ ſequuntur.

℞ Scobis cornu ceruini ℔. ß. ſcobis eboris ℥ ij. radicis tormentil. tunicis, dictamni, ſingulorum ℥ j. Conſeruarum nympheæ, cichorii roſ. bugloſſ. borraginis, ſingulorum ℥ iiij. aquarum ſtillatitiarum cardui benedict. agrimonii, ſcabioſæ, ſucciſæ, ſingulorum q. ſ. vt ſuperemineant. Harum tamen loco præſtantiſſima eſt aqua è ſanguine humano, è plethoricis bene habentibus ſecta vena detracto, & à ſero ſecreto elicita.

Omnia olla concluſa ac luto philoſophico obſignata in balneo mariæ triduum macerantur, dein in alembicum vitreum coniiciuntur, vt aqua eliciatur, doſis ℥ iij. cum ℥ j. Syrupi violacei. Aqua è fecibus humanis elicita multis profuiſſe creditur, cuius tamen nullum feci periculum. Sed pane hordeaceo atq; hordeatis vulgo appellatis eum veſci oportere tradunt, è cuius ſtercore elicietur: ſaccharo, aut ſyrupo accommodato, & ſantal. mo-

mento condiri debet, & mane ægris neſcientibus propinari.

Fotus emolliens & rareſaciens.

℞ Radicum altheæ & liliorum ſem. lini, rad. helenii recentis, ſingulorum ℥ ij. maluæ violatis, parietariæ, acanthi anagallidis, meliloti, chamæmeli, ſingulorum M j. fiant duo ſacculi, ferueant in æquis partibus aquæ & vini albi, ad fotum partis.

Unguentum emolliens, rareſaciens ac detergens cutem.

℞ Violariæ mucaginis, ſem. lini, & radicum altheæ extractæ in decocto meliloti & chamæmeli ℥ iiij. butyri ſalis expertis, ol. è ſigillo mariæ, & bryonia, quod poſtea tradetur, ſingulorum ℥ iij. ol. è myrrha eliciti ℥ ß. concinnetur linimentum, quo mox à fotu pars illinatur.

Fotus emolliens, rareſaciens, & diſcutiens oculis ex vſu craſſeſcentibus membranis.

℞ Fœniculi viridis, chelidoniæ, euphraſiæ, chamæmeli, meliloti, maluæ, violariæ, ſingulorum M. j. ſem. fœniculi & lini, rad. altheæ ſingulorum ℥ ß. abſynthii ſicci p. j. Confice ſacculos, quos in aqua & vino albo feruefacies ad fotus oculorum.

A fotu aqua inſtilletur huiuſmodi.

℞ Chelidoniæ, euphraſiæ, fœniculi, ſymphiti minoris, ſaniculæ, ſingulorum M. vj. ſem. fœniculi cum aqua euphraſiæ macerati ℥ j. Contuſa omnia cum mellis libra, fimo equino in olla noua ob-

ua obruantur dies vj. dein aqua arte chemica eliciatur.

℞ Tutiæ præparatæ ʒ ß. aluminis vſti, vitrioli vſti, vtriuſque grana iiij. ſacchari candi ℥ ß. lapidis calaminaris ſexies vſti & extincti aceto, & poſtremo in aqua fœniculi ℥ j. conficito puluerē tenuiſſim. tergendis & abſumendis oculorum albuginibus, & attenuandis craſſeſcentibus membranis cōmodiſſimum.

℞ Succorum chelidoniæ, euphraſiæ, & fœniculi, ſingulorum ℥ ij. ſacchari candefacti ℥ iiij. vitriol. vſti grana vj. Coquantur in ſyrupum oculis inſtillandum ex interuallis.

℞ Vnguenti de tutia ℥ ß. cui adde vitrioli vſti, aluminis vſti, vtriuſq; grana ij. ſaponis alb. ʒ j. conficito linimentum.

℞ Calcis viuæ ℔. ß. fecis vini ſiccæ & calcinatæ ℥ iiij. diluito in lixiuio claro cineris filicis & corticis fraxini, dein ſæpius tranſcolato, ac tandem per feltrum lixiuium elicito limpidum, denique vaſe æneo ad mellaginem coquito. Elephantica omnia tubercula exterit.

Aliud dolore moleſtius.

℞ Sublimati ʒ j. pul. mercurii ʒ ß. vnguenti roſat. deſcriptionis Meſues paulum, vt fiat linimentum.

Diſciſſa tubercula in cruſtam indurat, qua decidua adæquatæ parti cicatrix inducitur.

Aliud emplaſtri forma.

℞ Vitrioli calcinati, auripigmenti vſti, vtriuſque ʒ ij. emplaſtri de ceruſſa ℥ ß. malaxentur ſimul cum vnguento roſ. Meſue, fiat emplaſtrum, cuius portiuncula, diſciſſis elephanticorum tube-

ribus, præmunita refrigerant, & emplaſtico præſidio vicinia, ne medicamenti acrimoniam & feruorem ſentiat, imponetur.

Emplaſtrum quod maculas Elephanticorum cutem deturpantes extirpat.

℞ Cantharidum pul. ℥ ß. ſaponis nigri q. ſ. vt vnguenti fiat conſiſtentia cum aceto modico, imponito ac ſinito dum veſica extuberet, ſuperdato tamen emplaſtico remedio, quod veſicatorium contineat.

Simplicia ad balneum Elephanticorum.

℞ Maluæ violariæ, parietariæ, acanthi, ſingulorum M. iiij. fumiterræ, morſus gal. vtriuſq; M. vj. radicum altheæ, ſem. lini, vtriuſq; ℔. ij.

Vnguenta Elephanticis à balneo illinenda.

℞ Succi fumiterræ ℔. ß. aquæ roſ. ℥ iiij. rad. ſerpentariæ maioris ℥ ij. Coquito dum radix contabuerit, & ſuccus pene abſumptus ſit: terito, dein adde axungiæ porci, butyri recentis, axungiæ capreoli, ſingulorum ℥ iiij. hydrargyri præparati ℥ iij. ß. caphuræ ʒ ij. fingito linimentum.

Vel ſic:

℞ Butyri recentis ſalis expertis, axungiæ porci purgatæ, vtriuſque ℥ iiij. eluito ſæpius in ſucco fumiterræ, vel ſi hyems eſt, in aqua roſarum, dein addito, ac diligenter permiſceto argenti viui perpurgati ℥ ij. ß.

Catapotia ex hydrargyro quæ retorridæ bilis, & omniũ acrium ac malignorum humorum ferociam domant & compeſcunt, eoſque ſenſim expurgant, nullo ventriculi incommodo.

℞ Argenti viui cum panis adhuc calentis mica, manibus vt plumbaginem deponat ac expurgetur, diu ſubacti ℥ j. ß. longa agitatione exacte miſceto cum ſucci limonum momento, & olei è myrrha deprompti, ſemuncia adiecta terebinthinæ Venetæ, aqua roſ. elotæ ʒ ß. his poſtea adde auri puriſſimi præparati in tenuiſſimum pollinem, vel ſi id deſit foliorum auri ℥ ß. ambaris ℈ j. pul. elect. Diamarg. frigidi & triaſantalon ſimpl. vtriuſque ʒ ij. aloes ℥ j. ß. fingito maſſam cum ſequenti magmate.

℞ Foliorum ſennæ integrorum ℔. j. rhabarb. in fruſtula diſſecti ℥ iiij. rad. arefactæ & tuſæ, hellebori nigri noſtratis ℥ j. diem vnum macerato in œnoſtagmate, quod dein exprimito & vitreo vaſo exceptum, adiecta ſacchari pari portione in diplomate exhalare ſinito, dum magma melaginem referat. Remedii huius doſis fuerit ʒ ß. aut ℈ ij. quindecim alternis diluculis, tribus horis ante cibum catapotiorum ſpecie.

Calidis naturis commodius erit, quod ſic habet.

℞ Hydrargyri à plumbagine repurgati ℥ j. exacte miſceto atque extinguito in æquis partibus ſyrupi de limonibus & de ſucco ſaluiæ, adiecta terebinthinæ in aqua roſ. elotæ ʒ ß. dein adde elect. Diamargaritiom frigidi & triaſantalon vtriuſque ʒ ij. pul. elect. tragacanthi frigidi ʒ j. ß. myrrhæ, cro-

ci, gentianæ, an̄. ℈ j. rhabarb. pul. ʒ. iij. aloes lotæ in aqua endiuiæ ℥ j. ß. auri præparati ℥ j. fingito maſſam, addendo ambaris, moſchi optimi, vtriuſque grana vj. ſyrupi de ſtœchad. q. ſ.

In re tenui aurum detrahitur.

Omnium remediorum Elephanticorum vires ſuperat catharticum noſtrum metallicum, acrem omnem ac ferinam humorum omnium qualitatem ac malignitatem mire obtundens, ac nihilominus blande adeo aluum ſoluēs, vt pueris & prægnantibus tuto dari poſſit. Conſtat ex hydrargyro & auro ſic permiſtis atque immutatis longa maceratione, vt vim catharticam aſſequantur. Vna autem & eadem opera & pituitam, ac craſſos omnes humores expurgat, & calidam ac ſiccam viſcerum conſtitutionem emendat, datur granorum ſex pondere. Hoc remedium Cadomi præparat Petrus Philippus, olim nobilis Typographus.

I. PAL-

Digitized by Google

I. PALMARII CONSTANTINI DE MORSV CANIS RABIDI ET HYDROPHObia, Liber.

Capvt Primvm.

E Vvlneribvs quę venenatorum animalium ictu aut morſu inferuntur, hic tantum eius, quod rabioſus canis infligit, curandi rationem trademus. Noſtra enim hæc frigidior regio, venenatis feris, quas & Gallia Narbonenſis, & Italia, calidioreſque alii terrarum tractus, frequentiſſimas alunt, deſtituta, inueniendorum aut explorandorum remediorum, quæ illarũ ictibus aut morſibus auxilientur, occaſionem nobis prorſus adimit. Rabies igitur Græcis λύσσα furor eſt, in quem quouis anni tempore, ſed ſub canicula maxime, canes aguntur, quemque cum ad homines, tum ad reliqua animalia contagione tranſferunt. Quum canis animal maxime iracundum ſit, ſi per æſtatis ardores, aut brumæ frigora frigidæ, potu prohibetur, bilis in eo inexplicabilem malignitatem contrahens, ipſum in rabiem agit. Quumque animal domeſticum & frequentiſſimum ſit, ſi rabie corripitur, ab eo cauere perquam difficile eſt: & ſi quempiam momordit, tametſi nulla grauia ſymptomata, niſi forſitan ex vulnere

dolor, protinus vrgeant, periculum tamen maximum ac ineuitabile imminet, niſi certis præſidiis confeſtim obuiam itur, quippe venenum in partem morſu vulneratam infixum ſi ſinitur, ſenſim ac clanculum in totum corpus irrepens omniaque contaminans,& in ſui naturam deprauans,tandem hydrophobiam ac breui mortem accerſit. Canis autem alias ſponte intimoque vitio, alias alterius canis rabioſi demorſu, interdum deuorata animalis rabie aut peſte demortui, aut putidi, aut fulmine percuſſi, aut venenato morſu interfecti carne, nonnunquam & aquarum fœtidarum potu,& ſalſorum acrium & calidorum ciborum eſu, furorem concipit. Accedit etiam ingenita quædam canis ipſius ad rabiem proprietas atque propenſio. Neq; vero canes temperamento calidi & ſicci, atque in iracundiam propenſi, per æſtatis duntaxat flagrantiſſimos æſtus, ſed etiam per intolerabilia brumæ frigora ſponte in rabiem efferuntur: vtraque enim ambientis conſtitutio licet contraria, eundem tamen effectum profert: Nam vt calida, ſic etiam gelida ſanguinem perurere ac torrefacere ſolet: Sic vero exuſtus ſanguis venenata labe, quæ rabiem infligat, poſtea facile inquinatur: idque maxime contingit, quum vel longiori inedia inareſcunt, vel ſalſis poculentis aut eſculentis ſeſe replent, vel poſt vehementes labores atque exercitationes bibere prohibentur. Iaque regiones in quibus maximæ & inæquales ambientis mutationes inordinatæ fiunt, aut in quibus & gelidiſſimæ hyemes, & ardentiſſimæ æſtates ſunt, morbo huic maxime patent. Et quamuis (ſi Galeno lib. 6. de loc. aff. credimus) ſoli canes abſque morſu & contactu, interna

Digitized by Google

terna humorum corruptela, & vitio in rabiem agantur, quæcunque tamen animalia ab his demorſa fuerint, vt ſimiæ, ſues, feles, boues, equi, oues, muli, vulpes, lupi, & reliqua, rabie corripiuntur: ita enim aliquando ruri commorantes, fieri in omnibus fere animalium generibus obſeruauimus, tantamq; eſſe eius veneni perniciem, vt non morſu modo, ſed ſolo etiam contactu, rabidi canis ſaliua rabiem excitare, & hydrophobiam parere viſa fuerit: Interdum etiam inquinati & furore perciti oſculum contagione inficit. Quod ita habere certa comprobauit, atque mihi fidem fecit experientia. Cum enim ruſticus quidam rabie percullſus furiiſque agitatus ſibi è viuis breui migrandum eſſe intelligeret, aſſidentes qui eum vinculis conſtrictum tenebant, in furoris intermiſſione obnixe rogauit, vt quos mox deſerturus eſſet liberos, ſibi deoſculari liceret: quod quum ei fuiſſet conceſſum, liberiſque oſcula libaſſet, præfocatus eſt: ſed ecce ſeptimo poſt die liberi eodem morbo correpti, eiſdemque cruciatibus torti, breui miſerrimam vitam cum morte commutarunt. Vidi præterea ex ſtraminis, in quod rabie perciti ſues decubuerant, eſu, equos, boues, oues, & reliqua animalia, quæ ſtramentum deguſtaſſent, rabiem contraxiſſe, tandemque periiſſe. Obſeruaui lupos viginti rabie percitos, eodem fere tempore è ſylua egreſſos in omnis generis animalia obuia magna ſtrage debacchatos fuiſſe, paucaque ex iis, quæ demorſa fuerant euaſiſſe. Sed canis frequentiſſime hoc morbo conflictatur ac perit. Iam vero furentem ac rabioſum canem his ſignis ab aliis internoſces.

Rabidus canis, toto corporis habitu & tempo-

ramento immutatur, gracilis & ſiccus euadit, ſiticuloſus quidem eſt, non tamen bibit, plerunque anhelat, oculis rubentibus & inflammatis, horrendo & toruo aſpectu, cauda & auribus demiſſis, aperto ac ſpumante ore, lingua exerta, eaque bilis colore infecta, contractis naribus, è quibus ſæpe fluit mucus aliquis. Eſculenta & potulenta auerſatur, ſed aquam omnium maxime, caput in alterutrum latus inclinat atque deprimit, triſtis & ſolitarius oberrat, neque Dominum agnoſcit. In obuios quoſque ſine latratu irruit, & æque feras homineſque, familiares & notos, pariter atq; ignotos mordet ac dilaniat, atque in id quodcunque obuium eſt, impetum facit. Modo huc atque illuc intempeſtiue ac inordinate, citraque modum vagatur & diſcurrit, deinde rurſus ſubito vel prorſus conſiſtit, vel ſegnius incedit. Suas enim morbus hic, pro febris, quæ illi perpetuo comes eſt, motu, exacerbationes habet, atque in remiſſione mutus fere & veluti ſomnolentus exiſtit. Reliqui canes ab eo diffugiunt, eique ſi repente fit obuiam, cedunt & blandiuntur. Qui momordit canis, ſi ita ſe gerit, rabidus cenſendus eſt. At ſi forte is rabidus ſit necne incertis adhuc ſignis ambigitur, nuces iuglandes contuſas in cataplaſmatis modum vulneri per integram noctem admotas, pullis gallinaceis in eſcam præbere iubent: & ſiquidem illi poſtridie mortui concidant, rabidum canem fuiſſe, ſin minus, nequaquam. Nonnulli panis fruſtum cruore qui ex vulnere manat, imbuunt, illudq; ſanis porrigunt canibus, quod ſi comederint, certo colligunt experimento, canem qui vulnus inflixit, rabidum non fuiſſe: ſi vero reſpuant, & alia ſigna concurrant,

rant, rabie percitum eſſe pronunciant. Sunt etiam qui micas panis ſanguine perfuſas gallinis comedẽdas exhibeant, quas (ſi canis in rabiem verſus fuerit) gallinis intra viginti quatuor horas mortem afferre contendunt, quarum rerum me nunquam periculum feciſſe ingenue fateor: cum tam multa eaque fidiſſima rabie perciti canis argumenta ſtatim ſe prodant, vt huiuſmodi experimentis non ſit opus. Iam vero ex illato vulnere vbi parum opportune occurſum eſt, aquæ timor (Ὑδροφοβίαν Græci appellant) naſci conſueuit, miſerrimum profecto mali genus, in quo ſimul æger & ſiti & aquæ metu cruciatur,& in canis rabioſi modum furit, atque in obuios quoſq; debacchatur. Rabiei autem cauſa cenſetur maligna & venenata eaque cæca & inexplicabilis qualitas è rabioſo cane, in partem demorſu apertam, vel ſaliuæ contagione infectam, inſerta. Ea autem quoniam ſpumoſæ rabidi canis ſaliuæ inſidet, in integram cutem ſi inciderit, nihil ſiniſtri tantopere metuendum hortatur,modo ſtatim probe deterſus & elotus fuerit locus: neque enim denſa & adſtricta epidermis craſſiorum venenorum (cuiuſmodi eſt venereum,elephanticum & rabioſum) vim humori inſidentem protinus altius in corpus penetrare ſinat, niſi vel fiſſa vel dilacerata ſit: alioqui vulnera demorſu illata quis vnquam ex veterum præſcripto ſugere audeat? At in partem demorſu vulneratam quum incidit venenum, tempore membratim inſinuatum, non ſolum humorum & ſpirituum, ſed etiam viſcerum cõſtitutionem ſenſim peruertit ac labefactat, dum tandem victoriam conſequutum, in corde vitæ principio triumphet, in eoque accenſum mani-

feſta ſui furoris edat ſymptomata, qualia ordine recenſebo.

Imminentis aut præſentis hydrophobiæ cauſa.
Cap. II.

Antequam hydrophobia inſiliat, multa illam præcedunt atque prænunciant. Demorſus ſolito triſtior & cogitabundus eſt, hominum conſuetudinem, conſpectumque fugit, multa animo fingit & obmurmurat: perturbata atque à ratione abhorrentia, eaque fere triſtia obloquitur. Iracundia ſæpius ardet: ſomnus deliriis interturbatur, leues quædam extremorum conuulſiones ac retractiones ex interuallis fatigant, ſitis & oris ſiccitas moleſta eſt, vox rauceſſit, facies rubet, oculi lumen refugiunt, & lachrymis nulla manifeſta cauſa madeſcunt. Hæc igitur cum in demorſis ſe prodent, hydrophobiam proximam putato. Eius vero iam factæ hæc ſigna ſunt. Mente capti quum ſint hydrophobia prehenſi, ſe ſuoſque ignorant, quo fit, vt modo huc atque illuc, in canis rabioſi morem impetu ferantur, modo velut ſomnolenti, ſtupidi ac languidi, vel ſubſiſtant prorſus, vel lento gradu incedant: atque horum alii ſine vlla furoris intermiſſione vexantur, alii remiſſionem habent. Fere autem exacerbationes recurrunt cum diſtentione neruorum, totiuſque corporis rubore, præſertim vero faciei. Soluuntur autem cum frigidiuſculo ſudore, languore quodam, & virium reſolutione. Omnes in exacerbationibus adeo furunt, vt in obuios quoſque inuolent, niſi arctis vinculis cohibeantur. In remiſſione multi miſeriam ſuam

ſuam agnoſcunt ac deplorant. Acceſſiones autem & ſæpius mouet, & exaſperat aquæ conſpectus, hactenus ignorata cauſa, niſi fortè eos exiſtimes, quoniam mentè non conſtant, id quod ſibi opem ferre poteſt non agnoſcere, ideoque aquam perhorreſcere, & ab eius potu abſtinere, hincque fieri, vt ob febrem qua intus vruntur, inareſcant & conuellantur, miſerrimoq; tandem mortis genere intereant. Non minus illos diſcruciat ſpeculi alteriuſve cuiuſlibet rei pellucidæ intuitus. Hæc enim omnia ingentiſſimis clamoribus, ac veluti canum latratu vociferantes, è conſpectu ſuo auferri poſtulant, quod ni confeſtim feceris, tremunt, ſudant, deficiunt animo, delirant, miroque pauore concutiuntur. Ego venenatæ rabiei cauſæ, quæcunque ea ſit, maximam cum aqua antipathiam ineſſe opiner: Nam prӕterquam quod eius conſpectus hydrophobiam celerius accerſit atque exaſperat, recens etiam inflictum vulnus, ea ſi abluitur, vix vllo poſtea remedio æger reſtitui queat, alte adeo aqua venenum eiuſmodi in corpus deiicit atque impellit. Quo commorſus quiſque deteriore eſt corporis conſtitutione & habitu, & quo impreſſum virus acerbius, hoc & citius hydrophobia prehendit, & crudelius diſcruciat. Non enim ſtato definitoque tempore illa exoriri ſolet, ſed alias quidem quarto, aut ſeptimo, aut nono à morſu die, alias decimoſeptimo, aut vigeſimo, plurimum quadrageſimo nonnunquam & ad ſeptimeſtre, aut etiam ad annum differri conſueuit. Narrant & aliquos poſt ſeptennium aquæ metu fuiſſe tentatos, vt quam vim in acutis morbis criticos dies Hippocrat. habere prodidit, eandem in huius inuaſione

& hebdomadas & menſes & annos nonnunquam obtinere credendum ſit: tametſi in hoc etiam, ſi quo in alio diuturno morbo criticorum dierū naturam vimque luculenter eluceſcere non dubito. Neque enim aliis, quam vel vere criticis, vel intercalaribus diebus exoriri deprehenditur, modo ne vltra annum cunctetur. Quam cæcam & inexplicabilem hydrophobiæ cauſam diximus, quidam non niſi immodica ſiccitate, qua totius corporis habitum immutet, nobis noxiam & venenatam eſſe prodiderunt. Quod ſi verum eſt, quomodo impendens ea ſiccante cancrorum cinere, aut alexipharmaco noſtro prohiberi, vel iam genita, penitus extingui poteſt? Alii hydrophobiam inſaniæ ex atra bile ſpeciem autumant, ob eam quæ venenatæ huius cauſæ cum atrabilario humore interceſſit, ſimilitudinem & ſymptomatum affinitatem, quorum iuſtior videtur opinio. Hydrophobici namque perinde atque melancholici, & ab atra bile inſanientes, quanquam alii alia timent, fugiunt atque perhorreſcunt, omnes tamen multa falſa & commentitia, eaque fere triſtia animo fingunt atque comminiſcuntur. Neque enim aliam ob cauſam eos vel ſpeculum, vel aquam fugere & auerſari, veteribus veriſimile viſum eſt, quam quod canis qui eos momorderit imaginem in iis ſe videre exiſtiment, cuius aſpectu terreantur, nec alia ratione canū more latratus edere, aut obuios quoſque dentibus impetere, quam quod ſe factos canes opinentur. Sed huius rurſum metamorphoſeos abdita & occulta cauſa eſt.

DE

DE PRÆCAVTIONE ET CVratione hydrophobiæ, Cap. III.

PLvrima veteres ad præcauẽdam hydrophobiam remedia literis ac memoriæ commiſerũt: ad eam vero iam natam profligandam, perpauca. Illa efficacia eſſe multorum fide confirmatum eſt: hæc fere ſemper irrita longo medẽdi vſu comperta ſunt. Nam & Dioſcorides ex iis, qui iam hoc vitium ſenſiſſent, neminem vnquam ſe ſeruatum vidiſſe teſtatur. Et Celſus hydrophobia oppreſſis in anguſto ſpem eſſe literis prodidit. Et noſtra hac ætate vulgus ea tentatos dum nullo remedio reſtitui poſſe reputat, vitæ pariter ac morbo ſtrangulatũ finem imponit. Triſte profectò & crudele nimium ſpectaculum. Niſi forte ex hiſtoria vnum aũt alterum euaſiſſe audiamus: ſiquidem Eudemus conualuiſſe quendam affirmat: Themiſonem etiam demorſum, quidam in hũc furorem incidiſſe & euaſiſſe fatentur. Referunt & alii philoſophum egregia animi conſtantia, aquæ pauore excuſſo, quam perhorreſcebat aquam, hauſiſſe, & malum tandem ita ſuperaſſe. Pauci itaque natæ iam hydrophobiæ diſcrimen euaſiſſe notati ſunt. Sed nec præcautionis ratio à veteribus tradita, in multis reſpondere comperta eſt. Quæ res effecit, vt poſthabitis medicis ad diuorum opem confugere cœptum ſit. Sed poſteritatis induſtria certum iam & minime fallax alexipharmacum inuẽtum eſt, quod & futuram hydrophobiam anteuertere, & præſentem extinguere, cohibereque poſſit, modo inflictum vulnus capitis partes ore ſuperiores nõ attigerit, aut aqua elotum fuerit, alioqui in anguſto

ſere (quod veteres non animaduertiſſe miror) ſpes eſt. Quod antequam in reipubl. vtilitatem poſteritatis memoriæ conſecro, præcautionis ac curationis huius affectus rationem à veteribus pluribus traditam, paucis complectar. Non quidem, quod de noſtro antidoto, cuius vis eſt mirabilis diffidam, ſed vt iis quoque ſatisfaciam, qui poſteriorum induſtriam & diligentiam condemnantes, niſi quod à veteribus prodierit, nihil profuturum putant. Veteres igitur præcautionis duos ſcopos ſtatuerunt: quorum prior venenum demorſæ parti impactum introque ſubiens reuellere & extrahere, alter autem impreſſam partibus quas iam attigerat, malignam affectionem delere hortatur. Illud præſtant cucurbitulæ, cornua quibus nonnulli illarum loco vtuntur: oris ſuctio, vſtio quæ vel igne, vel ſeptico medicamento fit: deinde calefacientia & vehementer attrahentia medicamenta, vnguenti aut cataplaſmatis, aut emplaſtri forma admota. Hoc vero efficiunt antidota & alexipharmaca quædam tota ſubſtantia, & occulta proprietate veneno corpori inſerto aduerſa, de quorum vſu paucis diſſerendum. Quum primum inflictum vulnus eſt, cucurbitulæ cum multa flamma affixæ, id adiumēti præſtant, vt veneni vis cum ſanguine extrahatur. Quod ſi forte ab illato vulnere ante cucurbitulas aliquot effluxerint horæ, ſæpius illas admouere præſtiterit, & viciniam altioribus vlcuſculis ſemel atque iterum ſcarificare, non ſolum vt copioſior ſanguinis vacuatio prohibeat, ne venenum membratim in corpus inſinuetur, ſed etiam vt ſi forte iam altius illud ſubierit diſſecta cute cucurbitulis validius reuocetur. Si forte cucur-

Digitized by Google

cucurbitulæ demorſæ parti non poſſint agglutinari, aut ſi deſint, poſt ſcarificatum quam copioſiſſimus ſanguis effluere ſinatur. Deinde ſicca ſpõgia quicquid in vulnere ſupererit exugatur: poſtremo vnguentum aut cataplaſma, aut emplaſtrum aliquod ex iis, quæ excalfaciunt, & valenter attrahunt, imponatur: cuiuſmodi ex alliis, aut cepis, aut vtriſque ſub prunis coctis, adiecta theriaca aut mithridatio, aut vtroque confici ſolet, quibus & ſal & fermentum nonnunquam miſcere contulerit. Stercus columbinum cum ruta viridi ſubactũ, non minus vtile quam paratu facile remediũ eſt. Quin & ſinapi cum nucibus iuglandibus, allio crudo ſale & melle piſtum, cataplaſmatis loco vulneri commode imponitur. Maiorem artis oſtentationem præ ſe ferunt, quæ è dictamo, magnete, thapſia, ſulphure, aliiſq; longius petitis medicamentis calfacientibus, & vehementer attrahentibus concinnantur emplaſtra vel cataplaſmata: quorum infinita exempla facile ſibi comparabit, qui vel leuiter in artis operibus verſatus eſt: quæ omnia & virus potenter euocant, & quominus vulneris labra præpropere coaleſcant, impediunt. Galenus iſtorum loco theriacam oleo roſato ſolutam recenti vulneri indebat: Veteres non ita maiora vulnera verentur vti minora, & vlcuſculis cutis ſimilia. Quippe è maiori vulnere confertim copioſus ſanguis manans, virulenti liquoris nonnihil exhaurire poteſt, quod minoribus non accidit. Quin à maioribus abſcedentes carnes auferre, & labra ſcalpello abſcindere, & prehenſam hamulo carnem amputare licet. Itaque exigua quum erunt, arte amplificabuntur, carne multo interuallo, orbiculatim ſi pars

commode ferat, præciſa, ne facile ad cicatricem vlcus perueniat, ſed diu pateſcat, vt per ipſum virus emanet. Cucurbitæ loco, nonnulli vulneratæ partis ſuctionem commendant, ſed cum periculi plena ſit, nemini eam tentare ſuaſerim. Alii gallinarum viuarum podicem vulneri admouent, quæ ſi moriantur, venenum extractum eſſe arbitrantur: alii pullos gallinaceos, aut columbinos viuos per medium diſſectos demorſæ parti adhibent eadem ratione, alias quidem poſt cucurbitulas, alias ſine his. Horum omnium calor demorſæ partis calorem langueſcentem erigens, ipſum pariter ad depellendum venenum ſuſcitat, idque allicit & euocat. Poſt cucurbitulas vſtionem expeditiſſimum remedium cenſuit Dioſcorides, tum quod ea virus domet, & intromitti penitius non patiatur, tum quod diuturnum vlcus relinquat, per quod virus diu effluat. Vſtionis vicem ſupplent, ſeptica & exedentia medicamenta, cuiuſmodi multa adurere, & cruſtas vlceribus inducere vſus comprobauit. Inter ea vſurpant nonnulli argẽtum ſublimatum vnguento aliquo refrigeranti miſtum. Nam præterquam quod omnium vehementiſſime adurit, cruſta etiam ab eo inducta, exuſtaque caro citiſſime excidit: quod in hoc affectu perquam neceſſarium eſt, ne diutius ſub cruſta cohibitum virus exitum non habens, in corporis intima conuertatur. Nudatum cruſta vlcus dies minimum quadraginta apertum ac patens eſſe volunt. Quamobrem attrahentia & valde extergentia vnguenta aut emplaſtra inducunt, cuiuſmodi ſunt, tum quæ ſupra poſuimus, tum quæ ex pice, tapſia, ærugine, calcantho vſto, argento viuo præcipitato, aliiſque eiuſ-

dem

dem claſtis confici poſſunt. Qui dolorum metu ignem & ſeptica medicamenta contemnunt, poſt cucurbitulas lixiuio vlcus accurate abluunt, deinde cataplaſma è cinere ſarmentitio cum aceto ſubacto imponunt, aut theriacam ol. roſaceo dilutam. Nonnulli & ſale aut præcipitato mercurio inſpergunt, aut ſalſamentum ſuper vulnus deligāt, omni cura & diligentia demorſæ partis inflammationem protitantes, vt humores ad eam maiori impetu confluant. Quæ ad partem demorſam pertinent remedia ita ſe habent. Verumenimuero ſi ea, quæ retulimus auxilia primis diebus prætermiſſa fuerint, nec ſcalpro carnem incidere, nec vſtionem experiri operæpretium eſt. Neq; enim quod iam altius penetrauit, inſeditque viſceribus, illa reuocare poſſint, ſed nullo profectu corpus dolorib. proſternunt.

Alter igitur curationis modus accedat. Catharſim his tantum opis ferre teſtatus eſt Dioſcorides, vt quidam qui iam aquæ metum ſentirent, ſumpto elleboro ſimul ac primum morbi impetum experirentur, fuerint ſeruati. Quocirca eo non ſemel atque iterum, ſed frequentius ante quadrageſimum diem, vel etiam poſt hoc tempus, cum fiducia vtendum præcipit. Addunt nonnulli canes rabioſos elleboro cum polenta accepto vomuiſſe, & ſtatim à rabie liberatos ad ſe rediiſſe. Quin & hieram, quæ colocynthidem recipit, non parum commendant. Hæc enim omnia quoniam vehementer mouendo corporis habitum tranſmutant, ab hydrophobia liberare poſſe. Eadem de cauſa & ſudores conferre arbitrantur. Auicennas primis diebus catharticis abſtinet, poſtea vero purgantia

commode ferat, præciſa, ne facile ad cicatricem vlcus perueniat, ſed diu pateſcat, vt per ipſum virus emanet. Cucurbitæ loco, nonnulli vulneratæ partis ſuctionem commendant, ſed cum periculi plena ſit, nemini eam tentare ſuaſerim. Alii gallinarum viuarum podicem vulneri admouent, quæ ſi moriantur, venenum extractum eſſe arbitrantur: alii pullos gallinaceos, aut columbinos viuos per medium diſſectos demorſæ parti adhibent eadem ratione, alias quidem poſt cucurbitulas, alias ſine his. Horum omnium calor demorſæ partis calorem langueſcentem erigens, ipſum pariter ad depellendum venenum ſuſcitat, idque allicit & euocat. Poſt cucurbitulas vſtionem expeditiſſimum remedium cenſuit Dioſcorides, tum quod ea virus domet, & intromitti penitius non patiatur, tum quod diuturnum vlcus relinquat, per quod virus diu effluat. Vſtionis vicem ſupplent, ſeptica & exedentia medicamenta, cuiuſmodi multa adurere, & cruſtas vlceribus inducere vſus comprobauit. Inter ea vſurpant nonnulli argẽtum ſublimatum vnguento aliquo refrigeranti miſtum. Nam præterquam quod omnium vehementiſſime adurit, cruſta etiam ab eo inducta, exuſtaque caro citiſſime excidit: quod in hoc affectu perquam neceſſarium eſt, ne diutius ſub cruſta cohibitum virus exitum non habens, in corporis intima conuertatur. Nudatum cruſta vlcus dies minimum quadraginta apertum ac patens eſſe volunt. Quamobrem attrahentia & valde extergentia vnguenta aut emplaſtra inducunt, cuiuſmodi ſunt, tum quæ ſupra poſuimus, tum quæ ex pice, tapſia, ærugine, calcantho vſto, argento viuo præcipitato, aliiſque eiuſdem

dem claſſis confici poſſunt. Qui dolorum metu ignem & ſeptica medicamenta contemnunt, poſt cucurbitulas lixiuio vlcus accurate abluunt, deinde cataplaſma è cinere ſarmentitio cum aceto ſubacto imponunt, aut theriacam ol. roſaceo dilutam. Nonnulli & ſale aut præcipitato mercurio inſpergunt, aut ſalſamentum ſuper vulnus deligāt, omni cura & diligentia demorſæ partis inflammationem proritantes, vt humores ad eam maiori impetu confluant. Quæ ad partem demorſam pertinent remedia ita ſe habent. Verumenimuero ſi ea, quæ retulimus auxilia primis diebus prætermiſſa fuerint, nec ſcalpro carnem incidere, nec vſtionem experiri operæpretium eſt. Neq; enim quod iam altius penetrauit, inſeditque viſceribus, illa reuocare poſſint, ſed nullo profectu corpus dolorib. proſternunt.

Alter igitur curationis modus accedat. Catharſim his tantum opis ferre teſtatus eſt Dioſcorides, vt quidam qui iam aquæ metum ſentirent, ſumpto elleboro ſimul ac primum morbi impetum experirentur, fuerint ſeruati. Quocirca eo non ſemel atque iterum, ſed frequentius ante quadrageſimum diem, vel etiam poſt hoc tempus, cum fiducia vtendum præcipit. Addunt nonnulli canes rabioſos elleboro cum polenta accepto vomuiſſe, & ſtatim à rabie liberatos ad ſe rediiſſe. Quin & hieram, quæ colocynthidem recipit, non parum commendant. Hæc enim omnia quoniam vehementer mouendo corporis habitum transmutant, ab hydrophobia liberare poſſe. Eadem de cauſa & ſudores conferre arbitrantur. Auicennas primis diebus catharticis abſtinet, poſtea vero purgantia

propinat, ſi cacochymum corpus ſit. Sunt tamen qui nec validiorum catharticorum, nec venæ ſectionis vſum, nec ſudorum promotionem idcirco admittant, quod elleborus & colocynthis, & reliqua omnia vehementer purgantia, maleficum rabioſi canis virus (ſiue demorſo tantum loco, viciniſque partibus affixum erat, ſiue altius iam irrepſerat) vna cum vacuando humore noxio exagitent, & à corporis ambitu ad interiores eius partes (à quibus in cor & viſcera facile illabitur) conuertant: verendum enim ne carnibus, aliiſque ſolidis partibus in tranſitu obhæreat, & quicquid attigerit, contaminans, in præſentiſſimum hydrophobiæ periculum laborantem coniiciat. Eandem de venæ ſectione, & ſudorum prouocatione, ſententiam ferunt: quod vniuerſi corporis humores exagitent atq; confundant, & rabidi canis virus (quod alioqui intus ſopitum ſine incommodo diu forſitan latuiſſet) commouent, manifeſto hydrophobiæ diſcrimine. Niſi forte in externa aliqua parte contractum vulnus eſt, è qua, nulla reliqui corporis perturbatione, ſtatim poſt demorſum reuulſionis ergo ſanguis detrahi poſſit, puta in crure, tibia, brachio aut manu. His quidem rationibus cōtendunt catharticis medicamentis, & venæ ſectione neminem ab hydrophobia, aut venerea lue, aut alio venenato morbo, ſi inſertum in corpus iam virus eſt, vindicari poſſe, ſed alexipharmacis opus eſſe contraria veneno vi, eaque cæca & occulta agentibus. Multos tamen nouimus ruſticos, qui vehementi propinato pharmaco, quod vna eademque opera vomitione & deiectione ſuperuacanea omnis generis è corpore excluderet, totiuſq; corporis

poris habitũ immutaret, demorſos ab hydrophobia arcerent: cuiuſmodi eſt, quod è ruta, abſynthio, allio, bellide minore, calendula, meliſſophyllo, pauco elleboro nigro, ſale & aceto potionis forma conficitur, tribuſque diluculis alternis repetitur. E multis autem internis præſidiis, à tota ſubſtantia & occulta proprietate agentibus, quæ veteres demorſos à cane rabido ab hydrophobia tutos reddere prodiderunt, duo Galenus efficaciſſima ſelegit, theriacam & cancrorum fluuiatilium cinerem. Theriacam hoc mali genus tollere, tum extrinſecus vulneri impoſitã, tum introſumptam, ſcriptum reliquit. Aetius illam in potu dat per primos tres dies, nucis auellanæ magnitudine, neminem qui ita eam hauſiſſet, hydrophobia correptũ ſe vidiſſe affirmans. Theriacæ vires proxime imitatur mithridatium. Fluuiatilium cancrorum exiccatorum cinerem ſubſtantiæ proprietate mirabilem in his, qui à rabioſo cane ſunt demorſi, effectum præbere, ſiue ſolus ſiue cum gentiana & thure exhibeatur, ex præceptoris ſui ſententia tradit Galenus. Thuris partem vnam eſſe vult, quinque gentianæ, cancrorum decem: præberique modum cochlearis magni cum aqua bibendum, quotidie diebus quadraginta. Quod ſi aliquot poſt dies curam ceperis, duo cineris cochlearia miſceãtur. Celeberrimum hoc ex cancris antidotum, ſi menſe auguſto præparetur, efficacius eſſe tradit Aetius: & in vaſe æris rubri lignis vitis vri præſtare contendit. Auicennas & alii, quo tempore ſol leonis ſignum peragrat, cancros & capi & vri, non parum ad eius efficaciam facere contendunt. Omnes in hoc conueniunt, quocunque tempore vel ca-

piantur, vel vrantur, eorum cinerem, vel ſolum ſumptum hydrophobiam arcere. Interim vero dũ eo vtuntur, ad vulnus emplaſtrum applicant, quod ex pice brutia, opopanace acetoq; conficitur. Cancrorum puluere qui recte vſus ſit, neminem vnquam mortuum fuiſſe affirmat Galenus. Dioſcorides cineris cancrorum in ſarmẽtis albæ vitis crematorum bina cochlearia, ſingula vero radicis gẽtianæ tritæ & excretæ, in quaternos cyathos vini meraci coniicienda præcipit, quatriduo bibenda. Quod ſi ab illato morſu, ante cœptam curationẽ, aliquot dies fluxerint, à triplicato pondere, curationem auſpicandam iubet. Quidam inter præcipua huius morbi præſidia, aſſum canis qui momordit iecur commemorant, idcirco eo cocto demorſum vti triduum præcipiunt, & certe aliquot ruſticorum, qui id poſt demorſum eſitarunt, experientia didici, eo remedii genere aquæ pauorem prohiberi: Senis cuiuſdam experimẽtum celebrat Aetius, quem demorſos à rabioſo cane ſola oxalide curaſſe teſtatur. Idem præſtare dicitur & oxylapathum. Decocto vulnus fouetur, magma vero aut herba ipſa vulneri inducitur, ſuccus cum vino aliquot dies bibendus datur, vrinam acrem & multam mouet, ac regium morbum expurgare dicitur hoc præſidii genus. Alyſſum herbam Græcis quod rabiem eximat ita nuncupatam veterũ ſcripta percelebrant: verum quæ nam hodie ea ſit recentioribus inter ſe non ſatis conuenit.

Cæterum victus ratio nec tenuis eſto, nec plenior, vtraque enim hydrophobiæ pabulum ſubminiſtrat. Tenuis humorum omnium acrimoniam adauget, biliſque feruorem accendit. Plenior excremen-

crementis putrere paratis natiuum calorẽ obruit. Quin eiuſmodi quoque ſit, vt & veneni vires hebetet, reſtinguatq;, & impediat quominus ipſum ad intima facile inſinuetur. Veneni vires reſtinguunt & hebetant alimẽta, quæ præterquam quod probe nutriunt, peculiari etiam dote veneno reſiſtunt & aduerſantur: cuiuſmodi ſunt quæcunque cor parteſque principes aduerſus ipſum muniunt atque corroborant, & natiuum calorem ſpirituſque recreant & erigunt. Veneni acceſſum intercipiunt, eiuſq; vires retundunt, & remorantur, quæ vias, quibus ad viſcera iter eſt, obſtruunt, & humorem in quo illud inhæreſcit, incraſſant, acrimoniãque contemperant. Itaque vinum deligatur generoſum, tenue, & odoratum, idque abunde diluatur. Carnes ſint boni ſucci, coctu faciles, interdum quidem aſſæ mali punici, aut medici ſucco conditæ, interdum vero elixæ cum bugloſſo, borragine, lactuca, portulaca, oxalide, pimpinella, calendula, plantagine, menta. Nam & horum iuſculum aduerſus omnes venenatorũm animalium morſus, aut ictus inſigniter prodeſſe, multorum fide & experientia certum eſt. Lactis quoq; potus, quum venenorũ omnium acrimoniam obtundat, commorſis haud negligendus, ſicut nec reliqua omnia, quæ probabili ratione & experientia, aduerſus venena, aut occultas, aut manifeſtas vires habere videbuntur. Nonnulli allia, porros & cepas idcirco commendant, quod & difficile in ventriculo confici, & ægre forſitan à veneno vinci poſſint. Sed tamen horum vſu humorum omnium acrimoniã, quam illi metuunt augeri manifeſtum eſt. Ira, excandeſcentia, mœror, & graues aliæ animi perturbatio-

nes, curæque omnes declinandæ, venus in totum intermittenda, dum ſuſpectum tempus præterierit. Hæc enim omnia quum corporis humores exagitent atq; conturbent, venenum in corpus præpropere impellunt. Aluus ſi quando pigrior videbitur, vel enemate, vel blandiore aliquo medicamento atram bilem ducente mollienda: Atq; hæc quidem ex veterum ſententia demorſis à cane rabido curatio decernenda eſt. Iam præſentaneum alexipharmacum noſtrum tradẽdum, quod ſolum neglectis catharticis medicamentis, omiſſa etiam quam modo diximus vulneris cura quocunque à morſu tempore vſurpetur, certiſſimum ac tutiſſimum exiſtit, vt quo nullum vnquam animal vſum viderim, quod non tam atrocis morbi periculum euitarit quacunque vteretur victus ratione, illæſis tamen capitis partibus, quæ dentes ſuperant: his enim vulneratis exigua ſalutis ſpes eſt, vt & vulnerata parte, ſtatim à morſu frigida elota.

℞ Foliorum rutæ, verbenæ, ſaluiæ minoris, plãtaginis, foliorũ polypodii, abſynthii vulgaris, mentæ, artemiſiæ, meliſſophyli, betonicæ, hyperici, centaurii minoris, ſingulorum æquale pondus. Legantur ſingula, quo tempore viribus pollent maximis, quod ad Iunii fere plenilunium, in hoc Galliæ tractu aſſequuntur. Papyraceis dein chartis concluſa ſiccentur ſeorſim in loco, ad quem neque ſol, neque pluuia pertingat, ne vel nimium exareſcant, vel ſitum contrahant. Siccata ad futuros vſus aſſeruentur, ea lege, vt quotannis renouentur. Quum autem vtendi neceſſitas incidet, ſingulorum æquale pondus in puluerem tenuiſſimum redigito, cuius ℥ ß. demorſis quotidie præbeto, idque vel ex cochlea-

cochleari cum duplo ſacchari, vel ex vino, vel ex pomaceo, vel ex iuſculo, vel ex butyro, vel ex melle opiatæ forma, ieiuno ſtomacho, & tribus horis ante cibum. Quanquam autem ſeſquidrachma aut drachmæ duæ ſatis ſint, tum homini, tum omni animali quantumuis crudeliter ſauciato, nihil tamē obfuerit ad tres, quatuorve proceſſiſſe, quum præſertim vel longo poſt demorſum tempore, vel nata etiam hydrophobia, curationem aggredimur. Qui hydrophobia iam correptus eſt, arcte vinciendus, vt quem dixi puluerem vino, aliove liquore ſolutū (nihil enim ad curationem refert) deglutire cogatur, ore etiam ſi opus ſit, vi adaperto. Satius autem fuerit in furoris intermiſſione quum mens integra eſt, remedium propinare.

Iam vero quum primum cōtractum vulnus eſt, ne in ſordidum vlcus degeneret, ſpongia aut ſiccis linteis exiccatum, vino aut hydromelite, in quo ſuprapoſiti pulueris ʒ ß. ſoluta ſit, bis, terve quotidie foueto: deinde vnguentum aut emplaſtrum inducito, quale aliis vulneribus ex vſu eſt, & ita ſaneſcere ſinito, nullo hydrophobiæ metu. Hæc dū fiunt, nec conſuetam victus rationem immutare, nec domi ſe continere, nec purgans medicamentū vſurpare neceſſe eſt, niſi forte ante cœptam curationem nata erat hydrophobia: ea quippe ſublata qui iam vitium fecerant corporis humores, partim expurgari, partim idonea victus ratione immutari debent.

Henrici ſecundi Galliarum regis venator, graui morbo decūbens, bona fide Ioanni Fernelio, præceptori meo amantiſſimo, aſſeuerauit pimpinellā ad præcauendam hydrophobiam tantam vim ob-

tinere, vt quicunque eam aliquot diluculis, vel in acetariis, vel alio quouis modo apparatam, poſt demorſum comederit, nihil inde incommodi ſentire poſſit: quod in canibus regiis ſe primum expertum fuiſſe dicebat, quibus demorſis illam fœlici ſucceſſu offerebat. Si quis igitur eam volet in brutis primum experiri, dein ſi reſpondeat, vt reſpondere in aliquot comperi, ad demorſos homines transferre, præſidium erit paratu facillimũ. Verumenimuero quum nullum hactenus animal noſtro alexipharmaco vſum ſit, cui non fœliciter ceſſerit, ſiue iam nata, ſed nõ vltra tres paroxyſmos, erat hydrophobia, ſiue ea ex demorſu metuebatur, fruſtra in aliis inueniendis tempus & operam poſtea luderemus. Huius autem præſtantiſſimi antidoti inuentio atque exploratio Iacobo Syluano Domino de pyrou viro antiquitate generis & nobilitate præſtanti, accepta ferenda eſt. Vellem interim argutulos quoſdam acerrimos abſtruſarum rerum, ſi diis placet, inueſtigatores, qui occultas medicamentorũ proprietates pro ignorantium aſylo reputãtes, eorum omnium, quæ in arte fiunt cauſam ad manifeſtas medicamentorum qualitates acceptam referunt, mihi indicarent, quomodo deſcriptus puluis calidus quum ſit, febrem tamen malignam, eamque continuam, delirio, aliiſque perniciosis ſymptomatis comitatam nulla excretione manifeſta profliget, atq; hydrophobiam tã facile vel præcauere, vel perſanare poſſit. Quinam, cedo, temperiei intemperieive gradus, omni animali, ætati, ſexui, & corporis conſtitutioni, ita reſpondeat, vt eundem effectum in omnibus producat? Sed valeant illi, & ad ſenium vſq; nihil præter intemperiem circumtonent.

tonent. Celſus vnicum hydrophobia oppreſſis remedium eſſe putat, nec opinantem ægrum in piſcinam, non ante ei præuiſam proiicere: Et ſi natandi ſcientiam non habet, modo merſum bibere pati, modo attollere: ſi habet, interdum deprimere, vt inuitus quoque aqua ſatietur. Verum ſi hyems erit, ne corpus infirmum in aqua frigida vexatũ neruorum diſtentio adoriatur, à piſcina protinus in oleum calidum demittẽdus æger eſt. Noſtrates hoc remedii genus ad præcautionem vſurpant, mare fluuiis præferentes. Hydrophobia iam oppreſſis, iſtam curationẽ infœliciter ceſſiſſe: at præcautionis gratia pleriſque profuiſſe, multorum experientia compertum eſt. Quanquam ne huic quidem remedio prorſus fidendum eſſe per multorũ mortes didicerunt populi maritimi. In pleriſque enim aquæ conſpectus hydrophobiam veneno in corpore commoto celerius exſuſcitat, quod alioqui ſine vllo ægri incommodo diutius deliteſcere, & alexipharmaco extingui, domarique potuiſſet.

FINIS.

REIPVBLICAE LVTETIANÆ PRÆFECTO, ET CÆTERIS PRVDENTISS. MODERATORIBUS, Iul. Palmarius, Medicus Pariſienſis S.

EX omnibus beneficiis, quæ D. opt. max. beneuolentia mihi adhuc adoleſcenti conceſſa memini, id iure maximum videri poſſit, quod ſtatim ex ephebis cum inciperem excedere, Philoſophiæ præceptis Lutetiæ inſtitutus, Io. Fernelium, medicorum omnium, quos hoc ſeculo Europa protulit, doctiſſimum, & editis libris clariſſimum, nactus ſim in medicina præceptorem, cuius familiaritate & conſuetudine, quo tempore Lutetiæ florebat, integrum decennium frui licuerit. Quid enim maius in ea ætate, aut quid optabilius mihi cõtigiſſet, quam eius artis, cui me deuoueram, tam peritum, tamque abſolutum, & excellentem artificem comparare, quo auſpice ad abdita quæque & cuiuis minime peruia artis myſteria aditum facilem mihi patere præuiderem? Ex iis igitur obſeruationibus, quas partim florente tanto præceptore, partim poſt eius obitum, vigintiquinque iam annos Lutetiæ medicinam faciens, de morborum omnium curatione conſcripſeram, ac mihi recondideram, eam quæ de peſtilentia eſt, libris de lue venerea auſpicio ſupremi Senatus in hominum conſpectum exeuntibus, attexere optimum iudicaui. Vt peſtilentia morbo-

morborum omnium ſæuiſſima & perniciosiſſima exiſtit, ſic medicum publicæ cōmoditatis amantiſſimum, ipſius proprium ac peculiare remedium accurate perueſtigare, & in multis par eſt periclitari. Qua in re Hippocratem & Galenum multum operæ ac laboris olim collocaſſe, ac nobis abunde ſatisfacere poſſe non dubito, ſi illorum monimenta omnia ad noſtra vſque tempora perueniſſent. Qui hos ſecuti ſunt Græci peculiares de ea Commentarios, qui etiamnum extāt, conſcripſerunt, quemadmodum & Arabes, & è recentioribus complures, ſed ſententiis ita diſcrepantibus, vt medicinæ tyronibus perquam difficile ſit, quem præcipue auctorem ſequantur, diſcernere. Alii enim peſtilentiam febris putridæ ſpeciem eſſe contendunt, ab humorum graui putredine ortam, cui non niſi catharſi, venæ ſectione, & refrigerantibus, ac putredinem arcentibus ſuccurratur, quæ tamen non propria peſtis, ſed communia putridarum omnium febrium ſunt præſidia. Ex iis rurſum alii ſolum ſanguinis ſerum in peſte putreſcere, atque corrumpi idcirco arbitrantur, quod detractus in peſtilentia pura & legitima ſanguis, floridus fere ac rutilus appareat, cum in aliis vere putridis febribus, putris plerumque atque corruptus detrahi ſoleat. Alii vero cordis ſubſtantiam aut ſaltem primigenium ipſius humidum in peſte putreſcere, atque idcirco hanc longe ſæuiſſimam eſſe pronunciant. Fernelius huius cauſam ab aliarum omnium febrium cauſis, ac vulgari putredine longe diuerſam arbitratus, ei propriam & peculiarem curationem inſtituendā cenſet, quam tamen præmatura morte ſublatus, literarum monimentis committere non potuit. Quæ opinionum varietas effecit, vt meam quoque de peſtilenti lue ſententiam, medicinæ ſtudioſis proponere non dubitarim,

Fernelii (cuius veſtigia ſequi ſoleo) opinioni conſentaneam , & multis experimentis comprobatam. Ea vero remedia , quæ in quamplurimis fœliciter ſit expertus, commendare ac celebrare ſolet vnuſquiſque. Ego quidem poſtquam exceſſi ex ſcholis Medicorum, & medicinam facere cœpi , Fernelii præceptoris mei exemplo, ad occultos & peruicaciores quoſque affectus, efficaciſſima præſidia arte ac methodo inueſtigare, atque experiri ſtudui , cuius laboris atque ſedulitatis nunquam me pœnitebit quicquid calumniatores obganniant maleuoli. Sic enim iam mihi profeciſſe videor , vt tandem aliquando multorum morborum , pro quibus vulgus diuos implorabat , peculiaria ac certa antidota adinuenerim, primuſque in vſum adhibuerim , aliis , quæ vel votis minus reſpondere, & quod pollicebantur minime præſtare, vel corpus violenter laceſſere atque exagitare deprehenſa ſunt , repudiatis. Non me latet citam adeo eſſe peſtilentiæ vim , tamque præcipitem occaſionem , vt remedia quæuis non raro claudat : hincque fieri vt docti & exercitati etiam Medici , ſedulo officio ſuo functi , non id aſſequantur ſemper , vt ægros è tam funeſto morbo reuocent ad ſanitatem : quoniam tamen cum ad valentis naturæ conatus opportune adiungimus remedia conſentanea , quamplurimos liberamus, quos morbi vis cito peremiſſet, noſtra opera non minus quam in aliis peracutis morbis , in hac lue neceſſaria cenſenda eſt. Sed eo iam res rediit , vt ea perculſi, aniculis, præſtigiatoribus , circulatoribus , atque ſortilegis non medicinam profitentibus ſalutem committant. Quid enim ? nonne Baſilicæ Lutetianæ moderatores nouitiis , atque idcirco imperitis , tonſoribus curandorum peſte corruentium prouinciam , curamque demandant? qui quum miſero ægrotanti opem ferre non

re non poſſint, ei tamen audaces & violentas manus intrepide admouere non dubitant, eumque crudeliter excarnificare, qui naturæ robore, venenati morbi vim frangere, ac forte periculum in quod medentis imperitia coniicitur, declinare potuiſſet. Quid cedo, miſerabilius aut deplorandum magis videatur, in Rep. bene inſtituta, quam populariter debacchante peſtilentia cernere, non dico infimam plebeculam atq; ipſam vrbis fæcem, ſed illuſtres quaſque familias peſte contaminatas, nobileſque ciues diuitiis affluentes, ab optimis & exercitatis quibuſque Medicis & Chirurgis miſere deſertos, opem ab iis poſcere, qui non niſi venenum porrigere poſſunt? Sic enim appello non modo intempeſtiue propinata omnia pharmaca, ſed etiam ſanguinis miſſionem, vel prætermiſſam, vel nec iure nec loco adhibitam. Quis neſcit horum imperitia orbatos eſſe vita quamplurimos, dum quos vexare non oportuit, erepto ſanguine labefaciũt, vel quos propinato alexipharmaco conueniebat erigere atque corroborare, porrecto cathartico diſſoluunt? Medicum, fateor, tonſoribus præficiunt: Sed qui è medicorum ſcholis vix emergens, incognita ſibi pharmaca in ægrotantibus periclitetur, quibus dolendi atque conquerendi nullus locus relictus eſt. Tandiu ad hæc vos conniuere nemo eſt, qui non miretur, quum præſertim aliis rebus, quas minoris facere oportuit, conſiliis veſtris ac ſententiis, optime conſultum atq; prouiſum videamus. Reperientur non pauci pii pariter & docti tum Medici tum Chirurgi, qui id muneris minime detrectent aut refugiant, ſi liberale honorarium quotannis perſoluatur. At quandiu nullum vel minimum pretium certo vitæ diſcrimini opponent, vix vllus laude dignus eam prouinciam ſubeat. Quis enim valetudinis iacturam, nulla

lucri aut honoris ſpe pellectus facere velit? aut quis exantlatos in Medicinæ ſtudiis tot labores nihili facere, ſeque gratis perdere adeo feſtinet? Immenſas ſæpe facient in rebus minime neceſſariis impenſas, & in hoc miſerabili Reipub. diſcrimine pecuniæ parcent? Xenodochii etiam OEconomi iudicio vtuntur præpoſtero, dum ægris in eo iacentibus medicum præficiunt, cui nec pharmacopœus adeſt, nec remediorum vlla materia ſuggeritur. Abſorbet illic peſtis innumeros, aliique morbi incredibilem ægrotantium multitudinem quotannis, vel repente iugulant, vel ſenſim tabefaciunt, qui ſi prudens & exercitatus Medicus, pio pharmacopœo, remediorum ſylua affluenti comitatus, medicinam faceret, ſaneſcerent. Non enim, vt par eſt, ad eos medicus quotidie adire, ac remedia, cum opus eſt, inſtituere, quod illa deficiant, ſed virgines duntaxat, quæ illis aſſident, ac myſtagogos, qui aliunde ſibi remedia parare poſſunt, ſemel aut bis menſe inuiſere ſolet, alii omnes à medico deſerti, citra auxilium aceruatim miſere corruunt.

Qui Italiam perluſtrare volet vix minimam vrbem reperiet, in cuius Xenodochio peritus Medicus & pharmacopœus ægris non aſſideant, publicis impenſis. Sed & alii ad curandos peſte correptos, liberali eoque annuo honorario inuitantur, quo ſe ac familiam honeſte liberaliterque ſuſtentent. Hos imitemini, ſi Medicos ac Chirurgos laude dignos tã periculoſam prouinciam vltro ſubire vultis. Quid enim opis miſellus æger ab alipta expectet, quem vi & legibus eo adigitis? Sed in multis aliis rebus antea etiam grauiter peccatum eſt, quæ maximi ſunt ad vrbis ſalubritatem momenti, de quibus quoque vos hoc loco commonefacere ſtatui. Sic igitur res habet. Celeberrima hæc Pariſiorum

Lutetia,

Lutetia, per ſe quidem ac loci natura, ſituque admodum ſalubris exiſtit, & peſtilentibus febribus parum obnoxia. Nam præterquam quod ſatis detecta, ſatiſque perflata eſt, & arenoſo ac ſicco ſolo ſita, hanc etiam Sequana nobilis fluuius alluit atq; bipartitur, qui cloacarum & macellorum inquinamenta, aliaque omnia vrbis purgamenta ſecum facile rapiat & expurget, ſi in eum (vt par fuit) ciuium induſtria deriuata fuiſſent: at eorum negligentia, quibus eius adminiſtranda prouincia commiſſa eſt, infinitis iam morbis, atque etiam peſtilentibus febrib. obnoxia euadit. Nam præter luti & cœni, quæ viis publicis aggeruntur, graueolentiam, cœnoſa præterea ac fœtida aqua omnes vrbis cloacæ redundant, quæ minime in proximũ Sequanam ſeſe exonerant. Sed aliæ quidem ad Templi, aliæ ad D. Martini, aliæ ad alias portas diuertũt: omnes vrbem & ſuburbia perreptantes, fœtido vapore viciniam inficiunt atq; contaminant, calido præſertim & æſtuoſo cœlo: ſed nec graueolentia vrbis purgamenta, quæ è viis publicis colliguntur ſatis procul ab vrbe aſportãtur, aut ſpecubus includuntur, verum in mediis ſuburbiis coaceruata putreſcunt, tetriſq; vaporibus aera replent & inficiunt. Cum iis namq; & demortuos canes ac feles, & altilium interranea: aliaque eius generis cadauera putria inferunt, quæ grauem admodum fœtorem expirant, qui vel ſolus inducere peſtem poſſit. Qui latrinas purgant, vix vrbem egreſſi, fœtidiſſima hominum ſtercora, iuxta vias publicas pone ſuburbia cumulant, aut iis vicinam terram ſtercorant, vnde omnia fœtore impleri neceſſe eſt, qui prætereuntibus pro ſuffitu ſit, ſeque in vrbem diffundat.

Adde vini & aceti faces reſiccatas extra vrbẽ exuri, ſed vix ad lapidis iactũ, vnde maleſico fumo vrbs

oppleri ſolet. Poſtremo coriarii omnes in media vrbe re-cepti ſunt, vbi fœtidiſſimo adipe dum coria inungunt, totam viciniam inficiũt. Deniq; Xenodochium publicum, in quod peſte correpti ſeſe recipiunt, in media vrbe ſitum eſt, prope ædem Mariæ ſacram, è quo peſte necati, in Trinitatis cœmiteriũ, quod à porta Dionyſiaca non longe abeſt, deferri ſolent per vrbem mediã. Multo plures hinc morbos, quam è cuiuſq; victu originem habere longa experientia compertum habeo, eoſque multo grauiores, quam eiuſdem generis diſperſos, qui à ſingulorum victu procedũt. Incredibile dictu quo fœtore feriantur, quicunq; per D. Martini, Tẽpli, Montis martyrum, & D. Victoris portas, in vrbem appellunt, vel ab ea recedũt, multoq; magis qui iuxta cloacas, aut prope collecta vrbis purgamenta ad Templi, D. Martini, aut montis martyrũ portas degunt, æſtate præſertim & autumno, quum illabente pluuia cloacæ minime purgantur, ſed in iis ſolis feruore vrbis purgamenta putreſcũt. Hæ autem putridæ ac fœtidiſſimæ expirationes, nõ modo prætereuntib. ac vicinis obſunt, ſed etiam vna cum aere in vrbem effuſæ, ſingulis matutinis ciuib. pro ientaculo ſunt, vere præſertim æſtate & autumno. Quippe noctis frigore denſantur in nebulas, quæ vel roris, vel craſſiſſimi vaporis ſpecie in vrbem relabuntur, populumq; male afficiunt. Quoties perflat Aquilo calida & ſicca tempeſtate, omnium cloacarum fœtorem ac ſtagnantium aquarum, quæ iuxta Templi, & D. Martini portas putreſcunt, halitus olidos in vrbẽ regerit atq; repellit, qui ſic vicinos quoſq; populos inficiat vix vt vllus in vicinis locis ſit, ſi veſperi fuerit ſub dio, qui vel raucitate ac faucium aſpredine, vel alio rheumatiſmo, vel febre non tentetur. Atq; vtinam regem auguſtiſſimum & ampliſſimũ Senatum Pariſienſem eadem re-

pur-

purgandæ, atq; ab iis omnibus inquinamentis vindicandæ vrbis, quæ eam veterum ædificiorum inſtauratione, nouorumq; ſtructura, atq; vicorũ anguſtiorum ampliatione decorãdi, cura ac ſolicitudo incitaret, nullus certe è ciuib. ſumptus in eam rem neceſſarios detrectaret. Ita fieret, vt vrbem quamuis copioſiſſimã, & hominum vndiq; affluentium concurſu frequentiſſimam, omnium quas Gallia ſuſtinet, & ſaluberrimã, & ornatiſſimam haberemus. Id vero eo facilius præſtari poſſet, quo regis ac Senatus decretis obſequentiores ciues complectitur. Quid igitur obſtiterit, quominus glorioſam, memorabilemq; rem hanc non ciuib. modo veſtris, ſed auguſtiſſimo etiam regi noſtro, atq; illuſtriſſimis Principibus vtiliſſimã ac gratiſſimam aggredi, ac perficere liceat? Quis neſcit regem optimum, alioſq; Principes, quandiu in vrbe degunt, (degunt autem propter ſummam vrbis celebritatem frequenter) in oxyporis, iuſculis, farciminibus, ac condimentis fere omnibus herbis vti ſecundum fœtidiſſimas iſtas cloacas naſcẽtibus, atq; idcirco maleficis? & quoties regia egrediuntur eundem nobiſcum aerem ducere, grauem nempe & fœtidum? adde cucumeres & pepones, eodem loco ſatos iiſdem in delitiis eſſe, vnde infinitorum morborũ ſeminaria contrahantur. Quomodo autẽ id fieri vel debeat, vel poſſit, communi conſilio optime ac facilime decernetis. Si tamen placet audire, quid ſenſerint graues & rerum vſu periti viri, publicæ vtilitatis ſtudioſi, quos ſæpe de hac re differẽtes vidi, paucis dicã quod illi explicabant plurib.

Quotidie mane è ſingulis domibus aliquot aquæ ſitulæ pro forib. in pauimentum proiiciantur. Scopis vicinia mox eluatur, hæcq; ſit prima reſeratis foribus ancillarum aut ſeruorũ opera. Si quis ſecus faxit, in ſingulis vicis ciuis eſto, qui deferat, vt mulcta plectatur.

Hac arte non modo vrbis pauimentum hyeme pariter ac æſtate à cœno & luto vindicabitur, ſed etiam cloacæ, quarum fœtor vrbem inficere ſolet, appoſite repurgabuntur. Nam præterfluens aqua omnia vicorum & cloacarum inquinamenta eluet, ſecumque rapiet in Sequanam, ſi modo publicis impenſis cloacæ omnes, quod ſatis erit, dilatentur, ac ſilicibus apte conſternantur: & quotidie mane dum proiecta pro ædium ſingularum foribus aqua in cloacas confertim irrumpet, aliquot vilioris conditionis homines publicis impenſis præſto ſint, qui ſcopis, aliiſque inſtrumentis craſſiores ſordes omnes, cum aqua propellant, atque impetum aquæ ſecuti, protrudant in Sequanam. Iam vero craſſiora vrbis purgamenta, ſordeſque omnes reliqua domibus aſſeruentur, ac curribus, vt in more eſt, extra vrbem vehantur, ſed longius: ac foueis in id paratis condantur, maximeque latrinarũ omni fœtore olentiora purgamenta, ne ſi iis terra vrbi vicina ſtercoretur, tetris exhalationibus aerem inficiant: longius ab vrbe vini & aceti faces reſiccatæ exurantur, ne graui ac malefico fumo vrbem, vt aſſolent, oppleant. Coriarii omnes extra vrbem pellantur. His vbi prouiſum fuerit, Xenodochium extra vrbem aliquando exædificabitur, vt prorſus nitida, & ab omni fœtore repurgata vrbe, ciues meliore valetudine fruãtur. Vos igitur per Deum immortalem oro atque obteſtor, vt his rebus prouidendi, atque publicæ vtilitati conſulendi poteſtatem à Rege impetretis, huncq; honorem feſtinanti poſteritati præripere properetis.

Valete.

AD

AD D. PALMARIVM
Medicum.

DVM tua, Palmari, tranquillas vela per vndas
Proueheret famæ mitior aura tuæ:
Ecce tibi ſurgens gladio metuendus Orion
Intonat, & toto fulminat enſe polo.
Inde ſoluta quies conuulſaque fœdera rerum,
Cum pelago cœlum bella tumente gerit.
Quid tibi tunc animi feruens cum turbine Pontus
Irrupit laceræ peruia texta ratis?
I, licet, ah pauidus, fragili te proripis alno,
Gurges at ipſe tuas hauſit auarus opes.
Illa tamen fuerant dubiæ ludibria ſortis,
Et vix diuitias inter habenda tuas.
Verius hic tuus eſt, quem naufragus eripis vndis,
Artis & ingenii rarus honore liber.
Indignante, liber, Borea pelagoque ſuperſtes,
Perpetuæ viuet poſteritatis amor.
Et tibi cui vitam per tanta pericula debet,
Morte vel in media, ne moriare dabit.

Ioan. Ruxelius Bratouilæus Cadomenſis.

I. PALMARII CONSTANTINI DE FEBRE PESTILENTI LIBRI DVO.

QVID PESTIS. Cap. I.

Λοιμὸς, ſeu Λοιμώδης πυρετὸς Græcis, peſtilentia ſeu peſtis Latinis, febris eſt peracuta, contagioſa, venenata, populariter graſſans, multos perimẽs, bubone & carbunculo, aut exanthematis comitata. Peſtis quidem febris dicitur, propterea quod calor eſt præter naturam, in corde accenſus: iſque venenatus, qui celeri, frequenti, & inæquali pulſu ſe prodit: niſi forte deuicta natura, ipſo morbi initio ſuccumbat. Tum quippe aliquando rarus, paruus, & languidus, ſemper tamen inæqualis & inordinatus pulſus deprehenditur.

Quanquam autem Hippocr. ſententia duo ſunt febrium genera, quorum alterũ commune omnibus, peſtis appellatur, alterum propter malam victus rationem, priuatim his contingit, qui ea vtuntur: Quoniam tamen febres vere peſtilentes, non vt reliquæ vehementi caloris incendio, ſed venenata pernicie, idq; citra magnum & vehementem pulſum

pulſum maxime vrgent & afficiunt, idcirco nonnullis viſum eſt, quoſdam in peſte penitus ſine febre eſſe, aut febre admodũ obſcura detineri: quum tamen reapſe febricitent omnes: etiamſi cõplures prius intereant, quam venenatus calor cordi inſidens, in vniuerſas corporis partes fuerit effuſus: quia ſcilicet prius vitale corporis robur infringit, quam manifeſta ſui ſymptomata exhibeat.

Peſtem igitur febrem eſſe in confeſſo eſt: peracutam vero eſſe, rei euentus cõprobat. Sæpe enim primo ſtatim aut ſecundo die iugulat, ſeptimum, ſi ſimplex & legitima exiſtit, vix vnquam prætergreſſa. Quum vero putridæ conſtitutioni implicatur, etſi non ita præceps eſſe ſolet, vix tamen decimumquartum diẽ ſuperat. Popularis dicitur, quod multis communis, populariter in obuios quoſque nullo delectu ſæuiat. Contagioſa, quod eius virus ab vno in alterũ permeet. Maligna, quod morborum omnium, qui vel ab intemperie, vel obſtructione, vel ſimplici humorum putredine contrahuntur, naturam & perniciem ſuperet, quodque eorum remedia omnia contemnat, iis duntaxat cedens, quæ veteres, quia venenis reſiſtunt & aduerſantur, alexipharmaca ſeu antidota dixerunt. Sed ſingula luculentius explicare operæpretium fuerit, vt totius morbi vi atque natura ad vnguem perſpecta, melius, faciliuſque eius inſtituatur curatio. Primum igitur quoniam peſtis populariter graſſatur, id quod aliis etiam multis morbis minime peſtilentibus commune eſt, popularium morborum natura ac ratio altius repetenda.

QVID POPVLARIS MORbus, & eius differentia.
Cap. II.

MOrbi quicunque humanum corpus infeſtant, aut ex proprio cuiuſque vitio peculiari dieta & errore in victu commiſſo, aut ex communi quadam omnibus cauſa procedunt: illos Græci σποράδας, Latini diſperſos appellant, quod ſingulos ſeparatim corripiant, ſintque morbi plures quidem & ſimul vagantes, ſed genere diuerſi, quorum alius alium inuadit. Hos vero vel κοινοὺς ſimpliciter, vel παγκοίνους, vel πανδήμους Græci, Latini communes, aut populares morbos nominant, quod certi vniuſmodi, atque vnius generis morbi ſint, qui in aliqua regione huc & illuc oberrant, & multos ſimul & æqualiter exercent. De diſperſis alias, mox de communibus, vbi omnes morborum differentias in tabula ex Galeni mente ſub oculos poſuero, vt dilucidior euadat oratio.

Morbo-

Morborũ alii

- Σποράδες ſeu σποραδικοί, hoc eſt, diſperſi, qui genere diuerſi cum ſint, ſingulos ſeparatim corripiunt, non ab aere, ſed à proprio vniuſcuiuſq; vitio profecti.
- Κοινοὶ ἢ παγκοινοὶ ἢ πάνδημοι, hoc eſt, cõmunes. Hi vt omnibus ſunt cõmunes, ſic & cauſam habent cõmunẽ, quæ vitari nullo modo poteſt, vt cibũ aut potum vitiatũ, aut aerẽ, quem omnes pariter inſpiramus. Horum alii
  - Ἔνδημοι, hoc eſt, patrii, vernaculi & alicui regioni familiares. Hi in aliqua regione frequentes ſunt, & omnes ex æquo corripiũt, ob cauſam, quæ omnium communis eſt. De quibus Hippocr. lib. de Aere locis & aquis.
  - Ἐπιδήμιοι cõmunes quidẽ morbi & à communi cauſa nati, nõ tamẽ patrii & familiares, vt ἔνδημοι, ſed potius externi & aduentitii. Horum alii
    - λοιμώδεις peſtilentes. Hi contagioſi ſunt & omnium pernicioſiſſimi.
    - Μὴ λοιμώδεις nõ peſtilentes, ſed peſtilentib. mitiores, carẽt proprio nomine, niſi generis appellatione mutuata ἐπιδήμιοι dicãtur, vt pleriſq; aliis accidit rerum differẽtiis.

    Galenus in Procem. li. 1. Epid. & alibi.

Populares igitur morbi ſunt, qui omnibus cõmunes & vniuerſales exiſtunt, paſſimque in obuios quoſque ſæuiunt. Hi quum omnib. communes ſint & vniuerſales, communẽ cauſam habeant, neceſſe eſt. At cauſa omnibus communis eſt aer, cuius omnibus neceſſarius eſt vſus, dein eſculenta & poculenta, quibus omnes communiter veſcuntur: in iis igitur morborum communiũ cauſa quærenda eſt. Ea ſi in communis cibi & potionis vitio conſiſtit, hinc geniti morbi πάνδημοι & πάγκοινοὶ Fernelio minutius omnia concidenti peculiariter dicuntur, ſi in aere, endemii, vel epidemii, endemii quidem, ſeu vernaculi, ſi ab inferioribus terreniſque cauſis regionis aer inficitur: Epidemii ſi à ſuperioribus: Latinis peculiaria nomina deſunt, quibus diſtinguantur: Sed tamen ab aeris maleficio profecti morbi omnes, qui multos eodem modo ſimul infeſtant, ſeu endemii, ſeu epidemii ſint Græcis κοινοὶ ἢ πάγκοινοὶ ἢ πάνδημοι, id eſt, communes generis nomine recte appellentur. Endemii ergo dicũtur, tum diſperſorum nonnulli, quum ex putridis, aquarum, terrarum, vel cadauerum expirationib. prodeunt, certaſque prouincias frequenter infeſtant aut vrbes: tum etiam alii quibuſdam regionibus familiares, vt phthiſis Luſitanis, ſtruma Hiſpanis & Alpinis, Hydrocele Narbonenſibus, omnes quidem ex aeris grauitate, aut aquæ infectæ vitio nati. Epidemii rurſum alii ſimplices, alii peſtilentes, Græcis peculiariter λοιμώδεις dicti ſimplices quidem, quum ex temporum, tempeſtatumque mutatione orta morbida aeris conſtitutio, cõmunes morbos externos & aductitios profert, ſed peſtilentibus mitiores. Itaque lienteriæ, dyſenteriæ,

riæ, hœmorrhagiæ, tuſſes, ophthalmiæ, pleuritides, tubercula varia, artuũ dolores, febres omnes putridæ, aliique complures ab Hippocrate in epidemiis celebrati morbi, in diſperſis habentur, quũ ex proprio vniuſcuiuſque vitio originem habent: Simplices vero epidemii ſunt, quum aeriæ malignitatis, quæ conſuetis remediis minime obſequatur nonnihil reſipiunt, eoque diſtant à diſperſis. Epidemii peſtilentes ſunt, quum ex cœleſtium corporum viribus, & influxu, ortum eſt morbi ſeminarium: Sed horum alii grauiores, alii mitiores, alii conſueti, alii inſolentes exiſtunt. Conſueti quidem grauiores, peſtilens febris, & eius ſymptomata, carbunculus, bubo peſtilens, & maculæ. Leuiores ſunt, exanthemata & echthymata pueris familiaria, vulgo variolæ, & morbilli dicta. Inſolentes ſunt, qui vel noui emergũt, vt ſudorifica febris, Sydropyreton nonnullis dicta, quæ noſtro hoc ſeculo Britanniam mire afflixit, vt deſtillatio quædam popularis noſtris vernacule *coqueluche* appellata, quæ in noſtram hanc Galliam anno 1551. primum ſæuire comperta eſt. Et qui olim aliquoties viſi, affligere deſierunt, vt paraplegia inaudita, ſed lethalis, quæ in Thaſo contigit, flagrantes ardores, grauedines anheloſæ, aliique non pauci veterum obliuione deleti.

MORBORVM POPVLARIVM cauſa. CAP. III.

MORBOS communes & vniuerſales, communem cauſam habere, eamque aeris, aut communis cibi, potuſque vitium eſſe diximus: hoc autem quale ſit, nunc eſt inueſtigandum, ducto

à cibo & potione exordio. Quum nutritionis noſtræ baſis ſit panis & vinum, aut quid illis proportione reſpondens (nam vini loco aliis aqua, aliis cereuiſia, aliis pomaceum, aliis hydromel pro potu eſt: & panis vicem nonnullis ſupplent legumina, aliis arborum fructus, aliis radices, aliis herbæ: idque præſertim quum annona ingraueſcit.) Si inſigniter vitiatum ſit triticum, ex quo communis panis, aut cereuiſia conficitur, fueritque aqua cuius permixtione præparantur, putris, fœtida ac cœnoſa, humores in noſtris corporibus deprauari neceſſe eſt, vnde infinitorum morborum populariũ prouentus: nõnunquam etiam ſed rarius peſtilentium, venenata pernicie intus genita, quæ poſtea aerem contaminans illius cõtagione inficiat. Præcipua vero tritici vitia hæc fere ſunt: ſyderatio, rubigo, corroſio à teredinibus, putredo, marcor, & tabes. Quum lacteo ſucco in ſpicis turgent tritici granula, ſi terrarum exhalatio roris inſtar ſegetes madefaciat, ſuperueniatque ardentiſſimi ſolis feruor, ſæpe fit, vt lacteus ille humor exuſtus contabeſcat, quæ plerumque tertiam ariſtarum partem exurit calamitas. Spicæ hoc vitio infectæ facile internoſcuntur ab agricolis: nam & turgidiores ſunt cæteris, & liueſcunt magis, & digitis compreſſæ in fuliginem abeunt. Quod ſi illæ meſſis tempore cum illæſis reponantur & conterantur, vitium ſanis etiam granis communicant. Hinc triticum hominibus, & ſtipulæ ac paleæ iumentis noxiæ ſunt: & quod magis mireris, ſi hac contagione contaminatum triticum ſeratur, vel ſtipulis in fimetum cõiectis terra aſpergatur, illa eo veneno ſic polluitur, vt ſyderatas ſegetes, vitiatumque triticum ferat. Sic

ex in-

ex infecto tritico panis valde inſalubris conficitur, quo qui diutius vtuntur, niſi vel furunculis, vel carbunculis, vel ſcabie, aut pruritu, aut abſceſſu, aut frequenti cathartico expurgentur, breui in febres incidunt, eaſque fere malignas, & interdum peſtilentes, veneno intus in corpore genito ei non diſſimili, quod aliquando cœlitus in nos demittitur. Qui valetudinis curam habent, puriſſimum triticum ſi deſit, vſus tempore ſic inquinatum primum exquiſite lauant, donec aquam non amplius denigret, dein in ſole ſiccant, moxque, quia diu conſeruari nequit, redigunt in farinam, qua panis vt candidior, ſic multo ſalubrior efficitur. Piſtores Lutetiani gypſi pollinem tritico permiſcent in ſacculos, quem crebra agitatione vna cũ fuligine excutiant. Sed ſic purgatum vitioſum cenſeri debet, quod ſiccitatem & adſtrictionem alienæ materiæ redoleat, obſtructioneſque pariat, præſtiterit igitur, aut abluere, aut puro vti aliunde petito. Quod immaturum vel humidum reponitur, aut loco vdo aſſeruatur, vel putreſcit, vel ſaltem ſitum contrahit, ac fœtorem redolet, vitioſumque alimentum corporibus præſtat. Quod vetuſtate aut incurioſa aſſeruatione ſemiputre, aut etiã fœtidum euaſit, multo deterius alimentum præbet, vetuſtate ſi arefactum eſt, ac propriæ ſubſtantiæ iacturam fecit, aut teredinibus exeſum, ingenti mole parum, nec tamen probe nutrit.

Denique aſſeruatum ſicco etiam loco, niſi per interualla moueas, ventiles ac puluere expurges, incaleſcit, tandemque calidis præſertim regionibus & æſtate, corrumpitur. Vinum quoque mul-

tis vitiis obnoxium eſt: nam & aceſcit, & vappa fit, & putre ac fœtidum euadit: Sed quoniam hæc vitia vix vnquam communia ſunt (aſſeruationis enim incuria contingunt) raro populares ſæpe diſperſos morbos pariunt. At aquæ vitia, quia multos neceſſario attingunt. (Hæc enim præterquam quod pleriſq; nationibus & nauigantibus vini loco eſt, omnibus etiam ad panis & elixorum præparationem neceſſaria:) morbos populariter ſæuientes nec raro inuexere. Vitioſæ autẽ ſunt præſertim ſtagnantes ac paluſtres, maxime quoties præ anni ſiccitate ac feruore pene abſumptæ amareſcunt, vel aliter corrumpuntur atq; putreſcunt, vel cadauerum, vel alterius inquinamenti permixtione contaminantur. Itaque ſi qua regio fontanis, aut aliis purioribus deſtituta, ſtagnantibus ac cœnoſis vti cogitur, eius incolas endemiis morbis tentari neceſſe eſt. Carnes etiam ſuam obſeruationem deſiderant. Nam quæ diutius aſſeruatæ iam ſemiputridæ ac fœtidæ euaſerunt, vel à morbidis animalibus acceptæ ſunt, peſſimi ſunt alimenti: malefici vero, quæ à peſte corruentibus. Prouideant igitur bene inſtitutæ reipublicæ magiſtratus, ne qua hinc contagio ciues afficiat. Piſces in aquis ſtagnantibus, & impuris educati quales ſunt in quibus linum, aſpalathus, Rhododendron, cannabis macerari ſolẽt, aut alia ſtirpium, cadauerumve inquinamenta putreſcere, aut ciuitatum purgamenta reiici, peſſimum ac facile putreſcentem ſuccum generant, morboſque excitant populares, ſi communiter illis omnes veſcantur. Denique olera, quæ vel in acetariis eduntur, vel iuſculis incoquuntur, ſi iuxta putres lacus, aut ſtagna fœtida,

aut prope vrbium cloacas enaſcantur, aut non niſi ſubiecti fimi impuriſſimi viribus proueniunt, praui ſunt ſucci: quales etiam ſunt fructus horarii & præcoces omnes, & multorum delitiæ pepones, melopepones & cucumeres. Hæc igitur alimenta vitioſa, aut etiam ſemiputria, morbos populares ſæpe inuehunt, indeq; in caſtris magnam aliquando cladem contigiſſe memoriæ proditum eſt: qui tamen à veteribus Græcis παγκοινοὶ aut πάνδημοι, nondum vero ἐπιδήμιοι appellati ſunt, vt cenſuit Fernelius, quod non ex aere, ſed ex prauo victu procederent: nos vero febres omnes, quæ populariter graſſabuntur in vulgus, multoſque periment, ſi bubone aut carbunculo, aut vtroque, aut exanthematis ſtipatæ fuerint, peſtes appellabimus. Malignas vero & peſtilentes, quæ contagione ſimiliter afficient, atque debacchabuntur in populum, ſed citra vllum è tribus illis, quos dixi peſtis characteribus. Itaque poculentorum & eſculentorum vitia, ſi communia fuerint, quoniam malignis excrementis corpora replent, peſtemque vel excipiunt, vel genito in corpore peſtilenti veneno procreant, in externis peſtis cauſis haberi debent.

ΕΝΔΗΜΟΥΣ, ΕΠΙΔΗΜΙΟΥΣ, ET *peſtilentes morbos ſæpius ab aere proficiſci.*
Cap. IV.

QVANQVAM autem peſtis à communis cibi & potus vitio aliquando originē habet, quoniam tamē in vno aut altero ſic genita aerem breui contaminat, eiuſque contagione ſerpit in reliquos, eam complures non niſi ab aeris maleficio afflari prodiderunt. Aeris porro ſubſtantia ſimpli-

ciſſima quum ſit, vix vnquam forte computreſcat, aut corrumpatur, at variam intempeſtiuis atque inordinatis temporum, tempeſtatumque mutationibus primarum qúalitatum mutationem ſubit, multaque inquinamenta tanquam ſparſa morborum ſemina aliunde excipit, quibus varie inficitur: vt idcirco non abs re endemiorum, & epidemiorum morborum opifex dicatur. Primum enim ex inferioribus hiſce locis velut ex ſtagnis, paludibus, lacubus inquinatis ac putridis expirans vapor ſæpe ambientem permixtione ſic labefactat, vt viuentium naturæ exitioſus ac peſtilens euadat. Sic etiam ex terra male olente, ex antris, ſpecubus, barathris graues interdum exhalationes in aera attolluntur, hominibus plurimum infenſæ ac pernicioſæ. Sed & animantium, maxime vero hominum, nec cremata nec ſepulta ex bello cadauera, reſeruata diutius illorum excrementa, euulſæ ſtirpes venenatæ, aliæque ſordes computreſcentes aerem exitiali labe plerumque conſpurcarunt. Denique metallorum ſulphuris, arrhenici, hydrargyri, ſæpe & prunarum fumus loco quopiam concluſus atque coarctatus, tantam perniciem contrahit, vt plerumque fuerit peſtis ſeminarium. Qui ab hiſce aeris inquinamentis prodeunt morbi populares, Galeno nec peſtilentes, nec epidemii: ſed endemii proprie paſſim appellantur, id eſt, illi plebi aut populo peculiares & vernaculi. Quoniam enim eiuſmodi inquinamentà, nec longius in multas regiones diſſeminari, nec diutius vigere poſſunt, ſed aeris puritate abſorpta atque euicta pereunt, non omnium communes, ſed vernaculos morbos pariunt. Aliquando tamen epidemios etiam illinc

naſci

naſci idem auctor tradit. Ego vero hanc aeris conſtitutionem, febribus etiam peſtilentibus inquinamento in aere putri genito ei perſimili, quod ab aliis cauſis aliquando in aerem puriſſimum ſpargitur, patere obſeruaui. Eſtque hæc nobis multo frequentior peſtilentium morborum cauſa, quam illa, quæ à corporum ſuperiorum viribus, & influxu deriuari dicitur. Sed illinc genita peſtis nec tamdiu ſæuit, nec in tam multas regiones inuolat. Notantur & aliæ duæ in aere affectiones, conſtitutioneſque præter naturam, quæ popularium morborum ſunt procreatrices: Vna eſt primarum qualitatum intemperies & inæqualitas maxima, ex temporũ, tempeſtatumque inordinatis atque intempeſtiuis mutationibus orta. Hinc enim putredines admodum graues & animantium generi infenſæ excitari ſolent. Galeno hinc geniti morbi omnes proprie epidemii appellari videntur, non peſtilentes, qui tamen & diutius vigeant, & longius diſſeminentur, quam endemii: at nos peſtilentes febres hinc fuiſſe profectas ſæpius obſeruauimus, occulta malignaque earum cauſa in putri aere genita, vel ab eo excepta. Hæque & ſæuiores eſſe ſolent, & multo latius diffunduntur, quam quæ vel à putridis alimentis, vel ab inferioribus exhalationibus initium ducunt. Fere autem fit, vt quæcunque à deſcriptis cauſis oriuntur febres peſtilentes, putridæ conſtitutioni ſint implicitæ, ſecumque multorum ſymptomatum ab humorum putredine, aut feruore profectorum ſyndromen trahant. Altera, eſt inquinamẽtum quoddam in aera cælitus demiſſum, quod vere peſtilentes profert, eoſque maxime vniuerſales ac multis regionibus communes: quique

Galeno epidemiorum perniciosiſſimi ſunt. Itaque ſimpliciter epidemii, ſic à peſtilentibus diſtant, ſi veteribus & Fernelio credamus, quod illi non niſi ex multis temporum tempeſtatumque inordinatis & inæqualibus mutationibus viciſſim ſeſe excipientibus, aut ex vnius temporis ſolius magna quadam alteratione, & vehementi à naturali ſtatu permutatione fiant, peſtilentes vero à venenata qualitate aeri inſperſa: quodque hi quam illi multo ſint periculoſiores atque ſæuiores. At nos iam teſtati ſumus, & ex alimentorum vitio, & ex inferioribus exhalationib. in aere putreſcentibus, & ex temporum tempeſtatumque inordinatis, atque inæqualibus mutationibus in calidum & humidum vergentibus, febres peſtilentes otiri: idque ſæpius quam ex venenato illo inquinamento è ſuperioribus corporibus in aera demiſſo: Seu hæ conſtitutiones, cælitus influens in puriſſimum aera peſtis ſeminarium, alioqui minime nociturum excipiant, ſeu maligna putredine ipſum in media aeris regione proferant. Ideoque vndecunque genitas febres, vel peſtes, vel peſtilentes appellabimus, quoties propria & peculiaria peſtis ſigna, quæ mox tradentur, inerunt. Porro, quæ temporum tempeſtatumque mutationes epidemiorum morborum ſint procreatrices, paſſim recenſet Hippo. libris Epidemiorum & aph. tertio, vt cum ait: Si hyems ſicca & Aquilonia fuerit, ver vero pluuioſum & auſtrale, neceſſe eſt æſtate febres acutas fieri, & ophthalmias & dyſenterias. Quum enim corpora noſtra ipſaque terra, ex pluuiis vernalibus & ab auſtro humore multo repleantur, neceſſe eſt æſtate conduplicari æſtum, ipſumq; corpus & carnem

nem inflammari, vnde & febres acutiſſimæ, & reliqua mala fiant. Hi epidemii quidem ſunt omnes, & aliquando peſtilentes, at non veri aut legitimi, vt veterum nonnullis & Fernelio viſum eſt: neque enim (inquiunt) vere peſtilentes longam eam cauſarum ſeriem aut ingentem temporum permutationem requirunt, quæ corporum humores confundat, perturbet atque corrumpat, ſed venenatam perniciem cælitus demiſſam in aera: quæ cum ſpiritu intro ſubiens, cor viſcus nobiliſſimum ac validiſſimum, ipſamque vitæ arcem ac ſpiritus vitalis ſcaturiginem inficiat. Corde enim membrorum nobiliſſimo ac vitæ principio, peſtilenti labe percullo, vires omnes, vniuerſumque corpus ſtatim proſterni ac fatiſcere neceſſe eſt.

OCCVLTAM ET OBSCVRAM eſſe perniciem, quæ vere peſtilentes morbos procreat. Cap. V.

QVANQVAM autem, quæ modo de popularibus morbis in vniuerſum tradidi, plane vera ſunt, & veterum ſententiis conſentanea, varia tamen eſt multorum de vnius peſtis natura & cauſa, eaque inter ſe diſſentiens opinio. Alii enim eam primarum aeris qualitatum exuperantiæ, & inæqualitati maximæ, alii putredini inde genitæ, alii vero malignæ cuipiam, ſed inexplicabili perniciei ab intemperie, & putredine longe diuerſæ acceptam referunt. Horum igitur opiniones paulo altius repetamus, remque ipſam penitius introſpiciamus.

Peſtilentia quidem vt morbus fere omnis acutus, æſtu immoderato irritatur, & excandeſcit, in-

temperie calida & humida promouetur, & æſtatē ac autumno, quam hyeme aut vere ſæpius graſſatur ac crudelius, quoniam tamen veterum & noſtra memoria ſæpe animaduerſum eſt, feruentiſſimam æſtatem nullum peſtilentiæ genus excitaſſe, interdum etiam peſtilētiam hyeme inchoaſſe, quæ æſtate feruida vel autumno diſparuerit, omnibus euidens & perſuaſum eſſe debet, primarum aeris qualitatum exuperantiam eius cauſam eſſe non poſſe, multoq; minus putridam cœli aut aeris conſtitutionem. Primum enim, quæ ab inferioribus terreniſque exhalationibus ambienti nos aeri permiſtis proficiſcitur, in hiſce regionibus admodum frequens eſſe ſolet, ſecumque endemiorum morborum prouentum velut truculentiſſimorum militum exercitum trahere atque ducere, quibus hominum generi infeſta ſit: at peſtilens febris vix 7. aut 8. quoque anno, aut etiam multo interdum rarius hic ſæuiat. Quæ vero à noxia temporum, tempeſtatumque mutatione, vt ab inconſtanti, ab intemperato, à pluuioſo, æſtuoſo, & nubilo cœlo profecta putredo eſt, ea licet interdum longe lateque dimanet, atq; diſſeminetur,& populares morbos inferat, & ex pruinæ, aut roris fœtore magna eſſe iudicetur, ſæpe tamen ſine peſte incidit: Ad hęc ſi peſtilens conſtitutio, hyeme pariter ac æſtate, ſicco, & pluuioſo cœlo, bene temperato & inæquali, plerumque etiam citra graueolentem putredinē, adeo obſcure ac furtim inuadit, vt nullo prorſus ſenſu prænoſcatur, quis eius cauſam à putredine diuerſam non iudicet? nulla putrida, nulla intemperantior aeris cōſtitutio, in tam multas mundi regiones euagari, in illiſque ſæuire poteſt. Quæ enim

enim calidis & humidis noxia fuerit, frigidis & ſiccis ſalutaris euadet: at peſtilentia tam immaniter genus humanum interdum exercet, vt vniuerſum pene orbem deuaſtet, frigidas perinde ac calidas regiones, ſiccas haud ſecus quam humidas, & hyeme vt æſtate depopuletur. Talem aui noſtri ſcripſerunt anno Chriſti 1382. Auenionæ primũ gliſcere viſam fuiſſe, quæ illinc Allobrogas, Italiam, Græciam, Germaniam, Britanniam, Galliam, Hiſpaniam, Celtiberiam, vniuerſas denique Orientis & Occidentis regiones peruagata ſit. Talem etiam commemorant anno 1450. in Aſia exortam, quæ per Illyricum, Dalmatiamque ſerpſerit in Italiam, per Germaniam vero in Galliæ & Hiſpaniæ fines, multiſque annis in omnes fere populos miſere adeo debacchata ſit, vix vt tertia hominũ pars ſuperſtes euaſerit. Similes duas conſtitutiones ſub Marco Antonio ſæuiiſſe legimus, quibus pene ad internecionem vſque humanum genus deletum ſit. Si vna putredo tantæ cladis, tantæque perniciei cauſa fuit, cur omnes animantes peræque non attigit? nam ſi ſalubris aer ſpiritu ductus omnium animantium vitam tuetur, totique illorum generi ſalutaris eſt, cur putrida illuuie contaminatus, toti animantium generi æque perniciosus non ſit? Aut cur vnus omnium ſanitati, vitæque principio aduerſus quum ſit, inſpiratus omnes non lædat? aut ſi qua hinc peſtis incidat, cur nõ omnium animantium peræque communis exiſtit? At, vt cecinit Virgilius:

Quam multæ pecudum peſtes, nec ſingula morbi
Corpora corripiunt.

Iam enim id omnibus in confeſſo eſt, multaque ex-

perientia compertum, quod optimi Agriculturæ auctores memoriæ prodiderunt: peſtilentiam aliam incidere, quæ ſolos boues iugulet, aliam quæ ſues, aut quæ oues, aliam quæ gallinas, aliam quæ ſolos homines, aliam quæ omnes animantes. Nam & Thucydides auctor eſt, volucres & quadrupedes animantes ex mortuorum in peſte contactu periiſſe. De ea, quæ pecudibus ac feris infenſa ſit, ſic Virgilius:

Hic quondam morbo cœli miſeranda coorta eſt
Tempeſtas, totoq; autumni incanduit æſtus.
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum,
Corrupitq; lacus, infecit pabula tabo.

Homerus quoque & mulos & canes eam primum corripuiſſe cecinit. Quum igitur homines ſoli peſtilentia attinguntur ac corruunt, aliis animantibus illæſis, quænam cauſa hanc calamitatem acceſſat? putredone? at hæc omnes animantes pariter attingit. Ea igitur Fernelii ſentẽtia aeris quoddam eſt inquinamentum cælitus demiſſum hominum naturæ penitus infenſum & prorſus inimicum, ab intemperie & putredine longe diuerſum: ſed vſq; adeo occultum, & à ſenſibus alienum, vt eius natura nos prorſus lateat, inopinanterque feriat, nec vnquam niſi effectis & euentis deprehendatur. Si quis forte arcte tenet ac defendit, putredinẽ cauſam eſſe peſtilentiæ, ſed nec vulgarem, nec ſemper vniuſmodi, verum quæ ob certum quendam & inexplicabilem putredinis aut modum, aut rationem, nunc huic nunc illi animantium generi inimica ſit, quid quæſo hic putredinis aut modus aut ratio tam obſcura aliud ſit, quam venenata quædam pernicies tota ſubſtantia, non manifeſta vlla quali-

qualitate huic aut illi animantium generi infenſa? ſi nemo hactenus quis modus, aut quæ ratio ſit eius putredinis, quæ vel bobus, vel ouibus, vel hominibus ſolis ſit inimica, animo concipere potuit, nedum dilucide explicare, cur id quidquid eſt in eorum genere non habeatur, quæ obſcura & occulta dicimus, quæque tota ſubſtantia contraria ſunt, totoque genere deleteria, quæ denique nec ab elementis, nec ab eorum qualitatibus fluxerũt? Itaque quocunque nos vertamus, cæcam, deliteſcentem, & ab intemperie ac putredine longe diuerſam fateamur ſimplicis peſtilentiæ cauſam neceſſe eſt. Sunt tamen qui febrem peſtilentem non aliunde quam ex putredine naſci contendunt, ſed hoc à cæteris putridis illam differre, quod propria cordis ſubſtantia, vel primogenii ipſius humores in hac computreſcant, in aliis vero atque etiam in cauſo ſolo putrium vaporum occurſu cor laceſſatur. Itaque venenatam peſtis malignitatem, in cuius inueſtigationem incumbimus, nihil aliud eſſe, quam certum quendam, ſed inexplicabilem putredinis modum. Sed facile commentum iſtiuſmodi refellitur. Nam ſi ſola hectica in cordis & partium ſolidarum ſubſtantia ſedem habet, neceſſe fuerit omnem peſtilentem febrem, in qua cordis ſubſtãtiam computreſcere tradunt, ex hectica & putrida conſtitui, eamque quaſi quandam earum eſſe compoſitionem: at vero certum eſt peſtilentem febrem nihil affinitatis habere cum hectica: non enim cor ſiccitate torret vt hectice, neque ex illa quemadmodum ex confirmata hectica omnes intereunt. Deinde qua ratione fieri poſſe putemus, vt vel cordis ſubſtantia, vel primogenii humores

putreſcant? Quis putrido corde viuat? vt cordis ſubſtantia neque vlcus, neque eryſipelus, ita neque vllam putredinem admittit. Deinde quo pacto iſthæc cohæreant, cordis ſubſtantiam putreſcere, neq; admodum vehementem eſſe calorem? Etenim ſi in cauſo putreſcentis bilis ſolo attactu, cor incendio conflagret, nonne multo vehementius incaleſcet, atque incendetur id vniuerſum, ſi putreſcat? ſed nonne ſi putreſcit acriter prius incaluiſſe neceſſe eſt? at in febre peſtilenti legitima, toto morbi decurſu calor mitis obſeruatur. Ex quo intelligitur illam nulla ſimilitudine cum putrida febre coniungi. Quoniam igitur in peſtilenti ſimplici ac legitima febre, neque caloris incendio vt in cauſo, cor ardet, neque ſiccitate vt in hectica dehiſcit, ab vtraque plurimum illa differat, neceſſe eſt, & cauſam habeat, quæ vulgarem intemperiei & putredinis conditionem ſuperet. Quod rerum euentis multo magis illuceſcet. Nam ſi peſte correptus halitu, aut excrementorum expiratione, integre ſanos repente labefactat, ſi veſtibus inhæreſcens contagio longius ſæpe exportetur, reſeruetur que diutius, nonne peſtis cauſam ſimplici putredine multo atrociorem perniciem eſſe neceſſitas eſt? quæ tenuiſſimo aeri inſidens omnique alio quouis veneno expeditior, repente adeo exquiſite ſanos inficiat atque contaminet? non enim qui toxicum ebiberit, aut à Scorpione fuerit demorſus, halitu alios tabo infecerit. Reliqua omnia peſtis legitimæ putridæ conſtitutioni non implicitæ ſymptomata, ſi quis examinauerit diligentius, pulſum paruum & obſcurum, animi defectionē, ſyncopen, vomitionem, iactationem aſſiduam, cum

vigi-

vigiliis, omniaque nullo fere ſenſu doloris, nonne veneno potius, quam putrido feruori aſcribat? Denique, ſi miſſus in febre peſtilenti ſanguis integer exiſtit, ſi vrinæ ſunt ſanis perſimiles, vbinam cordis & humorum putredo abdita deliteſcit? fieri enim non poteſt, quin ex ſumma putredine, quæ in venis fit, quippiam vel profluat cum vrinis, ſitque putredinis indicium, vel detracto ſanguini innatet. Sed natura (inquient) putredinis magnitudine perterrita fereque ſuccumbens, morbum aggredi non audet: ideoque nulla in vrinis perturbatio, ſed plerumque non contemnendum ſedimentum apparet, natura vtiles humores non autem inſignem putredinem concoquente. Sed hi omnium Philoſophorum decreta ſubuertũt, dum corporis noſtri naturam, quam illi ſine ratione, ſi neque deliberatione motus ciere in corpore neceſſarios, nec vnquam otio perfrui prodiderunt, inepte conſilii & rationis participem faciunt. Latet igitur nonnihil in febribus peſtilentibus putredine multo deterius, quod cordi totius ſubſtantiæ diſſidio ac repugnantia, aduerſum & tanquam deleterium eſt.

VNDE IN AEREM INFLVAT occulta illa peſtilentiæ cauſa.
Cap. VI.

Simplicis & legitimæ peſtilentiæ cauſam, neque à peruulgatis rerum omnium elemẽtis dimanare, neque vllius intemperiei, aut putredinis eſſe ſobolem, ſed cæcam, malignam, & inexplicabilem quandam aeris perniciem hominum naturæ prorſus inimicam atque exitialem, ſatis iam ſu-

perque dictum eſt. Supereſt, vt vndenam ea in aerem influat, inquiramus. Theologi eius originem D. opt. max. acceptam referunt, quem variis modis in hominum ſcelera ſæuire, ſuiq; contemptum bello, annonæ caritate ac peſtilentia vlciſci, ſacræ teſtantur literæ: vt cum Dauidis facinus & libidinem in Hebræorum gente vindicauit, ac Ægyptiorum peruicaciam interitu filiorum, qui natu eſſent maximi: & alibi: Ecce ego mittam inter eos gladiū, famem & peſtem, & ponam eos quaſi ficus malas, quæ comedi non poſſunt, eo quod peſſimæ ſint: & perſequar eos in gladio, & in fame, & in peſtilentia, eo quod non audierint verba mea. Item alio loco: Iudicia mea quatuor peſſima & gladium & famem, & beſtias malas, & peſtilentiam immiſero. Et alibi: Tertia pars tui peſte morietur, & fame abſumetur in medio tui. Deus quidem cœlum, ſolem, lunam, & reliqua ſydera condidit, eiſque leges certas & definitas indixit, quibus mundū hunc, & quicquid illius ambitu continetur, adminiſtrēt, ac moderentur. Sed ita ſane, vt omnibus ipſe præſit, & quos illis indidit ordinatos motus ac vires, aut remoretur, aut acceleret, aut immutet, ſi quādo id vel maieſtatem eius deceat, vel ſcelerum noſtrorum infamia poſtulet. Peſtilentiam ergo aliquando ſolo iuſſu, nullis ad eam inferioribus ac ſecundis cauſis comparatis aliquando adhibita aeris pernicie immittere poteſt. Alii à cœlo peſtilentiæ ſemina in aerem diſpergi literis prodiderunt, non quidem à firmamento nec à motu primo (quippe qui ſemper ſimilis ſit & vniuſmodi) non denique à ſolis obliquo circumactu, ſed à certa permiſtione ſyderum. Etenim ſi ſol motu ſuo anni tēpora ſemper

Digitized by Google

per æquabiliter conficit ac diſterminat, ver, æſtatem, autumnum & hyemem, quid cauſæ ſit cur nõ omnes æſtates æque feruidæ ſint aut ſiccæ? Aut cur omnes hyemes pariter non rigeant aut humectent? Aut cur denique æſtas quædam locuſtarum, muſcarum & ſcarabeorum, quaſi exercitus & nubes proferat, alia ſit ab iis omnibus puriſſima? Id Fernelii & meo iudicio non à ſolis motu ſui ſemper ſimili, ſed à varia ſyderum commiſtione petendum, quorum motus, nec inutiles, nec præter rationem à ſummo rerum omnium opifice, certis legibus ſunt definiti. Vt igitur alia horum commiſtio imbres, alia ſerenitatem, alia auſtrinam, alia aquiloniam, aliamve tempeſtatem mouet: ita ſane fatendum, quandam contingere aliquando, quæ in aere peſtilentiæ ſemina diſpergat. Et quemadmodum multa ſunt peſtilentiæ genera, ita vniuſcuiuſq; propriam & peculiarem eſſe cauſam, commiſtionis ſcilicet certam quandam rationem, quæ alias mitius, alias ferocius in aerem, atque in nos debacchetur. Si ſydera bene affecta omnium vitam tuentur atque conſeruant, cur male conſtituta vitæ non incommodent? Vnde igitur prima eſt rerum omnium ſalus & conſeruatio, illinc oritur & interitus. His rationibus permotus puræ ſimpliciſque peſtilentiæ cauſam, vel ad D. opt. max. conſilium, qui nos hoc quaſi flagello caſtiget, vel ad cœleſtem configurationem, quæ aeri & nobis vim inferat, referendam putauero. Puram ſimplicemque peſtilentiam dixi, propterea quod per putridas conſtitutiones citra ſyderum affluxum humorib. maligne putreſcentibus, in corpore vel aere inferiorum exhalationum permiſtione inquinato, cer-

tis locis aliquando ſæuiſſima, ſed impura, minimeque ſimplex emergit peſtilentia, pernicie in corpore vel in media aeris regione concepta, ei haud abſimili, quæ à ſuperioribus corporibus in aera demiſſa vniuerſalem peſtilentiam ingenerat. Neque vero magnopere contendendum videtur, à cœlone prodeat ſemper, an intus in corpore aliquando gignatur peſtilentiæ ſeminarium, vti & venena nõ pauca, quum ſatis ſit ad recte inſtituendam curationem, omnibus perſuaſum eſſe id quidquid eſt, quod febres peſtilentes generat, nec à ſola intemperie contrahi, nec putredinis genere contineri, ſed peſſimi veneni naturã plane redolere, cui proprium & peculiare alexipharmacũ nobis erit perueſtigandum. Superiores illas ac cœleſtes peſtilentiæ cauſas medici veteres neglexerunt, ſola remediorum cognitione contenti. Neque enim vllus reperiatur, qui qualis ſyderum vel iniquitas, vel cõcurſus, vel permiſtio, vel aſpectus peſtem hominum generi inferat, vel quæ eorundem æquitas aut beneuolentia, aut concordia eam deleat, ſcriptum reliquerit, imo ipſe Galen. Hippocratis ſententiam, qua iubet medicum accurate animaduertere nunquid diuini in morbis inſit, ad aeris conſtitutionem detorſit, nihil ſuperius aut diuinius inueſtigans. Ariſtoteles quidem auctor eſt, coitione Iouis & Saturni regum principatus oppreſſos, aut deletos iri, ſæuituramque peſtilentiam; cuius ſententiam veram eſſe putant, ſi Iupiter Saturno ceſſerit, imparque fuerit. Nam contra euenire, ſi Iupiter Saturnum vicerit. Iouem enim tam ſalutarem tamque vitalem eſſe, vt eius beneuolentia in lucem edamur, mox perituri ea ſi nos deſerat. Albertus

Digitized by Google

bertus magnus & Albumazar Ioue & Marte conuenientibus peſtem imminere tradunt, præſertim ſi ad humidorum ſignorum quodpiam concurſio incidat. Alii Solis & Lunæ eclipſibus, cometis, aliiſque portentis eam præmonſtrari tradunt. Non aliis ſignis Hippocratem venturam ab Illyriis peſtem, & in Græcos inuaſuram prædixiſſe ſcribit Plinius. Alii alia confingunt & comminiſcuntur peſtis ſeminaria, quæ quoniam nulla ratione, nulloque vſu ſtabiliunt ac confirmant, iure à medicis hactenus neglecta ſunt. Id certiſſimum eſt, vndecunque ea emergat, neque temporum mutatione, neque vlla manifeſta qualitate, ſed ſolo euentu deprehendi poſſe, & à vulgari putredinis natura longe lateque diſſidere.

QVÆ PRÆPARATIO PEſtem excipiat. CAP. VII.

VT vera & ſuperior illa peſtilentiæ cauſa, ſic etiam propria & peculiaris conſtitutio, & regionis vel corporis ad eam excipiendam præparatio, cæca eſt, & occulta, eaque non ſenſu aut ratione vlla, ſed ſolo euentu & experimento comprehendi poteſt. Sæpe animaduerſum eſt ſiccam & aquiloniam conſtitutionem grauiſſimam peſtilentiam in ſicca & frigida regione excepiſſe, cuius calida & humida plane fuerat expers. Et multos videre eſt febre continua, vel tertiana, vel quartana diu afflictos peſtilenti cœli ſtatu ſine vllo peſtilentiæ incommodo euadere, licet putridis & vitioſis ſcateant humoribus. Alios videas admodum frugales & integre ſanos facile peſte corripi, alios vero crapulæ addictos ac valetudinarios nihil perſen-

tire iſtiuſmodi, & qui multorum peſtiferorum ſocietate & vitæ communione nihil ſit mali perpeſſus, cuiuſpiam quocum vel familiæ, vel temperamenti ſimilitudo quædam inerat, ſolo occurſu ſæpe labefactari viſus eſt. Quæ aperte docent, non ſola cacochymia hominem ad peſtem præparari. Vt ergo efficiens, ita ſane patiens, ſuſcipienſq; peſtis cauſa, cæca & abdita eſt, neque ex qualitatum primarum intemperie, nec ex ſimplici putredine, ſed ex totius ſubſtantiæ occulta, & inexplicabili quadam labe contrahitur. Sæpe tamen, quæ endemios, & ſimplices epidemios morbos efficiunt cauſæ, ad peſtem corpus præparant, atque vt plurimum illam excipiunt. Tria enim diximus in aere popularium & communium morborum genera fieri, endemium à terrenis, inferioribuſque loci exhalationibus, epidemium à vehementi temporum, tempeſtatumque permutatione, peſtilentem, ab occulta malignaque qualitate cælitus demiſſa. Vltima ergo hæc cauſa veram peſtem proferre creditur. Duæ vero primæ præterquam quod ad illam præparant, febres etiam peſtilentes putridæ conſtitutioni implicitas, alioſve populares morbos procreant, eoſque fere malignos ac peruicaces. Peſtilentia ergo frequentior & grauior eſſe ſolet, in regione putridis expirationibus infecta, quam in ſicca & pura, rurſumque grauior & frequentior æſtate & autumno, quam vere aut hyeme, & auſtrina tempeſtate, quam aquilonia, & inæquali, intemperatoque cœlo, quam æquali & temperato. Quanquam ergo graues terrenæ, inferioreſque expirationes veram peſtilentiam ſolæ non inferunt, ſed duntaxat febres peſtilentes, huic tamen corpus

corpus reddunt obnoxium, eiuſque cauſam in aere ſparſam fouent, alliciunt atque excitant. Hancque ob cauſam nec omnes regiones, nec omnes homines peræque afficit ac lædit peſtilens conſtitutio. Hac pernicioſius infeſtantur loca maritima auſtro obiecta, calida & humida, tetris exhalationibus inquinata, alta ac patentia quam mediterranea, aquilonia ſicca, pura, & contecta. Rurſumque inter homines crudelius angũtur, qui calidi & humidi multo ſcatent humore putredini opportuno, patentiore laxoque corpore, quam qui frigidi ſunt & ſicci humore pauco eoque puro, & corpore moderate laxo vel adſtricto. Nimia enim corporum laxitas, quemadmodum & adſtrictio præparat ad peſtem. Sed hæc rurſum altius repetere, & minutius concidere operæpretium erit. Quanquam igitur non minus in diuites quam in pauperes, nec in validos ac robuſtos minus, quam in imbecilles & languidos, nec in euſarcos & quadratos exquiſite ſanos, quam in valetudinarios & cacochymos, nec in viros quam in mulieres, nec in adoleſcentes, quam in ſenes, nec in frigido temperamento præditos, quam in eos qui calido, nec denique in ſiccos minus, quam in humidos graſſatur peſtilẽs venenum (omnibus enim peræque bellum ſolet indicere) ſæpe tamen fit, vt alii aliis citius & prehendantur, & pereant. Nam quod ad ætates attinet, infantes in eam & multo propenſiores ſunt, & periculoſius ægrotant quam pueri, & hi quam adoleſcentes, & adoleſcentes quam ætate prouectiores, & mulieres quam viri, & inter has, quæ vel vtero gerunt, vel minime ſingulis menſibus naturæ lege repurgantur magis, quam reliquæ. Ex tempera-

mentis, quod calidum & humidum, vel frigidum & humidum exiſtit, multo facilius quam vel calidum & ſiccum, vel frigidum & ſiccum, vel temperatum labefactari ſolet. Ideoque ſanguinei ac pituitoſi quam melancholici aut bilioſi, huic morbo patent magis ac ſæpius pereunt. Huius varietatis cauſa eſt, exuperans ichor, qui aeris contagione facile inquinatur, peſtemque excipit. Eandem ob cauſam valetudinarii ac cacochymi vitium ſentiunt ac periclitantur magis, quam qui ſunt exquiſite ſani. Et qui alimentis praui ſucci, quam qui euchymis & eupeptis vtuntur, & qui crapulæ indulgent, & voluptates ſectantur, quam qui frugaliter ac temperanter viuunt. Denique qui continenter ſe gerunt, quam qui libidinoſe, & qui domi ſe continent, quam qui cum multis hominib. commercia habent, contagionem minus perſentiſcunt. Ex animi perturbationibus iracundiam, terrorem atque mœrorem diximus periculo ſubiici: item futuræ peſtis metum atque intentam cogitationem ſæpe eam allicere profitemur, multoſque integre ſanos illius ſolius terrore, metuque perculſos, repente vitium ſenſiſſe teſtamur, ac non multo poſt è medio ſublatos nulla alia, vt mea fert opinio, ratione quam quod vehemens & intenta animi cogitatio atque imaginatio crebra, dum cor mirifice afficit, idipſum ſæpe imprimat atque inurat, quod tantopere metuitur. Animo igitur intrepido primum Deo ſe quiſque commendet ſedulo, ſuamque illi ſalutem committat, mox ad ſaluberrima medicinæ auxilia à Deo hominibus conceſſa confugiat. Sed & vehementem exercitationē omnem, quæ corpus excalfacit, cutis poros reſerat, & reſpi-

rationem auget, fugiendam diximus. Qui vel ob peſtis horrendum metum, vel poſt exercitationem vehementem febre peſtilenti corripitur, in vitæ periculum adducitur, quamlibet ſedulo curetur. Alte enim ad cordis vſque penetralia venenum his ex cauſis ſubit, vnde vix euocari poteſt. Quod ad flatus attinet, auſtrinus peſti obnoxios crudelius angit quam aquilo. Eo diu flante conſtitutione peſtilenti, mira fit ſtrages: cõtra aquilo ſi diutius perflet aeris perniciem emendat, nonnunquam etiam prorſus cohibet ac intercipit, & ex iis qui decumbunt, non paucos leuat. Ex anni temporibus, & cœli conſtitutionibus, quæ calida & humida fuerit, aut valde inæqualis, multo deterior eſt. Æſtatis igitur finis & autumni principium, quam hyems & ver peſtilentes morbos plures & atrociores pariunt. Quo regio quæque ſalubrior eſt, aereq; puriore ac tenuiore perflatur, eo crudelius à veneno peſtilenti, ſi quando eo polluatur, infeſtari ſolet. Longius enim latiuſque excurrit, & velocius enecat, quæ in tenui quam quæ in craſſo aere conſiſtit pernicies: & maximã perniciem eſſe oportet, quæ ſalubrem aeris ac loci naturam peruertat. Quinetiam quo impurus aer tenuior eſt, hoc facilius peſtilenti veneno polluitur, ſæuitque atrocius: ſed in craſſo multo diutius, quam in tenui durat pernicies, quo fit, vt in altioribus ac perflatis regionibus, nec frequens, nec adeo contumax, ſed crudeliſſima ſit peſtis. Eandem ob cauſam, quæ hyeme aut alioqui ſicca & aquilonia conſtitutione incidit peſtilentia, aliquando ſæuior ac periculoſior deprehenſa eſt, quam quæ calida & humida, aut alioqui inæquali & putrida conſtitutione. Porro quum pri-

mum peſtis populariter graſſari incipit, crudelis adeo ac ferox eſſe ſolet, vt ex iis quos attigerit, vix vigeſimus aut centeſimus quiſque euadat. At progrediente tempore paulatim ſic eius ſæuitia retunditur, vt citra vllius remedii opem multi ſolius naturæ beneficio conualeſcant, tumque ea declinare iudicanda eſt.

De ſingulis autem qui peſte correpti fuerint, ſic ſentio, non modo difficile eſſe, imo fieri non poſſe, vt quis de eorum vita aut interitu certo pronunciet. Peſtilentis quippe morbi vis atque pernicies inuadente malo non niſi ex pulſu certo deprehendi poteſt. At is ob varios & inæquales venenatæ auræ cordi inſertæ motus, quantumuis perito & exercitato medico facile imponit. Eſt enim toto morbi decurſu inconſtans fere & incertus, modo validus & naturali pene ſimilis, modo languidus & inordinatus, alias extreme paruus & frequens formicanti fere ſimilis, interdum paulo ante obitum multo quam dudum validior. Hanc autem pulſus varietatem, atque iudicii obſcuritatem parit, naturæ ac veneni duellum, quum in ſe viciſſim agunt alterum in alterius perniciem. Pauci tamen euadent ex iis, quibus ſtatim initio pulſus paruus & valde inæqualis exiſtit, quamlibet leuiter ex aliis ſignis ægrotare iudicentur. Contra vero, quibus toto morbi progreſſu plenus & ordinatus pulſus eſt, etiamſi ex aliis ſignis grauius fortaſſe affici videri poſſint, fere omnes conualeſcũt. Qui morbi principio maxima capitis grauitate premuntur, ac ſopore torpeſcunt, pulſu languido & inæquali, fato concedunt omnes, velut & quibus lipothymiæ frequentes, ſudores frigidi, aliaque lethalia,

quæ

quæ poſtea tradentur, ſigna inſunt. Si bubones, aut carbunculi, aut exanthemata nigra, liuida, plumbea, aut viridia ſunt, mors proxime impendet, velut & iis quibus bubones, aut carbunculi horrenda inſunt magnitudine. Si ante febrem erumpunt atque ad ſuppurationem feſtinant, ſalutis ſpes affulget. Si contra ſequuntur, ſymptomatice fiunt, niſi forte die decretorio prorumpant, & quo plures carbunculi inſunt, aut bubones, hoc periculoſior habendus eſt morbus. Vix centeſimus quiſque euadat, ex iis quibus bubones aut carbunculi intro remeantes citra ſuppurationem ſubito diſparent, vel qui incipiente morbo, cathartico vtuntur, vel ſpontaneo alui profluuio corripiuntur, vel exacto triduo, quatriduove ſecta vena ſpiritu ac ſanguine ſpoliantur.

VERÆ ET LEGITIMÆ PEſtis pathognomonica ſigna.
Cap. VIII.

PORRO autem tria hæc, quæ modo propoſui in aere fieri communium morborum genera, endemium, epidemium, & peſtilens, alias ſimplicia, puraque affligunt, alias idque frequentius, permiſcentur & coeunt, eorum cauſis in idem conſpirantibus, & quadam generis affinitate ſeſe mutuo iuuantibus. Tumque admodum difficilis eſt eorum diſtinctio. Vis quidem peſtifera quodcunque corpus occupet, propria ſemper edit ſigna, & peculiares ſuæ malignitatis notas profert, quibus ſe prodat: at præter has quum in corpus irruit, ſpiritibus & humoribus ad putredinem excipiendam paratis refertum, alia multa ſymptomata in-

fert, aliis ex putredine morbis communia, quæ illius propria ſigna obſcurant, cognitionemque interturbant. Quoniam igitur nullius febris curatio recte inſtitui poteſt, antequam ſimplex ne ea ſit, an diuinum quiddam habeat, perſpectum ſit, præſtat peculiaria veræ & legitimæ peſtis ſigna ſeorſum tradere, quibus illam ab ardente, aut alia quauis putrida febre exercitatus medicus nulla cunctatione diſtinguat. Peſtilentiæ cauſam vna cum ſpiritu hauſtam per pulmones recta cor appetere, primumque in ipſam vitæ arcem, & propriam caloris inſiti ac vitalis ſpiritus ſcaturiginem impetum facere, medicis omnibus receptum eſt. Conſtat & illud quum primum cor venenata aeris inſpirati labe perculſum eſt, omnes ſuas vires colligere quo ſe ab infenſiſſimo hoſte vindicet atq; tueatur. Hoc igitur ſi præparatum eſt, venenoque excipiendo opportunum, neque ſatis obſiſtere poteſt, & perniciem propellere, ſtatim contaminari, afficique neceſſe eſt, nec multo poſt arteriarum ſpiritus, poſtremo humores, vniuerſumque corpus peſtilenti labe pollui. In hoc conflictu pulſus, qui certiſſimus eſſe ſolet, affectionum cordis nuncius, nunc obſcurus, frequens & intercidens, quum venenum cor conculcat ac comprimit, nunc plenior & firmior citra tantam imbecillitatem, quum cordis robur alimento aut medicamento cardiaco vegetius factum, in venenum inſurgit, illudque ſuperare & propellere nititur. Sic affecto, oblæſoque corde membrorum validiſſimo ac nobiliſſimo, vires omnes corporis, ſed præcipue vitales ſtatim infringuntur & elangueſcunt: vnde arteriarum pulſatio multo, quam in aliis febribus exilior & imbecillior,

cillior, magiſque inæqualis atque inordinata comparet: non tamen ſemper, vt in aliis febribus frequentior & celerior. Magna igitur pulſationis arteriarum in‐æqualitas, cum ipſius imbecillitate atque reliquarum virium infirmitate coniuncta, ſtatim aſſiduæ febris initio quum apparet, ſi peſtilens eſt cœli ſtatus, pro fidiſſima peſtis nota iure habeatur. Multo certior coniectura fuerit, ſi citra cauſam manifeſtam frequens ſyncope territat, ſi aſſidua vrget vomitio, aut nauſea, aut cardiogmos. His enim ventriculus cordi affecto conſentiens, vt cor obſcura, inæquali & inordinata pulſatione, efficientis cauſæ malignitatem prodit. Quanquam autem inæquali pulſu febrem ineſſe iudicamus, eamq; periculoſiſſimam: hac tamen ægrotus, quoniam nec ardoris incendio torretur, nec ſiti moleſta premitur, ſe teneri pernegat: febris nihilominus proprium ſignum quum inſit, quis illam adeſſe inficiari auſit? eamque pernicioſiſſimam, quod demonſtrant animi defectio vel ſyncope, aſſidua vomitio aut nauſea, aut cardiogmos, vigiliæ, inquies, corporis iactatio, virium omnium, ſed præcipue vitalium proſtratio, mors plerumque inopinata, & ſine doloris ſenſu. Si forte validior natura diutius obſiſtit, labes interim altius permanat in humores eoſque contaminat, quæ ſi mitior fuerit, febrem infert malignam ac peſtilentem ſimplicem, ſæuior vero carbunculo, vel bubone, vel exanthematis ſtipatam. Quanquam autem ſanguis & humores veneno fere labefactantur, non tamen ſemper putreſcunt: vnde ſæpe nec turbidæ, nec confuſæ ſpectantur vrinæ, ſed ſubſtantia, colore, ſedimentoque laudabiles. Hæc peſtilentis febris exquiſita eſt

deſcriptio. Nam ſi prǽterea, vel capitis dolor, vel delirium, vel incendium vehemens, vel vrinarum magna perturbatio atque confuſio ineſt: hæc non ex peſtilenti labe, ſed ex putrida permiſtione fiunt, quę alias aliam partem magis laceſſens, ſymptomata varia profert. Hæc autem permiſtio ex maligna conſtitutione, quæ anno 1568. multos Lutetiæ proſtrauit, facile elucefcet. In ea igitur febres hoc modo graſſabantur. Initio morbi pleriſque fere omnibus dolor capitis vehemētiſſimus, fluxio quoque è capite in ſubiectam aliquam partē procumbens dolore conſpicuo, ſed citra tumorem vllum, vigiliæ, aſſidua corporis iactatio, vrinæ aliis craſſæ ſubnigræ, liuidæ, vel ex rufo liueſcentes, cum craſſo diuulſo & turbinato ſuſpenſo, aliis naturalibus ſimiles, paucis confuſæ, pleriſque nec calor vehemens, nec ſitis moleſta, nec pulſus à naturali multum alienus. Omnibus fere ad diem quartum aut ſeptimum dolor capitis euaneſcebat, idque aliis inſigni hæmorrhagia è naribus, vel alui profluuio, aliis ſine vacuatione manifeſta: tumque & vrinæ ſi ante turbatæ fuerant, puriores euadebant, coctione manifeſta quotidie in melius procedente, & ægri doloris & moleſtiæ iam expertes ſe procul abeſſe à periculo vitæ conſtanter aſſeuerabant, quum tamen viribus maligna latētis veneni pernicie ſenſim extinctis, citra doloris ſenſum vllamque putredinis notam, breui perirent. Alii phrenitici quarta aut ſeptima luce euadebant ſublata in cerebrū materia, ſicque moriebantur, magna ex parte vrina puriſſima atque enæoremate in ea laudabili, aliiſque coctionis ſignis in excrementis conſpicuis. Aliis alui profluuium lientericum ſtatim morbi initio ac-

tio accedebat: & ſane multis profuit ſpõtanea crudorum deiectio, quibus alimentis & medicamentis cardiacis firmabantur vires. Multis vero arte ſuppreſſa aluus quæ profluebat, phrenitim & mortem attulit: multos contra alui fluor catharticis validioribus auctus, fractis viribus exitii cauſa fuit. Alii citra capitis dolorem præ virium imbecillitate in lecto iacere cogebantur, quibus nec calor inerat vehemens, nec ſitis, nec cibi faſtidium, nec vrina craſſa aut confuſa. Et horum alii ſenſim defectis viribus moriebantur citra vllius putredinis indicium, aut in vrinis, aut in detracto ſanguine manifeſtum. Alii poſt vigeſimum aut vigeſimumſeptimum diem melius habere videbantur, ac conualeſcebant. Communia hæc omnibus aderant ſymptomata, nauſea & cardiogmos, virium reſolutio & imbecillitas, multo quam pro ſymptomatum ſæuitia maior, pulſus paruus & languidus, ſed paulo frequentior & celerior naturali, omnibus inæqualis & inordinatus. Multis etiam, natura à veneno proſtrata, intercidens & interruptus, plurimis maculæ toto corpore conſperſæ erumpebãt. In his ergo qui cephalalgia torquebantur, vrinaſque craſſas excernebant, putredini permiſta erat peſtilentia, quæ exacto die ſeptimo, vel vndecimo, vel decimoquarto, vel decimoſeptimo, euicta iam putredine omnique dolore ſublato, tacite ac furtim iugulabat. In quibuſdam ſola inerat peſtilentia, quæ citra vllum ardoris aut incendii interni argumentum, citraq; dolorem oppreſſo corde perimebat. Nam dum populariter graſſatur peſtilentia, ſi forte venenata pernicies in corpus incidit, quod iam vel plethoricum ſit, vel cacochymũ,

vel obſtructum, vix fieri poteſt, vt ſimplex appareat peſtilens febris: putridæ enim implicatur, & miſta ſigna edit. At ſi in corpus purum inuadit, ſimplex ea eſſe ſolet. Qui ſanguinem abunde mittebant, vel valida cathartica propinabant, fractis naturæ viribus mortem accerſebant: at contra, qui tota morbi progreſſione, aduerſus occultam & malignam perniciem, cardiacis tum alimentis tum medicamentis pugnabant, quamplurimos à morte vindicabant. Incredibile dictu quam multos necarit eorum, qui nihil in febribus præter intemperiem, obſtructionem & putredinem agnoſcunt, imperita ſtoliditas. Hi enim neglecta venenata pernicie, quæ præcipua erat mali cauſa, quæque repreſſa putredine, & etiam edomita ægrotos ſæpe de medio tollebat, dum purgandi & mittendi ſanguinis nullum finem facerent, attrito naturæ robore omnes fere miſere perdebant. Quum toto autumno obſeſſa fuiſſet vrbs maxima numeroſiſſimis copiis referta, omnes ſordes, purgamenta, & fimi equini in vicis aſſeruati, fœtore & graui expiratione aerem ita vitiarunt, vt proximo vere malignæ ac peſtilentes febres eo quo dixi modo graſſari cœperint, quæ tota æſtate & autumno multo ſæuiores factæ, quamplurimos interfecerunt. Quanquam igitur peſtis magnam interdum aliorũ horrendorum ſymptomatum turbam ſecum deducit, hæc tamen pauca, quæ ſupra recenſui, propria & pathognomonica eius, quæ pura & legitima exiſtit, ſigna cenſeri debent. Reliqua enim, quæ peſtilentibus febribus ſuperueniunt, alia in aliis ſunt, vt fert peculiaris cuiuſque natura, humorum qualitas, & veneni populariter ſæuientis affectio. Licet enim

enim deliria fieri poſſunt, bilis vomitiones, præcordiorum diſtentiones, dolores, ſudores multi, & externarum partium frigiditates: adde etiam alui profluuia, tenuia, bilioſa, flatuoſa, vrinas aquoſas, tenues, bilioſas liuidas, nigras, omnibuſq; modis pernicioſas, ſanguinis è naribus ſtillationes, ardores in thorace, linguas torrefactas, anxietates, vigilias, conuulſiones violentas, vlcera mali moris, & carbunculos tum in facie, tum in tonſillis, tum in reliquo corpore, non tamen omnia in omnibus, ſed alia in aliis comparere ſolent. Alii enim pruritum quendam ac ſi aciculis pungerentur, toto corpore ſentiunt, præcipue tamen in naribus. Sunt quos cordis palpitatio male habet cum inſigni calore circum pectus, ſpirandi difficultate & dolore ſub papilla ſiniſtra, aliis nihil tale contingit. Alii die critico immoderata hæmorrhagia, ſiue è naribus, ſiue ex ore, ſiue ex vtero, vel è ſede ſit, vehementer elangueſcunt, alii alui profluuio lienterico aut diarrhœa. Quibuſdam externa frigent, quum interiora vrantur, alii intus foriſque ardent. Aliis facies horrida, plumbea aut liuida, oculi leonini, aut lachrymantes. Alii fato funguntur priuſquam hæc compareant ſymptomata. Sunt qui os ſicciſſimum ac fauces exaſperatas habeant. Alii nec ſitiunt, nec cibum faſtidiunt. Sunt qui præ phrenitide ac mentis alienatione ſeipſos iugulant, aut præcipites ruunt in puteos. Alii à profundo ſomno, quo detinentur excitari nequeunt. Quidam minime decumbunt: ſed tota morbi decurſione, ac ſi minime ægrotarent, mente conſtante integriſque ſenſibus incedunt, & in ipſo inceſſu animam exhalant: alii ſtatim decumbere coguntur, ac non

aliter quã ſi eſſent paralytici perpetuo iacere. Hæc epiphænomena febrium peſtilentium ſunt ſigna, ſine quorum comitatu ſæpe pura peſtis incedit, at vix vnquam ſine pathognomonicis, quæ deſcripta ſunt. Bilioſi qui calido & ſicco ſunt temperamento, omnium citiſſime & delirant, & phrenetici fiũt, maxime vero leues & incõſtantes, quibus erat minimum rationis ac iudicii. Ad hæc ardoribus, vigiliis, doloribus, & ſiti grauiſſime torquentur. Contra vero frigidi & ſicci, qui ſucco melancholico redundant, & frigidi ac humidi in quibus pituitoſus humor exuperat, ſtatim ſopore veluti torpeſcunt, minimumque doloris ſentiunt. Cacochymi quocunque ſint corporis habitu, multis ſymptomatis vexantur, quibus eos qui ſano ſunt corpore ne laceſſiri quidem videas, fluore alui, vomitione, ſiti, inappetentia, ardoribus, aliiſq; eius generis. Quod ad peſtilentis veneni malignitatem attinet, propria quidem & peculiaria eius ſigna, quæ ſupra recenſui, nunquam abſunt. Sed quæ tamẽ ſingulis conſtitutionibus peſtilentibus, non parum varient, vt id veriſſimum ſit, quod à nonnullis literis & memoriæ mandatum eſt, venenũ peſtilens certa quadam antipathia cordi vitæ principio ſemper infenſum eſſe, diuerſis tamen annis ſuam tyrannidem diſſimiliter exercere, & nunc hæc, nunc illa ſymptomata, omnia tamen ad humani generis perniciem exhibere.

LETHALIA PESTIS SIGNA, Cap. IX.

PRopria & pathognomonica, quæ deſcripſi peſtis ſigna, lethalia cenſeri debent, quum natura

tura iam languidiore nihil remittunt, ſed potius exaſperantur & augeſcunt, diuque talia perſeuerant. Contra vero parua & obſcura ſi fuerint, viribus integris non in exiguam ſalutis ſpem adducimur. Itaque ſi in febre peſtilenti valde languidus & inæqualis pulſus ſæpe intercidat, ſi aſſidua vrgeat vomitio, cum frequenti ſyncope, grauitate capitis & veterno, mors in propinquo eſt, tumque alia etiam accedunt, è quibus exitium præuidetur. Nam & carbunculorum caro veluti torrefacta apparet ac nigricat, & liuida eſt eius vicinia, & bubones præduri à ſuppuratione prorſus alieni manum admouenti ſentiuntur, niſi forte intro ſeſe recipientes ſubito euaneſcunt. His igitur ægro iam debili comparentibus, in anguſto ſpes eſt. At vero etſi valeant vires, periculoſiſſimus tamen morbus cenſendus eſt, ſed cuius pernicies ad vnũ aut alterum diem differetur. His porro ſignis multa alia iamiam affuturæ mortis argumenta accedunt, quæ non peſti quidem propria, ſed aliis etiam febribus lethalibus communia ſunt. Eiuſmodi habentur difficilis & anheloſa reſpiratio, phrenitis, ſingultus frequens, nigricantis aut liueſcentis excrementi reiectio, alui profluuium nimis liquidum, tenue, fœtidum, atrum, liuidum aut vireſcens, vrina conturbata, nigra, vel liueſcens: ſuſpenſum, craſſum, diuulſum, colore liuidum aut nigrum figura teres & turbinatum. Aſſidua corporis agitatio, horrenda facies, aſpectus inconſtans & incertus, neruorum ſubſultus, conuulſio inſolita, oculorum conuerſio, vox rauca, balbuties, ſuffuſio, ſudor aut mador fœtidus. Ad extremum ventum eſt, quum pulſus capriſans aut formicans ſentitur, vox defi-

cit, vngues liueſcunt, ſingultus exaſperatur, reſpiratio intercidit, labra retrahuntur, extremum naſi exacuitur & contorquetur. Hæc enim diſſipatæ corporis harmoniæ, extincti caloris & exhauſtorum ſpirituum manifeſta ſunt argumenta. Non tamen omnia in omnibus, ſed alia in aliis magis conſpicua ſunt, & quo plura inſunt, hoc præſentius maiuſque periculum impendet.

Iam vero peſtis cuius cauſa cœlitus in aera ſpargitur, ſæpe non aliis quam quæ ex pulſu ſumuntur, ſignis internoſcitur, quũ præſertim in corpus quadratum, beneque habitum incidit, quæ tamen omnium periculoſiſſima eſt & acutiſſima: quippe quæ plerumq; celerrime hominem de medio tollit, nulla ſiti, nullo cibi faſtidio, nullo dolore, nullo deniq; febris ſigno antegreſſo, eo excepto, quod ex pulſu ſumitur. Itaque in omni febre peſtilenti pulſus accurate obſeruandus. Hic enim quoties languidus inæqualis & inordinatus apparet, febris periculoſiſſima habenda, etiamſi æger ſe febricitare perneget: contra vero quum plenus ac validus tangenti occurrit minimeq; inæqualis.

PESTILENTIS CONSTITVtionis prouiſio. CAP. X.

VT autem abdita eſt illius peſtis, quæ è cœlo in aerem demiſſa ſyderum commixtioni tribuitur, natura & occaſio, ſic etiam difficilis eius aduentantis præſenſio, nullis ſignis aut rationib. conſpicua. At vero quæ vel ab inferioribus exhalationibus in aere putrentibus, vel communium poculentorum, eſculentorumque vitio, & viuendi errore ortum habet, certis argumẽtis & indiciis præuideri

uideri poteſt. Primum de ea, quæ temporum tempeſtatumque minime ordinata, nec æquabili mutatione fit, poſtea de cæteris. In temporibus igitur bene conſtitutis, ſi tempeſtates quæ ſunt partium cuiuſque anni propriæ, conuenienter & opportune ſibi inuicem ſuccedant, vt neque anteuertant, neque remorentur, neque continenter, neque repente infeſtent, ſed paulatim atque viciſſim ferantur, certi, tempeſtiui, beneque morati ſunt morbi, qui æquabili minimumque interrupto curſu ſuam abſoluunt hiſtoriam, nec niſi perquam raro perniciofis ſymptomatis terrorem incutiunt: ſed facilis & ſecundi iudicii quum ſint, maiori ex parte ob naturæ integritatem & materiæ bonitatem, propria criſi ad ſalutem terminantur, citra periculi aut reuerſionis metum. Incertis autem inconſtantibus & alienis anni temporibus, incerti, inconſtantes, & male morati morbi, ſæpe etiam cum ſymptomatum ſuperuenientium ſæuitia, atque interdum cum venenata qualitate coniuncti, ad iudicandum difficiles, & ſiniſtri iudicii fiunt. Ex inæqualibus auté & intempeſtiuis anni conſtitutionibus, quæ magna ex parte frigida & humida exiſtit, qualis anno 1555. (qui vinorum crudorum & acidulorum ferax fuit) variis quidem à fluxione frigida morbis populum exercet, arthritide, rheumatiſmis, lientericis, & aliis alui profluuiis, humorum redundantia per aluum expurgata, epiphoris, ſpuriis pleuritidibus, anginis nothis, aliiſque eius generis, à feroſis & liquidis excrementis. Fiunt etiam epilepſiæ, apoplexiæ, reſolutiones & febres quædam diuturnæ, ſed hæ raræ in frigidis hiſce regionibus: nam etſi materia multa in corporib. redun-

dat, deeſt tamen alienus calor putredinis auctor, & febris cauſa efficiens. Calida vero & ſicca febriũ multarum, earumque acutarum eſt procreatrix, vt Hippocr. & Galen. ſcriptum reliquerunt. Ego tamen tertianas ſimplices & duplices, quæ ſiti, vigiliis, iactatione, & ardoribus incredibiliter ac diu fatigarent, paucos tamen perimerent, ſi iuſta victus ratio & accommoda remedia adhiberentur, ea anni conſtitutione frequentes obſeruaui: vt vera ſit Hippocr. ſententia, ex tempeſtatibus anni in vniuerſum ſiccitates aſſiduis imbribus ſalubriores, & minus mortiferas eſſe. Calida & ſicca conſtitutio vere, tota æſtate & autumno viguit anno 1558. quo Carolus octauus Imperator ab Henrico Galliarum Rege expeditionibus bellicis fatigatus, in Hiſpanias remigrauit, ſeque cœnobio concluſit: Tota tamen Europa febribus variis maxima ex parte intermittentibus, iiſque diuturnis iactata eſt, ſed iis minime lethalibus. Fiunt & alii morbi vt diſſenteriæ, ſtranguriæ, ophthalmiæ, tabidæ affectiones, prout ſuſcipientes cauſæ affectæ, temperatæque fuerint, vel prima ab origine, vel ætate ipſa, vel victus ratione & vitæ inſtituto. Quæ calida & humida exiſtit, niſi flatibus aquiloniis interdum repurgetur ac cõtemperetur, putridas febres quáplurimas procreare ſolet, ſæpe etiam malignas, ecthymatis & exanthematis popularibus ſtipatas, quæ nõnunquam ineunte autumno in veram peſtem degenerant, vel eam accerſunt atq; alliciunt. Hæc autem præcipue contingit, quum parum gelidam hyemem & ver admodum humidum & pluuioſum, ignea & torrida æſtas ſine ventis ſtatim excipit, plerumq; auſtrinis flatibus madeſcens. Hæc enim

enim conſtitutio venenatam in præparatis corporibus putredinem accerſit, præſertim ſi aer nebuloſus ſine pluuiis, turbiduſque magna ex parte fuerit: permixti enim vapores atque halitus in aquam non reſoluti, aerem incraſſant & corrumpunt: imo quo diutius ea caligo perſeuerabit, eo grauior noxa futura eſt. Auicennas quoque imminere peſtem tradit, ſi inæqualis ſit aer, mane & veſperi frigidus, meridie calidus, nunc ſerenus, nunc denſa caligine & atris nebulis obductus. Futuræ etiam peſtis præſagia à cœlo capi poſſunt: hanc enim ſæpe præcedit cometarum apparitio, ſtellarum ardentium in cœlo oberrantium concurſus, nonnunquam eliſio & in terram prolapſio. Sed & ſimul flammæ variæ, ac faces accenſæ, capræ ſaltantes, & etiam profundæ, rubri aut punicei cœli voragines, venturæ calamitatis prænuntiæ, non ſine terrore apparent, interdum etiam horrenda fulgura audiuntur, & fulgetris totus collucet aer. Quæ omnia terræ expirationibus in media aeris regione incaleſcentib. atque putrentibus contingunt. Quum à media & ſuprema aeris regione in hanc infimam vitium influit, herbæ, arborum folia, & fructus ſemiputres, vermiculis corroduntur, aues corruptione percepta, nidos nonnunquam etiam oua ac pullos deſerunt, & cœlum mutant, quo regionis ſalubrioris aere perfruantur. Denique arbores, herbæque totæ ſcatent blattis, tineis, cimicibus, bufonibus, ſtellionibus, ranis caudatis, lacertis, araneis, erucis, vermibus, aliiſque animalculis & beſtiolis, quæ ab aeris putredine, interdum etiam à peſtilentibus terrarum expirationibus (vt obſeruatum eſt) in tanta copia gignuntur, vt ſæpe quadrupedes in paſcuis

perimant. Reptilium igitur omnis generis, & inſectorum animalium, murium, cochlearum terreſtrium, erucarum, ac ſimilium inſolens ac numeroſus exercitus, futuros populares morbos, ſæpe etiam peſtilentes ſignificat. Aeris vitio altius in terram concalfactam inſinuato, vermes, ſerpentes, talpæ, & ſimilia animalia in terræ cauernis deliteſcentia, latibula ſua deſerunt, & è terra exiliunt, quo refrigerium ac leuamen inueniant, quæ tamen aeris malefica vi breui occidunt. Itaque quoties terrarum expirationibus in media regione putrentibus incenſiſque, ſic labefactari aerem contingit, vt nobis lethalis ac peſtilens euadat, in hanc regionem illabens, priuſquam in nos ſæuiat, quæ deſcripſi ſigna veluti ſui furoris teſtes, & belli quod mox indicet, præcones præmittit. Sæpe autē primum impetum in quadrupedes facit, quorum clades imminentis peſtilentiæ certiſſimum teſtimonium eſſe debet, veluti & volucrium, ſi in terram mortuæ decidant. Hæ namque, vt vult Aetius, interdum priuſquam homines, aeris malignitatem perſentiſcant. Porro autem peſtilentiam hinc exortam ecthymata & exanthemata pueris familiaria præcedunt, eamque prænuntiant. Quæ vero à ſemiputribus, ac corruptis alimentis excitata eſt, hinc prænoſcitur, quod vel difficultas annonæ, & ſumma rei frumentariæ inopia vrgeat, adeo vt fecerit prouerbio locum μετὰ λιμὸν ὁ λοιμός, vel frumenta ſydere ſint afflata, vel regionis aquæ præ ſiccitate pene abſorptæ, ſalſedine, aliove inſigni vitio infectæ. Hinc enim corpora valde impura reddi neceſſe eſt, atque ad peſtilentes morbos excipiendos oportuna: fit etiam ſed rarius, quum famem

ſequitur

ſequitur vbertas, & frugum copia. Iam vero peſtis ab inferioribuſne cauſis, an à ſuperioribus orta ſit, ad curationem diligenter diſtinguendum. Quæ ab inquinamento cœlitus demiſſo profecta eſt, iis adhuc incolumibus, qui regiones contectas & depreſſas incolunt, quiq; cœlo craſſo ac nubilo vtuntur, illis cladem infert, qui in altis ac montoſis regionibus aut locis degunt, ne frigidis quidem atque aquilone perflatis parcens: multi eodem tempore eodemque die, vel longis locorum interuallis diſtantes, inexpectata atque repentina labe peſtilenti corripiuntur ac pereunt, denique eam portendi volunt certis planetarum congreſſionibus & aſpectibus, cometarum oſtentis, aliarumq; ignearum impreſſionum portentis, quæ in his regionibus, in quibus ſæuitura eſt peſtilentia, apparuerunt. Contra vero, quæ ab inferioribus hiſce, terreniſque locis orta eſt, ab iis qui craſſum, denſumque aerem inſpirant, & in depreſſis ædibus habitant, ſenſim incipiens, ad alios tandem commigrat, qui ſiccas & montoſas regiones incolunt. Ad hæc illa fere ſimplex eſt, & in omnes fere pariter ſæuit, hæc vero putredini fere implicita, vernacula, nec quibuſlibet hominibus, aut regionibus communis.

VT IMMINENTEM REgioni peſtem auertere liceat.

Cap. XI.

QVOTIES ſæuituræ febris peſtilentis ſigna comparebunt, efficiens eius cauſa ſtatim demolienda eſt, & circumcidenda. Ea autem vel aeris, vel cibi & potus vitium eſt. Non enim aliunde

naſci ſupra diſputatum eſt. Si igitur malefica alimentorum qualitas eius cauſa ſit futura, hac ratione occurretur. Si ſumma rei frumentariæ inopia populus premitur, vel citra ſterilitatem frumenta peſtilenti lue ac robigine infecta ſunt, attente prouideant magiſtratus, ne ſemiputre ac fœtidum, vel aliter vitiatum triticum famelico populo exponatur. Siquidem panis hinc confectus corpora vitioſis ſuccis replet, qui maligne putreſcentes, populares morbos, nonnunquam etiam peſtilentes excitant, aut certe alliciunt. Idem iudicium eſſe debet de carnibus animalium, quæ peſte aliove morbo contagioſo occubuerunt. Tum temporis operæpretium fecerint illuſtriorum ciuitatum magiſtratus, ſi aliunde frumenta optima publicis impenſis aduehi curent, quibus populo opem ferant, imminentemque communem calamitatem propulſent. Si inſolens anni ſiccitas & feruor, aquas ſtagnantes, quæ alicubi fontanarum vicem ſupplent exorbens, ſalſedine, aliiſque vitiis eas infecerit, proximæ vrbis medici incolas commonefaciant, quot quantaque mala illis, qui tam vitioſis aquis vtentur, impendeant. Denique fungis, cochleis terreſtribus, herbis ac fructibus ſemiputridis, populo interdicant, ne peſtis inde orta, vniuerſam regionem deuaſtet. Et ſi qua iam humorum labes ex vitioſis alimentis ante iſtas cautiones contracta fuerat, frequenti purgatione & phlebotomia eluatur, corque cardiacis confirmetur. Sin ab aeris inquinamento peſtilentia metuitur, ſi forte regio ſyluis abundat, non in agris modo, ſed etiam in vrbium & pagorum compitis, alibique paſſim ignes veſperi accendantur, qui tota nocte luculentiſſimam flam-

flammam edant. Sic enim & infima hæc regio reſiccabitur, & è media illabens vitium, vel diſſipabitur, vel reprimetur, ſurſumque refluet. In ea peſte, quæ ex Æthiopia ſerpſit in Græciam, de qua meminit Thucydides, extructis per vrbem pyris Hipp. odoratiſſima ligna, ſuauiſſimoſque flores ac coronas incendit, & aromata atque vnguenta inſperſit, vt tum ignis virtute, tum odorum fragrantia corruptum aerem emendaret, vnde præclaram nominis famam conſequutus eſt, & aurea ſtatua donatus. Idem ad profligandam peſtilentiam conſilium Empedoclem & Agrigentinos medicos ante Hipp. dediſſe proditum eſt. Horum nos imitari diligentiam oportet, & imminente peſte interdiu non minus quam noctu paſſim extructis & accenſis ignibus, atque aromatum ſuffitibus venientem perniciem procul arcere. Quum minime à cœlo, ſuperioribuſve aliis cauſis in aera ſparſa videbitur peſtilentiæ labes, ſed ex inferioribus hiſce locis in ipſum ſublata, obſeruandum diligentius num vel puteus, vel cloaca, vel barathrum eam de ſe perniciem effundat, vt eius ora hiatuſque (ſi qua arte id fieri poſſit) obſtruantur, & ligna, aliæque res aromaticæ, ſi regio earum ſit ferax, in vicinia incendantur: ſin minus in ignes aromata ſpargantur, quæ ſuaui odore aeris fœtorem, & venenatam perniciem doment atque diſſipent. Hic oritur controuerſa quæſtio, an vt aliquando venenum alterius veneni, ſic etiam graueolens & putridus vapor malignæ aeris perniciei peſtilētiæ cauſæ proprium ſit amuletum. Non deſunt enim, qui ad peſtis præcautionem, quotidie fœtidiſſimæ cloacæ aut latrinæ teterrimum nidorem olfaciendum eſſe cōten-

dant, hocq; habeant inter præcipua huiuſce morbi imminentis præſidia. His enim aſſuetam naturam peſtilentem aeris malignitatem poſtea vel negligere, vel huic quoque aſſueſcere citra vitæ periculum. Quod vt facilius perſuadeant virgines obiiciunt, quæ in Xenodochio Lutetiano quamlibet tetrum decumbentium fœtorem perferre aſſuetæ ſunt, quarum vix vllam peſte quantumuis pernicioſa prehendi, aut perire videas. Sunt qui ea iam ſæuiente canes, feles, aliaque animalia trucident, & in viis ac compitis vrbium putreſcere ſinant, quo hinc ſublatus putris ac teter vapor, ambientem aerem impleat, peſtilentemque perniciem vel abſorbeat, vel immutet, ſicque olim medicum Scythiam ſæuiſſima peſte liberaſſe aſſeuerent. Non me latet venena venenorum interdum eſſe alexiteria, & viperinas carnes non ſuo tantum, ſed etiam aliorum ſerpentium veneno occurrere: nec eo inficias, eos qui grauiori atque fœtidiori aeri, aut etiam peſtilenti malignitati aſſueuerunt, quiduis omni fœtore olentius citra incommodum olfacere ac perferre, peſtemque quum ingruit ſic negligere, vt nonnullos viderim ieiunos adhuc nullo intro ſumpto alexiterio, plus quam ducentos, qui peſte corruerant ſepeliiſſe. Sed hoc cõtendo periculoſiſſimum eſſe imminente aut iam graſſante peſtilentia, his aſſueſcere. Ideoque ex iis virginibus, quæ non ita pridem curandis in Xenodochio ægris præfectæ ſunt, vix decima quæque quum grauis vrget peſtilentia incolumis euadit. Sordidum, turpe, obſcœnum toto vitæ decurſu tetris fœtoribus & inquinamentis inhiare. Addo & illud, quod iam ante ſum teſtatus, peſtis cauſam omni putredine eſſe

dete-

deteriorem. Nitida igitur & pura ſemper domus eſto, & ab omni fœtore repurgata. Sed & ex idoneis aromatis quotidie ſuffitus fiat, quo ſiceſcat ac corrigatur aer, & in ſingulis cubiculis ignis aſſidue eandem ob cauſam accendatur, ac colluceat. Lignum autem eſto ſicciſſimum, quernum, faginum, iuniperi, vitis ſarmenta. Accedant & lauri folia, & roſmarinus, & ſaluia, ſtœchas, pſeudonardus, hyſſopus, maiorana, thymus, ſerpillum, pulegium, origanum, & reliqua eius claſſis.

QVÆ PRÆCAVTIO SINGVlis neceſſaria. Cap. XII.

His cautionibus niſi aeris vitium diſſipetur, vnumquemq; ſibi mature proſpicere, venientemque hoſtem antequam feriat, aliis machinis profligare conuenit. Omnium ſecuriſſima atque tutiſſima præcautio cenſetur, ipſa fuga atque loci aut etiam regionis permutatio. Si quis igitur venientem peſtem fugere poteſt, neque officiis publicis retinetur, neq; rei familiaris anguſtia impeditur, nihil ei prius faciendum eſſe cenſeo. Fugere autem oportet cito, longe ac tarde: cito quidem priuſquam admiſſum aeris vitium corporis ſpiritus & humores infecerit, cordique ſe altius inſinuarit. Ex iis enim, qui ſerius locum mutant atque aufugiunt, non pauci peſtis cauſam intus geſtant, quæ vires acquirit eundo, eoſque breui in aere ſereniſſimo ac ſaluberrimo loco incautos perimit. Longe vero diſcedere oportet, extra infectę peſtilentis regionis limites. Nam ad propinquum, quo quis ſe conferat, aeris vitium facile ſequi poteſt. Præſtat autem ſeptentrionem verſus fugere: quippe ab au-

ris ſui habenda eſt, vt id vacet excrementis, inſitusque calor auctior ſit, & vitale cordis robur vegetius: neutrum enim per ſe ac ſeorſim, corpus à peſtis contagione vindicare poteſt. Nam & venenata pernicies qualeſcunque humores attigerit, facile contaminat, niſi robuſtæ naturæ viribus illico repulſum atque diſſipatum venenum euaneſcat: & quamlibet valida, vegetaque ſit corporis facultas, ſi vitioſis excrementis corpus oppreſſum ſit, peſtilenti labe tandem aliquando inquinari ſolet, aeris vitio excrementis in putredinem propenſis ſenſim inſinuato atque altius impreſſo. Iam vero corpus ab excrementis excipiendæ peſtis idoneis vindicabitur, catharticis non modo ægrotantis naturæ atque humorum exuperantiæ, ſed etiam graſſanti peſtilentiæ reprimendæ accommodatis. Purgantibus igitur omnibus cardiaca inſerantur, quæ maleficam illorum vim obtundant, vitaleque robur corroborent & augeant. Blanda etiam ſunto cathartica, quæ peſtilenti conſtitutione præſcribuntur. Nam effrænata ſi ſint, humoribus violentius exagitatis, ſpiritibuſque vel confuſis, vel exhauſtis, corpus præparant ad peſtem. Omnium peſſimum videtur ſcammonium. Quippe venenata ac malefica labe os ventriculi oblædit, & vi effrænata vires omnes reſoluit, diſſipatque ſpiritus. Hoc ſequitur helleborus, colocynthis, eſula, lathyris, turpethum, & reliqua huius ordinis, multoque magis ſtibium quauis arte præparatum. Inter ea, quibus vti conceditur, primas tenent rhabarbarum & aloe. Nam nec humores nimiopere commouent, nec ſpiritus inſigniter diſſipant, nec veneno corpus præparant vt ſuperiora, ſed contra immenſa

amaritudine ac ſiccitate putredini obſiſtunt, ſiccantque corpus, quæ dotes aduerſus peſtilentes morbos mirifice commendantur. Senna quia ventriculo aliquantum grauis, minus eſt accommoda: melancholicis tamen adiectis cardiacis & ſeminibus flatus diſcutientibus præſcribenda. Caſſia omnium purgantium leniſſima ac tutiſſima eſt, ſed quæ peſtilenti cõſtitutione idcirco reiicitur, quod ventriculum nimium relaxet atque humectet. Nihil enim æque corpus ad peſtem præparat, atque nimia partium laxitas, & ſeroſorum excrementorum redundantia. Iecori tamen concalefacto, maxime ſi ſiccum ſit corpus & æſtuoſum cœlum, adiecto ſem. fœniculi momento concedenda. Aloe calida & ſicca ſumme amara, ſaniẽ bilioſam è ventriculo primiſque venis ac viſceribus expurgat, vnaque ventriculum corroborat: ex qua ſatis ſit hominem euſarcum, & minime cacochymum ſemel in hebdomade, aut quarto quoque die confecta tria, quatuorve catapotia ante cibum vorare, vt humores ab imminẽti labe ac putredine vindicentur. Vidi qui peſtilenti cœli ſtatu vnum duntaxat quotidie paſtus initio, alios qui duo diebus alternis deglutirent. Catapotiorum ex aloe, quæ in vſu ſunt aduerſus peſtem, alia Ruffo adſcribuntur, alia communia appellantur. Hæc autem eximie conferunt, quibus corpus crudis humoribus confertum eſt, quoquomodo vſurpentur. Etenim pręterquam quod nulla ventriculi noxa, nullaq; perturbatione aut moleſtia, ventriculum & primas venas omni ſorde expurgant, viſceribus etiam robur addunt, atque humorum putredini, etſi alexiteria quædam habeant, venenatæ peſtis labi ſic aduerſan-

uerſantur, vt quamplurimos qui ad eam maxime propenſi erant, nullis aliis intro ſumptis alexiteriis, à peſtis contagione præſeruarint: præſtat tamen ea ante cibum quam à cibo capere. Rhabarbarũ pondere drachmæ vnius ante paſtum manditur, alias ſolum, alias cum vuis paſſis ab acinis mundatis. His conuenit, quibus humidior eſt ventriculus ac iecur infirmius. Hoc enim viſcus purgat & corroborat, & ſiccando putredinem arcet. Qui calido & ſicco ſunt corporis habitu, diuturno catapotiorum ex aloe & rhabarbari vſu, aliquantum læduntur. His igitur ſyrupus, qui poſtea deſcribetur, erit cõmodior octauo quoque die, per ſe, vel ex cochleari ℥ ß. pondo, vel cum aqua cardiaca. Aut eius loco ſyrupus è cichorio, qui vncias quatuor rhabarbari habeat pro libris ſingulis: cui tamen ſyrupus noſter præferendus, qui non ſolum innoxie purgat, ſed etiam peſtilentis febris malignitatem cohibet & extinguit. Qui admodum impuro & cacochymo erunt corpore, ante mitiorum catharticorum vſum, potione purganti paulo validiore aliquoties repetita, quæ in primis erunt ſedibus excrementa detrahant. Reliquum dein præparabitur vel ſyrupo, vel iulepo, vel apozemate. Denique præparatus humor penitius inſertus apozemate cathartico iterato ducetur. Sic purgata prima corporis regione, quam modo dixi præcautionem aggredientur. Neque enim ſi vel ſcirrhus in meſenterio, iecore aut liene, vel veteres obſtructiones inerunt peſtilenti cœli ſtatu, eiuſmodi ſentina pluribus aut acrioribus catharticis agitari, exhauririque debebit, antequam ſalubrior aer affulgeat. Hæc definire placuit paulo diſtinctius, vt iis, qui ruri de-

gunt, quique exercitato medico deſtituuntur, facile ſit legitimum iſtorum præſidiorum vſum diſcernere.

Catapotia communia.

℞ Aloes opt. ℥ ij. myrrh. elect. cinnamo. ſynceri vtriuſque ℥ j. fiat pul. qui vino aromatico excipiatur.

Catapotia Ruffi.

℞ Aloes ʒ ß. ammoniaci electi ʒ iij. myrrhæ ʒ ij. ß. maſtich. ʒ j. croci grana vj. Concorporentur cum ſucco mali citrii, aut ſyrupo de limonibus.

Catapotia quibus iſtorum loco fœlici ſucceſſu hactenus vſus ſum ad arcenda peſtis contagia.

℞ Aloes opt. ℥ ij. ß. rhabarb. electi, myrrhæ vtriuſque ℥ ß. croci rad. ſiccar. gentianæ, ariſt. loch. rotund. helenii, angelicæ, dictami, agarici albi, ammoniaci, maſtiches ſingul. ʒ j. ß. raſur. cornu cerui, margaritarum electar. terræ ſigill. boliarmenæ veræ, cinnamomi ſingul. ʒ ß. raſuræ cornu vnicornis, ambaris, moſchi ſingul. grana viij. Omnia in tenuiſſimum puluerem contrita excipiantur ſyrupo, qui proxime ponetur, & catapotiorum maſſ. fingatur, adiiciendo mithridatii, & theriaces vtriuſque ʒ j. vſus tempore ℈ ij. in catapotia quatuor aptantur, quæ tertio aut quarto quoque die cibo præmittuntur.

℞ Succorum depurat. ſcabioſ. bugloſ. borrag. & oxalidis, ſucci citrii ſingul. ℥ ij. ſacchari ℥ viij. Coquito in ſyrup. qui cinnamomi, & ſantal. citrini momento condiatur.

Syrup.

Digitized by Google

Syrup. catharticus, ac cardiacus ſiccis ac bilioſis corporibus ad arcendam aeris peſtilentis contagionem quam catapotia commodior.

℞ Rad. cichorii ℥ ij. ß. rad. oxalidis, & oxylapat. polypod. paſſul. purgat. ſingul. ℥ j. rad. tormentill. dictami, & helenii ſingul. ℥ ß. ſem. cardui bened. ʒ ij. ß. calendul. ſuccíſ. ſcabioſ. meliſſ. endiuiæ, ſcariol. borrag. bugloſſ. fumiter. agrimonii, capill. vener. betonicæ, ceterach. ſcolopend. verbenæ, artemiſſ. plantag. ſingul. m. j. florum cordial. betonicæ coronar. geniſt. verbaſci, ſingul. p. j. ſem. fœniculi, citrii, oxalid. aniſ. ſingul. ʒ j. ß. fol. ſennæ mundat. ℥ iiij. Coquito ad ℔. j. ß. Adde in fine agarici albi tro. ℥ j. ß. cinnamo. zedoariæ vtriuſque ʒ j. ß. In expreſſ. diſſol. ſacchar. alb. ℔. ß. fiat ſyrup. Adde in fine coctionis expreſſ. ℥ j. ß. rhabarb. electi infuſ. in aqua cardui cum ʒ ij. cinnamomi, & croci ʒ ß. Cap. ℥ j. ß. aut ℥ ij. pro doſ. ſemel in hebdomad. ex cochlear. vel cum aqua cardiaca. Hæc quidē cathartica ſunt, quibus viciſſim ſemel aut bis quaque hebdomade eum vti velim, qui aeris peſtilentis incōmoda propulſare ſtudet. Iam quæ his præmittenda ſit præparatio tradendum.

Purgatio blanda cacochymo apta peſtilenti cœli ſtatu, ante deſcriptorum catharticorum vſum.

℞ Polypod. paſſul. purgat. rad. helenii ſiccar. rad. cichor. & oxalid. fol. ſennæ mundat. ſingul. ʒ iij. bugloſſ. borrag. pimpinel. ſcabioſ. ſucciſ. florum cord. & geniſtæ ſingul. p. j. ſem. fœn. citrii acetoſ. raſur. cornu cerui ſingul. ʒ ß. fiat decoct. ad doſ. In cola. macera horis duabus rhabarb. elect. ʒ ij. ß.

cinnamomi ʒ ß. In expreſſ. diſſ. ſyr. capill. vener. ℥ j. fiat doſ.

Præparatio ad maiorem purgationem, ſi opus videatur, eſto huiuſmodi.

℞ Aquarum cardui, morſus ſcabioſ. bugloſſ. ſingul. ℥ ij. ß. ſyrup. de limonib. & capil. vener. vtriuſque ℥ j. fiat iulep. ad ij. doſ. ante paſtus.

Vel ſic:

℞ Rad. helenii ſiccæ, vuarum paſſarum damaſcenarum, glycyrrh. rad. cichorii ſingul. ℥ j. ſcobis cornu cerui, rad. graminis, & oxylapathi ſingul. ℥ ß. Coquito ad ℔. j. Adde omniũ capil. ſucciſ. pimpinel. borrag. oxalidis, abſynthii vulgar. ſicci ſingul. p. j. ſem. fœnicul. cardui, citrii, & oxalid. ſingul. ʒ j. ß. In colatur. diſſ. ſyrup. de limonib. ℥ iiij. fiat apozema clarum & conditum ʒ j. cinnamomi.

Apozema purgatorium quo imminente peſte primæ corporis ſedes, ipſaque viſcera validius eluentur.

℞ Polypod. paſſul. purgat. rad. cichorii, cortic. rad. cappar. & tamariſci ſingul. ℥ ß. omnium capill. agrimonii, bugloſſ. borrag. endiuiæ, ſcariol. betonicæ, pimpinel. ſucciſæ ſingul. M. ß. fol. dictami, florum cord. ſingul. p. j. ſem. cardui, citrii, oxalid. fœnicul. aniſſ. ſingul. ʒ j. ß. rad. dictami & tormentill. vtriuſque ʒ j. fol. ſennæ mundat. ℥ j. ß. Coquito in aqua cardui ad ℥. x. Adde in fine agar. albi ℥ ß. cinnamomi, zedoariæ vtriuſque ʒ j. In expreſſ. diſſ. ſyrup. de limonib. ℥ iij. fiat apozema ad tres matutinos alternos. His igitur corpus ab excrementis ad excipiendam peſtem ac putredinem paratis vindicabitur.

cabitur. Iam ad reliqua properemus, quæ nulla manifeſta vacuatione peſtilentem perniciem arcent, cordiſque robur tuentur atque confirmant.

DESCRIPTIONES MVLTOrum alexiteriorum, quæ peſtis contagia arcere poſſunt.

CAP. XIII.

Electarum tabellarum forma.

℞ Pul. E. de gemmis, & diamargar. frigid. vtriuſque ℈ ij. ſcobis cornu cerui, & ebor. vnedonum, trium ſantal. coral. terræ ſigil. boliarmen. veræ ſingul. ℈ j. rad. dictami, & tormentil. vtriuſque ℈ ß. ſcobis cornu vnicornis, ambar. vtriuſque grana xij. moſchi grana iiij. ſacchari albi diſſ. in aqua theriacali, quæ poſtea deſcribetur ℥ iiij. fiat E. per tabel. pond. ʒ iij. cuius vſus erit ante ſingul. paſtus præterquam quo die catharticum aliquod aſſumptum fuerit.

Aliud.

℞ Scobis cornu cerui, & eboris, coral. terræ ſigil. boliarmenæ ſingul. ℈ j. rad. dictami, tormentil. vtriuſque ʒ ß. rad. angelicæ trium ſantal. pul. E. diamargar. frigid. ſingul. ℈ ij. ſacch. diſſoluti in aqua cardui benedict. ℥ iiij. fiat E. per tabell. pond. ʒ iij. Idem præſtat quod ſuperius, ſed paulo imbecillius, eodemque modo vſurpatur: quia minoris conſtat, in re tenui præſcribitur.

Puluis.

℞ Scobis ebor. & cornu cerui vtriuſq; ʒ ij. margaritarum elect. pul. roſarum rubrarum vtriuſque ʒ j. terræ ſigil. boliarmenæ vtriuſque ℈ ij. rad. dicta-

Digitized by Google

mi & tormentil. fol. dictami veri ſingul. ʒ ß. ſem. fœnicul.coriand.præpar.vtriuſque ℈ iiij. foliorum polypod. mentæ, meliſſ. ſaluiæ minor. verbenæ, plantag. rutæ, puleg.regalis ſingul. ℈ j. rad. angelicæ, ligni aloes, ſantal. citrini, zedoariæ ſingul. ʒ ß. folia auri 40. fiat omnium pul. tenuiſſ. Cui adde ſacch. roſ. octuplum, moſchi, ambaris vtriuſque grana viij. Cuius vſus erit ante ſingulos paſtus, atque interdum in fine.

Alius ſuauior puluis minoris conſtans, ſed non adeo efficax.

℞ Cornu ceruini ʒ j. ß. margaritarum coral. terræ ſigil. boliarmenæ veræ ſingul. ʒ ß. ſem. fœn. coriandr. præpar. vtriuſque ʒ j. fiat pul. cui adde ſacchari roſ. octuplum. Vel ſic ſuauiſſimus ac efficaciſſimus, ſed cariſſimus.

Puluis.

℞ Margaritarum elect. ſcobis cornu ceruini, oſſis, de corde cerui ſingul. ʒ ß. ſcobis monocerotis, ambaris, ligni aloes, terræ ſigill. zedoariæ, ſantal. citrini ſingul. ℈ j. moſchi grana iiij. fiat puluis, cui adde ſacchari roſ. ſextuplum. Opiata præſtantiſſima hora ſomni vſurpanda, & mane ante cubilis egreſſum.

Opiata cardiaca calidis naturis commoda.

℞ Florum bugloſſ. borrag. caryophyl. noſtratium roſ. rub. ſeparatim conditorum ſingul. ℥. j. terræ lemniæ, boliarmenæ, ſcobis cornu ceruini ſingul. ʒ ij. margar. ʒ j. ambaris ℈ ß. ſyrup. de ſucco bugloſſ. q. ſ. fingito opiatam. Vel ſic in frigidioribus naturis.

Opiata alia frigidioribus commodior.

℞ Conſeruarum roſ. rub. florum bugloſſ. borrag.

Digitized by Google

rag.& betonicæ coronariæ, ſeu caryophyl. noſtratium ſingul. ℥ j. mithridatii ℥ ß. theriaces venetæ ʒ ij. pul. cornu ceruini ʒ j. margar. electarum, ſcobis cornu vnicornis vtriuſque ℈ j. terræ lemniæ, boliarmenæ vtriuſque ʒ iij. moſchi grana vj. auri folia x x. numer. fiat opiata cum ſyrup. conſeruationis cortic. citrii conditi, aut nucis moſchatæ conditæ. Cap. ʒ j. aut ʒ j. ß. pro doſ. hora ſomni vel mane antequam reſeretur cubiculum, & ſuperbibat ℥ ij. aquæ ſcabio. idque bis terve in hebdomade.

Vinum inulatum amarum quidem & ingratum, ſed ad arcenda peſtis incommoda mire efficax, ſi mane hauriatur ante ientaculum, frigidis præſertim & humidis naturis.

℞ Rad. helenii ſiccæ ℥ j. ß. rad. angelicæ dictami, tormentill. & gentianæ ſingul. ʒ ij. fol. ſiccorum mentæ, abſynthii vulgar. rutæ ſingul. p. j. vini albi optimi ℔. vj. ponantur omnia in phiala, quæ ſoli exponatur, aut loco calido aſſeruetur dies vj. ante vſum. Doſ. ℥ j. ß. aut ℥ ij. mane per ſe, vel cum pari portione aquæ cardui benedicti.

Noduli ſæpe olfaciendi conſtitutione peſtilenti.

℞ Fol. mentæ, meliſſophyli, origani, pulegii, maioranæ, thymi, roſ. rub. lauendul. ſingul. p. j. nucis moſchatæ, caryophyl. rad. angelicę, cinnamomi ſingul. ʒ j. croci ℈ ij. fiant noduli, qui noctu vino macerentur aromatico, vel aceto, vel aqua roſ. Spongia in liquore macerata pro nodulo eſſe poteſt.

Pomum.

℞ Ladani ℥ j. ß. benioin. ſtyracis calamitæ, vtriuſ-

Digitized by Google

que ℥ ß.rad.ireos florent.ſantal.citrini, macis, corticis citrii ſicci,roſ.caryophyl.calami aromatici,rad. angelicæ ſingul.ʒ ß. cinnamomi ℈ ij. ambræ, moſchi, zibeti, ſingul.℈ ß. fiat pomum cum mucagine gummi tragacanthæ extracta in aqua roſ. multo plus moſchi & ambaris adiici poteſt, ſed in calidis naturis & æſtate, caput nimium ferit ac vellicat.

Aliud pomum ſuaueolentius.

℞ Ladani ℥ ij. benioini, ſtyracis, calamintæ vtriuſque ℥ ß. ſubigantur diu aqua damaſcena optima, dein adde pul.tenuiſſimi, radicis ireos florent. ʒ j.ß. malaxentur ſimul cum ol. amigdal. dul. loto in aqua damaſcena. Addendo ſub finem moſchi, ambaris vtriuſque ℈ j. zibeti ℈ ij.fiat pomum iuſtæ conſiſtentiæ.

Aliud omnium ſuauiſſimum.

℞ Benioini, ſtyracis calamintæ, ſingul ʒ ij. ladani ℥ ß. rad.ireos florentiæ, pul.roſ.ſantal. citrini, ſingul. ʒ j.caryophyl.cyperi,calami aromatici, corticis citrii, ſingul. grana vj. moſchi grana viij. ambaris, zibeti, vtriuſque grana vj. Subigantur cum mucagine gummi tragacanth. Elicita in aqua roſ. fiat pomum.

Sal vſurpandus peſtilenti cœli ſtatu.

℞ Aquæ theriacalis ℥ vj.aquæ roſ.℥ ij.ſalis marini optimi ℥ iiij. olla noua plumbo intus illita ferueſiat, dum aqua abſumpta ſit. Sal adſeruetur ad vſum, cui vſus tempore duplũ pulueris raſuræ cornu ceruii inſeretur, & ʒ j. ſalis rutacei.

Puluis farina è qua panis conficietur, permiſcendus.

℞ Sem. fœnicul. dul. ℥ j. ſem. aniſ. ℥ ß. ſcobis

cornu

cornu ceruini ℥ j. ß. ſcobis eboris ʒ ij. rad. dictami, & tormentil. vtriuſque ʒ j. fiat pul. tenuiſſ. qui cum libris xij. fermentatæ maſſæ, è qua panis conficietur, miſcebitur, fietque panis bis coctus. Si ſuauior deſideratur ſacchari libra adiicienda eſt. Multorum ſimplicium medicamentorum vis, vſuſque poſtea tradetur in curatione peſtilentis febris, quorum tamen vis præcipua eſt ad eius præcautionem.

Deſcripta præſidia omnibus communia ſunt ad arcenda peſtis contagia, quæ prudens exercitatuſque medicus ſingulorum aptabit naturis, vtendique modum præfiniet. Solæ prægnantes ſuperſunt, quæ horum vſu oblædi poſſint. His enim nulla purgatio tuta, niſi quæ per caſſiam & per rhabarbarum adhibetur, nec alexiteria ſalutaria, quæ vehementer aperiunt & excalfaciunt, ne fœtum excutiant. Ex iis igitur, quæ deſcripta ſunt, ea ſeligantur, quæ citra inſignem calorem, aut aperiendi atque incidendi facultatem, putredini & peſtilenti conſtitutioni contraria ſunt: Cuiuſmodi habentur terra lemnia, bolus armenus, cornu ceruinum & monocerotis, aquæ cardiacæ bugloſſ. borrag. ſucciſ. atractylid. Conſer. roſ. bugloſ. violarum, betonicæ, aut ſolæ, aut cum mithridat. momento: E. diamargarit. frigid. de gemmis, & ſimilia.

QVÆ VICTVS RATIO PEſtilenti cœli ſtatu tenenda.

Cap. XIV.

PRIMA dietæ lex huic morbo cum aliis omnibus communis, eſculentis ac poculẽtis euchy-

mis veſcendum eſſe dictat. Ex carnibus igitur hæ vſurpentur, quas communis omnium conſenſus longo vſu comprobauit, eſſe ſaluberrimas. Vitulina, quæ duos, tres, quatuorve ad ſummum menſes non exceſſerit, hœdina menſtrua, veruecina non vetuſtior biennio, laudabilem parit ſuccum. Probantur & cappi, galli ſemeſtres, gallinæ, pulli gallinacei, & qui in delitiis ſunt pauonum & gallinarum Indicarum pulli, perdices, phaſiani, galeritæ, turdi, merulæ, & reliquæ auiculæ, quæ dumeta ſectantur, & lepuſculi atque cuniculi iuniores. In peſte quidem ex cauſa inferiore excitata, quæ altius volant aues, & nidos componunt, vt in contraria cauſa terram propius habitantes anteponuntur. Aues tamen aeriæ in vniuerſum minus ſuſpectæ ſunt, quod parcius & rarius ſpirent. Damnatur bubula, ceruina, hircina, ouilla, agnina, ſuilla, columbæ, palumbes, anates, anſeres, mergi, & reliquæ omnes aquaticæ aues. E piſcibus autem, qui durioris ac friabilis ſunt carnis commendantur, ſeu marini, ſeu fluuiatiles ſint. E fluuiatilibus primas tenent, lucius, perca, cancri, ex omnibus minime lutoſis lochia capito: omne piſcium ſaxatilium ac in petroſis locis degentium genus. Ex maritimis bugloſſus, aurata, rhombus, aſellus, draco marinus, rubellio, cancri maritimi omnes, erythrinus, paſſer, mugiles, coracini, pagari, merulæ, turdi, gobiones. Porro ſi cœlum æſtu incanduerit nonnullis conſultius videtur à carnibus abſtinere, vt & cæteris omnibus, quæ facile incendi poſſunt: quin aliis quoque temporibus, decoctorum piſcium longe frequentiorem, quam carnis vſum eſſe volunt, quia frigidiorem ſanguinē proferunt,

Digitized by Google

ferunt,& minus ſaginant,& aquis abditi aeris contagione non inficiuntur. Eodem accedit, quod aquæ ipſæ ob perpetuum fluxum, & mare ob perennem agitationem, vndarum impulſum atque ſalſuginem, minime putrere ſolent. Alii tamen, piſces quod ſint humidiores repudiant, quorum veriſimilior videtur opinio. Aſſantur autem vel elixantur, cumque elixi magis arrident, in æquis partibus vini & aquæ coqui debent, adiecto ſale modico, & aromaticis herbis. Condimentum erit vel acetum, vel butyrum cum aceti & nucis moſchatæ momento.

Aliud condimentum optimum peſtilenti cœli ſtatu, & tamen ſuauiſſimum.

℞ Sampſuchi, thymi, mentæ, ſatureiæ, hyſſopi, petroſel. ſingul. P. ß. fol. acetoſ. M. ij. foliorum borrag. M. ß. Conciduntur minutiſſime, dein olla terrea minima cum butyro, & omphacii momento, quod ſatis eſt coquuntur prunis mediocribus, poſtremo oui vitellus in aqua roſ. ſolutus adiicitur cum croci & nucis moſchatæ pauxillo, præſertim ſi hyems erit, aut corporis conſtitutio frigidior.

Puluis piſcibus aut ad intinctus aceto inſpergendus.

℞ Cinnamomi electi, zinzib. integri, caryophyl. macis, nucis moſchatæ, zedoariæ, coral. raſur. cornu cerui ſingul. ʒ j. croci, rad. angelicæ vtriuſq; ℈ j. roſ. rubrarũ rad. dictami, & tormentil. ſing. ʒ ß. boli armeni veri ʒ j. ß. fiat pul. cui adde ſacch. roſ. quadruplum. Quanquam autem aſſis non quidem exuſtis, ſed humore ſuo turgentib. elixa poſthabentur, ha-

habenda eſt tamen temperamenti cuiuſq; & tempeſtatis anni ratio. Elixa enim calidioribus & ſiccioribus æſtu feruente competunt, vt refrigerent & humectent, & cum eis iuſcula. Itaque ex oleribus quæ in iuſculis conueniunt, numerantur oxalis, portulaca, lactuca, & quam ſpinachiam hodie vocant, borrago, bugloſſum. Ego calendulam, borraginem, bugloſſum, oxalidem, pimpinellam, petroſelinum vſurpare ſoleo, cum tantillo mentæ, hyſſopi, ſampſuchi & thymi. Largior tamen iuſculorum vſus quod putredini viam patefaciant, non probatur, niſi omphacio, aut ſucco mali medici condiantur. In acetariis pimpinellam, portulacam, naſturtium, mentam, oxalidem rotundam, cauliculos lupi ſalictarii, aſparagi, & fœniculi. Conueniunt & mala punica, medica, & citria, quorum mirifica vis eſt ad propulſandam aeris peſtilentis contagionem, & venenum omne profligandum, vt ex iis perſpici poteſt, qui cum ad ſupplicium ducerentur, & oblatum in via eius generis malum guſtaſſent, deinceps aſpidum morſum innoxie tulerunt. Commode vſurpantur & cappares, qui vim ſalis depoſuerint ex oleo & aceto, velut & oliuæ colymbades, quæ muriæ innatant, & tenerrima lupi ſalictarii, & aſparagi germina in iure cocta. Ex ouorum generibus præferenda ſunt gallinacea recentia in ipſorum teſta ſic cocta vt tremant, & ſorberi poſſint, agreſta, omphacio, vel ſucco mali medici condita. Ex arborum fructibus ceraſorum genera omnia repudiantur, præterquam quæ rotunda ſunt, valde rubicunda, & ſapore acida. Nam quæ nigreſcunt omnia & dulcedine valent, mali ſunt ſucci, & facile in ventriculo corrumpuntur.

Alii

Alii vero fructus fere omnes crudi, vel ægre coquuntur, vel corrumpuntur in ventriculo, vel prauum ſuccum reponunt: exceptis iis pomorum & pirorum generibus, quæ ſunt optima, & cordi maxime familiaria: hæc enim tolerari poſſunt, ſi perfecte matura erunt & cocta, edenturque è fœniculi ſemine, obducto ſaccharo, aut ex puluere cardiaco loco ſacchari. Inter mala primatũ tenet carpendulum, ſequitur renatum vulgo appellatum. Nuces regiæ & auellanæ laudantur, ſi cum ſaccharo & ſale ſumantur, præſertim à piſcium eſu. Conueniunt & vuæ paſſæ, & ficus maxime aridæ. Ex iis quædam non ſolum cibi loco in vſum veniunt, ſed etiam medica, qua præcellunt facultate à venenis præſeruant. Vinum in peſtilentia vim magnam auxiliandi habet. Itaque ſiue præcautione opus eſt, ſiue curatione concedi debet. Id autem vel album eſto, vel ſubfuluum, nec dulce, nec craſſum, ſed tenue, defecatum, & odoratum, & ſi fieri poſſit ante peſtis initia paratum: quas dotes omnes habet Lutetiæ vinum Ainum, ad quod proxime accedunt alia multa in agro Pariſienſi nata.

Citreo colore pomaceum, purum, pellucidum, iucundo perfuſum odore, gratum, nec nimium dulce, neq; recens, ex optimis iiſque dulcibus malis confectum, vino (præſertim magnis cœli ardoribus) nihil cedit.

Secunda dietæ lex iubet vnico cibi genere vtendum eſſe: quippe ciborum diſſimilitudo ac varietas ſeditionem mouet, inquit Hippocr. & perturbationem, ſed & coctionis difficultatem, & cruditatem parit. Nonnunquam etiam corruptionem,

dum alia citius, alia tardius concoquuntur: vt vere & præclare à poeta dictum ſit:

Accipe nunc, victus tenuis quæ, quantaq; ſecum
Afferat: in primis valeas bene. nam, variæ res
Ut noceant homini, credas, memor illius eſcæ,
Quæ ſimplex olim tibi ſederit. at, ſimul aſſis
Miſcueris elixa: ſimul conchylia turdis:
Dulcia ſe in bilem vertent: ſtomachoq; tumultum
Lenta feret pituita. vides, vt pallidus omnis
Cœna deſurgat dubia? quin corpus onuſtum
Heſternis vitiis animum quoq; prægrauat vna:
Atq; affligit humo diuinæ particulam auræ.

Qui tamen diſſimilibus eſculentis aſſueuit, paulatim conſuetudinem permutet. Tertia ſaturitatem tanquam ipſam peſtem fugere, neque enim calor inſitus cibi copia oppreſſus peſtilentem auram vel à ſe amoliri, ac regerere vel diſſipare poteſt, neque coctiones omnes recte perficere quamlibet generoſis prẹſidiis confirmetur. Quumque præcipuum eorum qui aduerſus peſtis contagia ſartos ac tectos ſe tueri volunt, ſtudium ſit, vt corpus quam maxime ſuperuacaneis excrementis vaccet, & optime ſpiret, nihil æque fugiendum eſt ac nimia cibi, & potus ſatietas: vt igitur hic in primis cauenda eſt voracitas ac ingluuies, quod omnis mediocritatis exceſſus naturæ infenſus ſit, ſic magna laude digna cenſenda eſt cibi & potus parſimonia. Quartum præceptum eſto, vt ter die cibus ſumatur potius quam bis, mane quidem ientaculum, ad meridiem prandium, ad ſeptimam horam cœna. Nam famem aut ſitim peſtilenti cœli ſtatu ferre nocet admodũ. Fames enim acriores humores & bilioſiores reddit, & maxime quibus calidior eſt ventriculus: ſitis vero

vero frequentem reſpirationem, quæ in hoc affe-ctu noxia eſt, mouet. Initio autem & in fine paſtus medicamentum ſumetur cardiacum. Cardiacum appello, quod nulla vacuatione manifeſta, peſtilentis veneni perniciem infringere, putredinem inhibere, cordis vires tueri, & facultates corporis ad omnia ſua munia obeunda excitare poteſt, & alacriores reddere, qualia ſunt quę deſcripſi pulueris, E. ſolidi, opiatæ, vini, & aquæ forma.

Ientaculum erit ouum tremulum cum ſalis deſcripti, aut cardiaci pulueris momento. Superdabitur vini hauſtus, aqua cardui diluti, aut certe aqua fontaná, in qua ferbuerit cornu ceruini puluis. Eius loco lingua veruecina conueniet, vt Lutetiæ moris eſt apparata cum mali citrii, aut punici ſucco, aut aceto, aut omphacio, & ſale theriacali, aut puluere cardiaco vice ſacchari. Butyrum recens cum ſale theriacali, & puluere cornu ceruini. Panis aſſatus vino madeſcens aqua cardui abunde diluto, cui inſpergetur puluis cardiacus. Coxæ ſuillæ quam nonnulli petaſonem vocant, vel linguæ bubulæ fumo induratæ, vel ceruelati Mediolanenſis fruſtulum interdum conceditur, in naturis præſertim humidioribus. Neque ſale aut aromate condita in huius febris præcautione perinde atque in aliarum vitanda ſunt, modo parce aſſumátur: noxios enim ichores exorbent, & putredini obſiſtunt. Conuenit igitur ante egreſſum cubiculi cibi ac vini nonnihil ſumere. Sic enim cor, aliæque principes partes, venæ, arteriæ, & corpus vniuerſum validiſſimo vapore ac ſpiritu replentur, quorum adminiculo aduerſus pernicioſam aeris labem natura alacrius inſurgit, eamque multo facilius re-

Digitized by Google

pellit ac diſſipat. Si quis conſuetam viuendi rationem mutare nolit, is ante cubiculi exitum, præſidium aliquod cardiacum ſumat in vicem ientaculi. Omnibus conuenit dum loca adeunt ſuſpecta lente incedere, nec cantare, nec vociferari, nec ira cõmoueri, atque excandeſcere, ſed pomum odoriferum, aut nodulum ſæpe naribus admouere, angelicæ radicis nonnihil ore continere, aut eius loco caryophyllum. Hæc enim iucundo vapore cor exhilarant, ac ſpiritus recreant, aeriſque vitium vel emendant, vel regerunt. Ruſtici, & infimæ ſortis homines laboribus aſſueti, bis menſe purgentur catholico. Seſquuncia prægnanti & languidioribus ſat eſt: validioribus vnciæ duæ, aut vnciæ duæ ſemis cum aqua cardui. Iiſdẽ pro cardiaco erit mithridatiũ, cuius ʒ ß. mane alternis dieb. vorabitur, cum duplo conſeruæ florum bugloſſi. Si ne hæc quidem in manu erunt, allium cum ſale, butyro, & pane pro ientaculo erit, aut etiam ſine butyro, ſed vinum poſtea ſuperbibetur, ſi ferat regio, ſin minus pomaceum, aut hydromel tantillo cinnamomi conditum pro potu erit, aut alius quiuis potus quem ſors ipſa præſcribet. Allium otioſis, mollibus, bilioſis, & ſanguineis, quibus calidum iecur, ſanguis tenuis & feruidus, & ſenſus exquiſitus, noxium eſſe ſolet: nam & capitis dolorem accerſit, & vniuerſum corpus nimium calfacit. Contra foſſoribus, & aliis qui laboribus aſſueuerunt vtiliſſimũ. Ideoque ruſticorum theriacam appellat Galenus. Nam præter quam quod occulta proprietate venenatæ peſtilentis aeris contagioni obſiſtere creditur, forti etiam vapore ac ſpiritu corpus replet ac perfundit, quo peſtilentem perniciem vel repellit,
vel

vel extinguit ac ſuperat. Antiquitas vt præſidium ab omni exitioſo pharmaco præſeruans, celebrauit antidotum, cuius compoſitionem in ſanctuariis mithridatis Cn. Pompeius inuenit in peculiari commentario ipſius manu ſcriptam. Habet autem nuces iuglandes ſiccas duas, ficus totidem, folia rutæ viginti, cum ſalis grano. Qui ieiunus ſumpſerit vix vllo veneno lædi poſſe eo die dicitur.

Aliud paratu facile vſu comprobatum.

℞ Rutæ, apii, vniuſcuiuſque folia xx. ſalis gr. ij. butyri tantillum. Hæc eadem in acetariis vſurpari poſſunt ex oleo, ſale, & aceto. Prandium ſi æſtas erit, aut conſtitutio calida & ſicca, præſumpto cardiaco initium ducet à carnium elixarum iuſculo. Commode autem elixantur vitulina, aut veruecina cum gallina, vel capo, vel gallo ſemeſtri, adiectis ſub finem acidis oleribus, & aromaticis, quæ ſupra recenſui, & vſus tempore omphacii, aut ſucci citrii mali, aut punici nonnihil. Abſorpto iure conueniet elixa aut aſſata caro: ſed quæ aſſa erit, aceto, vel omphacio, vel mali citrii, aut punici, aut oxalidis ſucco intingetur, vt eius emendetur empyreuma vuæ paſſæ, vel caricæ aliquot cum biſcocto pane, vel fœniculi ſemine ſaccharo obducto pro bellariis erunt. Adiici etiam poterit pirum optimum coctum, ſi in promptu erit, puluere cardiaco loco ſacchari conditum. In cœna, aſſa elixis iure præferuntur: quanquam modo his, modo illis vti nihil verēdum, ſi inuitet appetentia, nec corporis habitus prohibet. Sed aſſarum empyreuma intinctu acido temperādum in calidis & ſiccis naturis. Nam in frigidis & humidis iſta cautio noxia nedum ſuperuacanea putanda eſt. Si cui acetaria

cordi erunt, ea ſunto eiuſmodi, vt & manifeſta vi putredini reſiſtant,& occulta proprietate peſtilenti veneno aduerſentur: cuiuſmodi ſunt, quæ ſupra enumeraui. Malum medicum cortice ſpoliatum in orbiculos diſſecatur, cui additur ſaccharum & aqua roſacea. Item mali punici granula, cappares cum aceto & oleo pauxillo. Ex herbis, pimpinellæ prima laus debetur. Sequitur oxalis, tenerrima fœniculi germina, & mentæ folia, ſed de iis ſupra. Panis in vtroque paſtu deligendus, qui è puriſſimo tritico confectus ſit, apte fermentatus, & coctus in fornace, ſed nec adeo recens, vt adhuc caleat, nec ita vetus, ſed ante horas x. coctus. Vinum plus minuſve diluendum, vt fert vtentis natura,ac conſuetudo aut tempus,regio,aut cœli cõſtitutio,& vini qualitas. Diluatur autem aqua fontana, vel aqua cardui benedicti, vel decocto ſcobis cornu ceruini & eboris. Conſtitutione peſtilenti hæc à menſis procul ſunt reiicienda. Primum quidem pluuia, hæc namque aeris contagione inſalubris effecta eſt. Deinde piſa, fabæ, omniaque alia legumina, nam & difficile coquuntur,& vitioſum ſuccum procreant, & corpus excrementis ac flatibus onerant. Bubula quoque ſalſa, & ſuilla ſalſa, lepus ſenior, aues omnes, quæ ſtagna, paludes, & maria incolunt. Agnus nimio humore noxius eſt, quemadmodum & piſces omnes, qui molli & humida ſunt carne præditi, qui craſſo ac lento, aut etiam malo ſucco abundant. Eiuſdem ordinis ſunt fructus omnes crudi, qui præſertim facile ac cito corrũpuntur in ventriculo,quales ſunt,quos Græci horarios vocant, fraga,ceraſa omnia dulcia,mora bene matura, aliaque innumera. Sed & lacticinia

nia omnia & placentæ & carnes cruſta incluſæ, ac coquendo veluti ſuffocatæ incommodant, vt etiam melones & cucumeres, frigidioribus præſertim hiſce regionibus, in quibus minus elaborata eſt eorum maturatio præ caloris ſolis imbecillitate. Sed de victu plus ſatis. Nunc alias quaſdam obſeruationes ſcitu dignas percurramus.

ALIÆ QVÆDAM OBSERuationes in peſtilentia perutiles.
Cap. XV.

IMMINENTE autiam ſæuiente peſtilentia nulla vehementior exercitatio ſubeunda eſt. Nam quæ ad defatigationem vſq; progreditur, & ſudorem elicit, duab. ex cauſis periculo ſubiicitur, tum quod vniuerſi corporis poros, quos, ne venenata labes ſeſe intro in corpus inſinuet, ſtipare potius atque occludere par fuit, nimium dilatet & aperiat, vniuerſumque corpus, quod moderate adſtrictum eſſe conuenit, nimiopere rarefaciat: tũ quod ſuſcitato intus calore reſpirationem crebriorem ac maiorem efficiat: quod ab Hipp. merito damnatum eſt. Quum enim peſtilentiæ ſemina in aere, cuius inſpiratione viuimus, inſideant, quo plus eius inſpirando attrahetur, hoc citius vitalis cordis facultas offenditur. Hinc recte ad præcautionem peſtis, parum ſpiritus introducendum eſſe conſuluit Hippocrat. Quieti igitur quam labori potius indulgendum. Ergo locum hic habere nequeunt, quæcunque ab Hippocrate vel Galeno de balneo, præſertim ſi publicum ſit, & de exercitatione tradita ſunt, quum quieſcere multo præſtet, quam eo modo ad laſſitudinem vſque exerceri, vel in bal-

neum deſcendere, ne qua hinc perturbatio atque confuſio in corpore ſuſcitetur, crebriorque reſpiratio perniciem alliciat. Iiſdem de cauſis abſtinendum etiam prorſus eſt à choreis, ſaltatione, cantu, curſu, equitatione concitata, & ab omni exercitatione, quæ crebram inſpirationem efficit. Confert vero lenta deambulatio, quæ fit in loco temperato ac ſalubri, & cuius aer prius ſuffitu aut igni purgatus eſt, eaque matutina, poſtquam ſol vapores nocturnos diſſipauerit. Somnus porro in peſtilenti aere diurnus peior, nocturnus autem melior eſt. Qui cœlum mutare nequeunt quum peſtis inſilit, videant ſaltem ne vel prope cloacas, vel cœmiteria, vel in lanienis, in quib. boues mactantur, vel è regione xenodochii, in quod vndique peſte correpti perferri ſolent, vel prope coriarios, vel iuxta fœtidum alium locum degant. Illic enim aeris contagio multo crudelius debacchari ſolet. Itaque quam longiſſime poterunt, ab omni fœtore ſe ſubducant, dum peſtilens aeris conſtitutio diuanuerit. Flatus aquilonius frigidus & ſiccus quum ſit, non ſolum cutim denſat & adſtringit, reliquoſque corporis meatus occludit, & naturæ robur intus continet, ſed putredini etiam reſiſtit. Auſter vero ei plane contrarius, cutim rarefaciens, meatuſque omnes dilatans, venenatæ perniciei ad intimos quoſque cordis receſſus aditum facit. Sed & vires naturæ diſſipat, & humores putrefacit atque corrumpit: quibus ex cauſis peſtem ſæpe vel allicit, vel exaſperat. Quæ quum ita ſint, quæ ad Septentrionem aut Orientem ſpectabunt feneſtræ, interdiu aperiri debebunt: quæ vero ad meridiem & Occidentem, perpetuo occludi. Semper tamen dili-

Digitized by Google

diligenter animaduertere oportet, vnde vitium deſluat, vt qua parte adoritur atq; irrepit, omnis aditus præcludatur. Haud ſatis ſit peſtilenti cœli ſtatu ab omni motu & exercitatione vehementiore ſibi temperare: ædes, ſi fœtor proximus eſt, mutare, auſtrinæ aeris malignitati viam præcludere, niſi etiam ædium ſingularum aer arte emendetur, atque repurgetur, vt ſupra dictum eſt. Ignis igitur in iis accendendus clauſis feneſtris, ſuffitus mane & veſperi, aut etiam ſæpius adhibendus, ex ſemine iuniperi, aliiſve rebus aromaticis: cuiuſmodi ſunt thus, ſuccus cyrenaicus, ladanum, ſtyrax calaminta, myrrha, vernix, roſ. rub. folia lauri, pulegii, ſaluiæ, ſatureiæ, origani, thymi, maioranæ, myrti, lauendul. roriſmar. nuces cupreſſi, pini & iuniperi lignum, ſantalum, caryophyl. aliaque aut ſimplicia, aut compoſita & factitia, quæ in vſu ſunt. Iſtorum omnium loco hic puluis vſurpari poteſt.

℞ Styracis calamintæ, benioin, thuris, ladani, vernicis ſingul. ℥ ß. roſ. rubrarum, myrti, maioranæ ſingul. p. j. granorum iuniperi, nucum cupreſſi vtriuſque ʒ ij. ß. fiat pul. ad ſuffitum. Pro ſuffitu ſunt aqua aromatica factitia, Damaſcena vulgo dicta, vinum lauendulæ, aqua roſ. aliæque omnes aquæ arom. factitiæ per cubiculum ſparſæ, quemadmodum etiam vinum aceto miſtum, & in molarem lapidem candentem inſtillatum. Horum igitur quopiam non modo cubiculum, totaque domus, ſed & barba ſi longa erit, & veſtiméta omnia ſuffienda ſunt. Sic enim peſtilentis aeris labes, vel diſſipatur, vel obtunditur. Sunt qui pro ſingulari præcautione in cubiculo vbi cibum capiunt ac cubant, hircum alant, qui graui ſuo halitu, tetroque

nidore de ſe profuſo omnia impleat, omnemque vim aeris maleficam vel repellat, vel diſſipet atque extinguat, quorum minime reiicienda videtur opinio. Quanquam enim nulla fortaſſe antipathia venenatæ peſtis naturæ hœdus reſiſtit, quoniam tamen grauiſſimo vapore quo & locum & aſſidentes imbuit, venenatum aerem repellit, aduerſus eius contagia optimum eſſe creditur ſuffimentum. Grauis enim ac olidus vapor alium qui fœtidus eſt, diuerſi tamen generis, oppugnat & arcet quam longiſſime. Experientia comperi coriarios, qui in media Lutetia habitant raro peſte corripi, quo etiam tempore ea in vrbe ſæuit crudelius. Graueolens enim vapor quo tota vicinia perfuſa eſt, peſtilentem aerem vix intro ſubire in eorum caſas patiatur. Semel autem ingreſſus miram ſtragem facit. Sunt tamen qui coriarios, eiuſque farinæ homines qui ſordida tractant, ægre idcirco peſte opprimi contendant, quod omni fœtori aſſueuerint, quorum non magnopere à veritate abhorret opinio. Nam qui latrinarum & fœtidiſſimarum cloacarum purgamenta exportant, & quæ in xenodochio ægrotántibus miniſtrant virgines, quamlibet crudeles peſtilentias (adeo ſcilicet omni graueolentiæ atque aeris inquinamento aſſueuerunt) rident & deſpiciunt. Cubiculi atque ædium aerem ſtructis ignibus ac ſuffimentis purgandum, corque cardiaco ante egreſſum confirmandum eſſe diximus. Nunc addo, nemini ante ſolis exortum & nebularum diſcuſſionem egrediendum eſſe peſtilenti conſtitutione, cœlo præſertim nubilo, & loco paluſtri, ac montibus circumdato. Sæpe enim ſol calore ac lumine aeris vitia diſcutit, quæ ante

eius

Digitized by Google

eius exortum facile præparatos ferirent & afficerent. Præſtiterit tamen æſtate & alio quouis anni tempore quo feruentiſſima erit cœli conſtitutio, vel peregrinari, vel foris negotiis vacare mane ante ſolis ardentem æſtum, & veſperi eo iam inclinante: nam præterquam quod feruido cœlo corporis meatus omnes rariores patentioreſque effecti, aeris labem facilius quam dum conniuebant, admittunt: ipſe etiam peſtilens aer ſolis feruore tenuatus, multo altius ſubit ac penetrat ad cordis vſque penetralia, ſuiſque vitiis ſpiritus & humores magis inficit ac contaminat, quam matutino, veſpertino & nocturno tempore, quo craſſior & frigidior eſſe ſolet. Cauenda tamen ſemper luna eſt, eiuſque declinandi radii, quum præſertim plena atque orbicularis apparet. Tum enim præterquam, quod cerebrum humectans excrementorum prouētum gignit, vim quoque aeris maleficam humoribus facile imprimit, adeoque peſtem inurit. Conuentus quoque hominum conſeſſuſque, quia eo peſte correpti ſæpius ſolent diuertere, fugiendi erunt. Periculoſa etiam eſt eorum conſuetudo ac familiaritas, qui cum ægrotantibus familiariter conuerſantur: cuiuſmodi ſunt clinici, chirurgi, pharmacopæi, miniſtri Eccleſiaſtici, interpolatores, propolæ, mercatores, aliptæ, ægrotantium cuſtodes ac ſerui, aliique eius generis, qui etſi illæſi ſint, peſtis tamen cauſam non raro circumferunt, qua alios ei minime aſſuetos polluant. Quam etiam ob cauſam, nihil ab ignotis vel peſtilenti cœli ſtatu, vel eo non ita pridem mutato emendum eſt. Sæpe enim peſtis ſeminarium integrum biēnium aut triennium in panno, aliiſque ſimilibus in anguſto

conclaui coarctatis ſepultum delituit, quod poſtea commotum incautum emptorem crudeliter afflixit, peſtemque rurſus excitauit. Quod ad animi pathemata pertinet, ira omnium periculoſiſſima cenſetur, hæc enim humores & ſpiritus excalfaciens, agitans atque confundens, ad peſtem præparat. Hanc ſequitur terror atque timor inopinanter incuſſus: quoniam quum omnia intus conturbat, peſtem ſæpe ſtatim pellicit. Mœror & mœſtitia cor eiuſque inſitum calorem & ſpiritus opprimens & conculcans, vt lætitia diffundens ac diſſipans, eadem pericula atque timor non raro infligunt & accerſunt. Quoniam igitur ira, mœror, gaudium, ſomnus, vigilia, cibi & potus parſimonia, victus plenior magnopere obſunt, quoties mediocritatis limites excedunt, neceſſe eſt eum temperanter viuere, ac naturæ conuenientem modum in rebus omnibus adhibere, qui peſtis contagia declinare ſtudet. Proinde à grauioribus curis ac ſolicitudinibus abſtinendum, cogitationes intentæ præſertim de ipſa peſte abiiciendæ ſunt, ne maligni aeris impreſſionem inferant: iucundis rebus & muſicis inſtrumentis indulgendum, ſcripturæ ſacræ & hiſtoriarum amœnis lectionibus ac narrationibus reficiendus & oblectandus animus. Venus immoderata tanquam ipſamet peſtis vitanda eſt. Cœlibes igitur in totum ab ea abſtineant, alii vero connubii ius veſperi tribus aut quatuor horis à cibo perſoluant, ſed ex longioribus interuallis, & ante ſomnum. Superdormire enim conducit, vt humorum feruor conquieſcat, & exhauſti ſpiritus reſarciantur. Mulieres quibus menſtrua ſuppreſſa ſunt, variis morbis opportunæ redduntur. Idcirco purgato

purgato qua ratione dixi corpore, catapotiis quæ mox ſubiiciam vtantur, quorum ope & cohibita naturalis vacuatio recurret, & peſtilentis aeris contagio propulſabitur.

℞ Aloes elect. ℥ j. myrrhæ, rad. gentianæ, ariſtoch. dictami, croci, ſingul. ʒ ß. rad. rubiæ maior. mithridat. vtriuſque ʒ j. fiat maſſa cum ſyrup. de artemiſ. Cap. pilul. v. aut iiij. pro doſ. quotidie mane decem aut duodecim matutinis continuis ante ſolitum menſtruæ purgationis tempus. Inter remedia præcipua, quæ ab imminente peſte multos vindicaſſe comperimus, iure numerentur vlcera in tibiis aut femoribus, aliiſve inferioribus partibus arte facta. His enim corporis ichores, ſeroſaque excrementa, quæ nulla reſiſtentia peſtilenti labe inficiuntur, excurrunt atque repurgantur, ſicque aufertur peſtis præparatio. Inuruntur autem admotis veſicatoriis medicamentis: inuſta vero modo acrioribus, modo leuioribus medicamentis topicis egent. Acrioribus quidem quæ renaſci carnem prohibeant, & fluxionem proritent in partem vlceratam: mitioribus vero, quæ calorem & dolorem, quem vel fluxio, vel admotum acrius medicamentum proritauit, demulceant. Complures vidimus corpore admodum impuro ac cacochymo, qui tamen hac præcautione vſi in peſtilenti aere diu verſati ſunt citra vllum incommodum. Itaque ſiue antiqua vlcera aut fiſtulę in inferiore quapiam parte ſanie dimanabunt ac diffluēt, ſiue multa ſcabie aut impetigine cutis defœdabitur, nihil imponendum conſtitutione peſtilenti, quod excremētorum vacuationem inhibere poſſit: arte potius irritanda ac pertrahenda in cutim materia eſt, ſi pi-

Digitized by Google

grius effluet. Sed nec conſueta hæmorrhagia, ſiue per hæmorrhoidas, ſiue per nares fiat, arte cohibenda: niſi quum eo proceſſit, vt iam ſyncopen accerſat, & mortem minetur. Breuiter quicquid naturæ vi foras erumpere videbitur peſtilenti cœli ſtatu, ſinendum erit, donec ſatis exonerata natura cedat: nam intro repellere vel cohibere noxium. Contra vero ſymptomatica omnis excretio, quæ naturæ vires fruſtra diſſoluit, arte cohibenda, alioqui natura facile poſtea morbo tentabitur atq; opprimetur. Eiuſmodi habetur omnis ſanguinis è naribus minime conſueta vacuatio, caſu aut ictu proritata præter naturæ ordinem, ex vtero facta immoderata hæmorrhagia, quam vehementiſſima iracundia, aliave cauſa externa concitarit, vt etiam lienteria, quam vel nimia cibi copia, vel bilioſa humoris qualitas, & dyſenteria, quam acre ac hypercatharticum medicamentum induxerit.

Finis Libri Primi.

I. PALMARII CONSTANTINI DE FEBRE PESTILENTI LIBER ſecundus.

VICTVS RATIO IN FEBRE peſtilenti. Cap. XVI.

CONVENIT inter medicos febrem omnem humectanti victus ratione indigere, indicatione ab ipſius eſſentia, quæ calida & ſicca eſt intemperies, deſumpta. Contrariorum quippe contraria ſint remedia neceſſe eſt. At vero efficiens febris peſtilentis cauſa, quæ magis vrget, & ex qua neglecta maius impendet periculum, totam curationem ad ſe transfert, & communem hanc medendi legẽ peruertit. Non enim vt in aliis febribus ſic in peſtilenti, calor præter naturam in corde accenſus, & ex eo in omne corpus effuſus, maxime vrget & affligit, ſed maligna quædam ac venenata labes ſpiritibus, ac forte ſeroſis excrementis inſidens, cordique inſerta, cuius & ſi nobis prorſus occulta, & plane inexplicabilis eſt natura, euentis tamen calori inſito, ac vitæ noſtræ principio plurimum infenſa deprehenditur: non quidem calore aut ſiccitate, quum ſæpe citra vllum caloris aut ſiccitatis exceſſum, ac citra dolorem repente iugulet, ſed abdita quadam & ve-

itized by Google

nenata pernicie. Quanquam igitur peſtis omnis febris genere continetur, caloremq; habet in corde præter naturam accenſum, nulla tamen, qua peſtilens eſt, caloris vehementia aut incendio lethalis cenſenda, ſed occulta qualitate, ad quã tanquam ad præcipuum ſcopum, præcipua curationis capita referri debent. Maligna autem hæc & occulta pernicies vna cum aere quem inſpiramus intromiſſa, ſpiritus & ichores corporis mox inficit, & labefactat: dein niſi occurritur, vel cito hominem rapit, vel craſſiores humores putrefacit atque corrumpit. Quocirca victus ratio in initiis inſtituenda non quæ humectet, vt in aliis febribus (ſiquidem humor putredinis materia exiſtit) ſed contra quæ exiccet mediocriter, & noxios quos dixi corporis ichores, qui venenatam labem facile vel admittunt, vel alliciunt, exorbeat. Sit & calore temperata, vt calorem inſitum veneno laceſſitum, ac iam pene ſuccumbentem erigat ac recreet, (is enim ſimili calore conſeruatur) ſimulq; aſſiduam ſpirituum diſſipationem reſarciat. Sed hæc vitæ lex, vt in omni peſtilenti febre, vera & legitima conuenit, ſic in notha quæ putredini implicita eſt, plerumque nocet. Calor ſiquidem ex putredine genitus quum vehementer vrget, vritque interna, ne inſitum breui vel ſuffocet, vel diſſipet, mediocriter refrigeranti victus lege reſtingui poſtulat, non tamen multum humectanti, ne putredinis augeatur materia, ſed modice ſiccanti potius vel humore & ſiccitate temperata. Et hæc uidem in genere de cibo, potu, & aere.

Iam vero in victus ratione virium cuſtodia præcipuus ſemper eſt ſcopus. At ſi vnquam alias, hoc certe

certe in morbo, hæ non ſolũ maximo ſtudio tuendæ ſunt ac retinendæ, ſed etiam quoad fieri poteſt roborandæ, augendæ, maxime vero vitalis, cui venenata ac peſtilens pernicies peculiariter infeſta eſt. Morbis acutis tenuem victum deberi ſcripſit Hippocr. ex quorum genere quum ſit febris peſtilens, vt quæ reliquas omnes vehementia & celeritate plerumque ſuperet, parciſſimum & tenuiſſimum victum requirere veriſimile eſt, ac paradoxum eſſe quicquid de ipſius victu hactenus tradidimus. Quod Hippocr. conſilium non ſatis probe intellectum ſequuti plurimi, in magnum errorem inciderunt, quem tamen ſi rem attentius expen dant, facile agnoſcent & coarguent.

Vult enim Hippocr. in morbis acutis co randum eſſe, an æger cum inſtituto victu rum vſque vigorem peruenire poſſit, qu eius vires deficiant quam ſtatum atting libet acutus morbus ſit, copioſiore alir randum eſſe, neque vnquam comm eius penuria fatiſcant.

At nullum morbi genus eſt, bur velocius infringat, diſſip peſtilentia. In hac itaq; cib pto vires identidem repa ritus. Neque in venen bis, in quibus magna ſ vires exhauſto ſpiri habet illa Hippocr idem ipſe inſinua reliquit, conſti taxat euaſiſſe, dubitauit Gale

porrigere, ſi quando ægris animum morbi vis ademiſſet, vnde vel ſyncope obreperet, vel eius incuteretur metus: quæ ſæpiſſime incidũt in peſte. Adde quod Auicennas, & Raſis ſcriptis mandarunt, cibis vel firmiſſimis, vel affatim nutrientibus, acidis omnibus, ne concidat appetentia, reficiendos eſſe peſte correptos, atque ſi recuſent, ad cibum capiendum etiam cogendos. Cuius conſilii hæc fuit occaſio, quod nulla quamlibet eximia antidotus exhauſtos ſpiritus celerius reſarciat, caloremque ingenitum magis erigat & corroboret, quam optima victus ratio opportuno tempore præſcripta, ætatis, conſuetudinis, temporis, regionis, & pecu-
-ris cuiuſque naturæ habita ratione. Quinetiam
-erum euentu hæc facile conuelletur opinio:
n vllus ex iis, qui tenuiſſimam illam quam
tantopere prædicant victus rationem, in
tenuerũt, euaſiſſe comperietur: at ple-
ontrariam dietam ſequuti ſunt, peſte
-bſeruaui. Neque vero metuendum ne
à morbi coctione auocetur natura.
-ninus alexiteria, quam alimenta
-ſi cibaria, coctu adeo facilia, vt
-alorem non onerent, vt et-
-oborent. Nemini obſcu-
-nignitate venenatæ cau-
-baſcentemque naturæ
-tates & diſſipatos ſpi-
-orbi decurſu paulo
-s alimento, eoque
-ires confirman-
nulli.
-ioris ſarcina ca-
lorem,

lorem, qui iam languidus eſt, opprimamus. Quod periculum declinatur, ſi ſæpe cibus offeratur, ſed ſemel modicus. Sæpe quidem, vt morbi malignitas temperetur, & naturæ vires erigantur, reficianturque ſpiritus, quorum maxima fit in hoc effectu diſſipatio: Semel modicus, vt à calore languidiore facile confici poſſit. Cibus eſto, qui ad præcautionem deſcriptus eſt, aſſus, aut elixus: cui ad condimentum intinctuſve accedat omphacium, acetum, mali medici, aut punici, oxalidis, aut oxyacanthæ ſuccus, quibus pauxillum aquæ roſaceæ, aut aquæ cardiacæ adiicietur. Acidis hiſce ſuccis, & deſtillatis cardiacis, cibi fatidium excutitur, aſſi empyre- ma temperatur, humoris feruor obtunditur, tredo inhibetur, & peſtilens pernicies in- tur. Sed melancholici & pituitoſi, qui frig co referti ſunt, & quicunque ventricul diorem nacti ſunt, citra ſacchari, & cinn deſcripti pulueris cardiaci adiectioner nime vtantur, ne flatibus, ac crudita dia illis diſtendantur.

Victus rationem mediocriter legitima peſte perculſis impe ſiti, nec ardore, aut incen Nam quicunque his iactar tes, elixis, & ex iis ſorbi

Sed elixa omnia co qua fontana, cui adi ctilidis. Sub finem c ctami, & tormenti & eboris ſcober deſcriptæ ſunt, pinella, ſucciſa,

& aſparagorum cauliculi, ſi fert anni tempus, atque etiam petroſelini radix. Quippe diureticis veneni portio vna cum vrinis exigitur. Si quæ dixi in manu non ſunt, ſorbitioni adiicitur omphacii, ſucci oxalidis, aut mali citrii, aut punici pauxillum: ſed citrii ſuccus primas tenet in omni peſtilenti affectu, hunc ſequitur punici ſuccus. Quæ ſic elixatæ fuerint carnes, ex iiſque ſorbitiones, in calidis & ſiccis naturis aſſis præferentur. Satis enim alimenti corpori præſtant, & humorum ardorem melius temperant, ſimulque calidam & ſiccam viſcerum intemperiem emendant. Denique venenatam peſtilentis cauſæ vim obtundunt, ac putredinem ...ent.

...acetariis vſurpabuntur cappares, qui vim ſa...ſus depoſuerint, idque ex aceto roſ. vel ex ...cum floribus betonicæ altilis præparatur. ...rium, arancium, punicum. Hæc qui...atio conuenit incipiẽte morbo quum ...ec dum deiecta eſt appetentia. Nam ...elangueſcunt, vrgetque cibi faſti... cibus aſſumitur.

...rum, & vitulinæ carnis iuſcu... collatitia vocata, ex laudatis ...ibus, gelatina, ex aſſis ex...ue eius generis ſubſtitui ... inſtaurãs deſtillatum. ...l exiguum ſemel offe...um diſſipationi oc...atum ius vocitant) ...ſtilenti febre op...iitur, & prom... inſtaurat, diſſi...

patos

patos ſpiritus reſarcit, & peſtilentis veneni perniciem domat. Sic autem paretur.

Capus & vitulinæ carnis fruſtum coquantur in aquis cardiacis dum contabeſcant, adiecto ſub finem coctionis vini albi quadrante: decoctum ab omni ſorde, & pinguedine perpurgatū cum triente ſacchari colo ſæpius traiicietur, adiectis ouorum albuminibus in ſpumam longa agitatione verſis, inſeretur & cinnamomi ſeſquidrachma, cum croci & terræ ſigillatæ momento: item inter colandum, aceti, & aquæ roſ. tantillum, quo & palato magis arrideat, & putredini aduerſetur magis, temperetur que reliquorum calor.

Capus mediocriter aſſus torculari ſubiicitur cuſque exprimitur, qui langueſcenti pro c Sed ante vſum in paropſide aliquantum roſacea & mali citrii, aut punici ſucco, a cio adiecto.

Aqua carnis.

Capus pelle ſpoliatus, & exentera me conciditur oſſibus abiectis. fruſtum ſimiliter conciditur. A cluduntur: nodulus adiicitur tis, cornu cerui, terræ ſigil gul. ʒ j. bugloſſ. borrag. car roſ. aquæ, miſcentur ſi ſummum.

Ampulla obſignata neum mariæ vocant Expreſſus liquor a ſex, octove coch trii momento ſ xillo ſyrup. è lir

Conſumptum.

Capus & vitulinæ, atque etiam ſi voles veruecinæ carnis fruſtulum in aqua fontana coquuntur, dum contabeſcant, cum ʒ ij. ſcobis cornu cerui nodulo comprehenſæ. Adduntur ſub finem oxalis, bugloſſum, borrago, pimpinella, & calendula. Expreſſus liquor à pinguedine perpurgatus frigido loco reponitur. Doſis tres, quatuor, quinque, ſexve vnciæ cum ſextante omphacii, aut ſucci mali citrii, & cum panis mica, ſi æger deglutire poterit.

Deſtillatum inſtaurans.

℞ Conſeruæ bugloſſ. borrag. florum violarum,
nicæ coronariæ, cichorii & roſ. ſingul. ℥. ij. pul.
nd. ſimpl. diamargarit. frigidi, & E. de gem.
ul. ʒ j. ß. ſcobis cornu ceruini & eborum,
ß. rad. tunicis & tormentil. dictami,
nedicti, citrii mali, & oxalidis ſingul ʒ
. veteris optimi ℥ iij. theriaces venetæ
℔. iiij. decocti capi cum bugloſſ. bor-
rtulacæ, pimpinell. ſcabioſ. calen-
gulorum p. j. quatuor aquarum
oſ. ſingul. ℥ iiij. Eliciatur aqua
s tempore auri tenuiſſimus
tur, vna cum ſaccharo vel

. ſacchari albi ℥ j. aut ℥
ali citrii, aut limonum
de adde auri pul. ℈ j.

riaca comparetur
uius, ſed minus
efficax fuerit.

Si

Si quod poſtea opiatæ forma deſcribetur alexipharmacum præſtantiſſimum in manu erit, eius ℥ iiij. deſtillato, inſerantur dempto mithridatio, aut ſi grauis morbus erit, & vires valde infirmæ, cum mithridat. & theriaca velut deſcripſi.

Satis ſit bis die terve ad ſummum cibum præbere, quandiu vigebit appetentia, mane quidem ientaculum, ad meridiem prandium, & veſperi cœnam. Priuſquam cibus offeratur, manus, faciem & os abluere oportet poſca, dein aliquot acinos mali punici acidi reſperſos, roſacea exugere. Paſtus initium erit à duabus tribuſve vnciis iuſculi elixæ carnis, aut conſumpti, aut aquæ carnis, aut glaciati iuſculi (gelatinam vocant) ſuccedat aſſæ aut elixæ carnis nonnihil. Claudetur vero aliquot vuis paſſis ab externa membranula, & vinaceis purgatis, vino albo, aqua roſ. & ſaccharo ex tempore cõditis, vel ſemine fœnicul. & coriandri. Sed præter hæc quinta quaque hora noctu, & interdiu quatuor, quinque ſexve gelatinæ, aut expreſſi, aut aquæ carnis cochlearia deglutiet, ſuperbibetque vini nonnihil diluti aqua attractilidis, & ſi quando ſyncope obrepet, vinum dilutum cum offa panis. Hoc enim auxilio deficiens animus citiſſime reuocatur.

Quum ægrotus præ violentia morbi ac cibi faſtidio, omne ſolidioris alimenti genus reſpuet, quæ deſcripſi liquida alimenta maiore doſi exhibeantur, adiectis ſi admittit cum iuſculo aliquot offis, aut panis mica. Sed & panatela vocata cum pulli gallinacei iure, aut deſcripto conſumpto cõficienda, quæ carnis vicem ſuppleat. Excitãdæ appetentiæ, & coercẽdæ putredinis cauſa, cibus acidis per-

Digitized by Google

petuo condiendus, ſeu ſolidus ſit, ſeu liquidior, aqua roſ. aceto, omphacio, vel ſucco oxalidis, ſi cætera deſunt. Tum etiam deſtillatum inſtaurãs breuioribus interuallis porrigendum. Hoc enim ſingulare eſt aduerſus omnem malignã febrem, quæ cum virium infirmitate coniuncta eſt, præſidium, naturæ vires reficiens, venenatamque perniciem obterens. Hunc inſtituendi victus modum finire placuit, vt medicinæ tyrones intelligant, tametſi peſtilens febris acuta ſit, peculiarem tamen victus rationem habere. In aliis enim ad ſtatum vſque è pleniore victu ad tenuiorem progreſſus fieri ſolet. Hic vero contra è tenuiore ad pleniorem dum pernicies edomita ſit, vt quo magis vires eius malignitate elangueſcunt, diſiiciunturque ſpiritus; hoc magis illæ confirmentur, & redintegrentur, reſarcianturq; ſpiritus.

Potus eſto vinum album, vel giluum odorum, bene defecatum, beneque maturum. Hoc enim languidioris naturæ vires, diſiectoſq; ſpiritus mirifice recreat atque reparat, & optimum peſtilentis veneni antidotum exiſtit, ſimplici peſte percuſſis nunquam denegandum: ſed diluatur aqua fontana, quæ cum raſura cornu cerui ferbuerit. Diluendum autem pro conſuetudine, ſi ſimplex peſtis nec ſiti, nec ardore inſigni fatigat, præſertim ſi ægrotus natura pituitoſus, aut melancholicus exiſtit, ac regio vel frigida & humida, vel temperata, velut & anni tempus. At ſi putridæ implicita eſt, vrgentque calor, dolor, ſitis, ac præterea ſi feruentiſſimus æſtus eſt, vel regio torrida, vel natura ægrotantis biliosa, vel oligophorum ſeligendum, liberaliuſq; diluendum atque temperandum, vel in

totum

Digitized by Google

totum vino interdicendum eſt. Ego non aqua cocta, ſed aqua cardui, aliiſve aquis cardiacis diluere conſueui, quod multis ſaluti fuit. Cardiacas autem aquas non plumbeo, ſed vel in terreo, vel vitreo, vel argenteo vaſe diſtillatione elicere præſtat, ne inſuaues, & ventriculo graues ſint. Pomaceum quod Northmanis familiare eſt, ſi generoſum ſit, beneque maturum, tuto conceditur: at quod vel non ſatis defecatum, vel nondum bene maturum, vel vetuſtate ſubacidum euaſit, noxium putandum eſt. Piraceum, & cereuiſia minus conueniunt. Extra paſtus ſi ſitis premet, vino poſthabito, vel hydroſaccharum, vel hydromeli, vel ſyrupum de ſucco mali citrii, de limonibus, de ſucco oxalidis, aut agreſtæ, aut ceraſorum, cum aquæ cardui ſextuplo, aut cum fontana aqua, in qua ferbuerit cornu ceruini puluis, vſurpabimus: ſyrupi vicem ſupplebit inſtaurans deſtillatum deſcriptum cum triplo aquæ cardui, & ſyrupi viol. quadrante.

Hydroſaccharum autem & hydromeli, hoc modo parabuntur in peſtilentium morborum præcautione, ac curatione.

℞ Aquæ fontanæ ℔ iiij. ſacchari optimi ℥ vj. ſcobis cornu ceruini ʒ ij. ferueant aliquandiu igne remiſſo in olla noua terrea vitro illita. Igne ſummotis adde aquarum bugloſſi, cardui, & morſus, ſingul. ℥ iiij. Colo omnia traiicientur ſucci mali citrii ſeſquuncia, & cinnamomi drachma vna adiectis.

Hydromeli pituitoſis naturis accommodatius in ſimplici peſtilentia.

℞ Aquæ fontanæ ℔. iiij. mel. optimi ℥ iiij. bull.

Digitized by Google

igne remiſſo in olla noua ad tertiæ partis conſumptionem, atque accurate deſpumentur. Igne ſummotis vbi refrixerint, quatuor aquarum cardiacarum ſingul. ℔.ß. inſeretur, vna cum aceti, & ſucci mali citrii vtriuſque ℥j.ß. & cinnamomi ʒj. Colo transfuſum hydromeli in vſum reponetur.

Potus paratu facilior, in febribus omnibus peſtilentibus & malignis in primis ſalutaris.

℞ Aquæ cum ʒij. ſcobis cornu ceruini coctæ ℔.iij. aquæ cardui benedicti ℔. j.ß. ſacchari ℥iij. cinnamomi ʒj. ſucci limonum ℥j.ß. coletur. Non poſſum eorum ſententiam probare, qui vrgente ſiti & æſtu, frigidam affatim & plenis calicibus peſte correptis, ad ſatietatem vſq; exhibendam cenſent, nam & ſudorum profuſio inhibetur, & inſitus calor venenato morbo plurimum iam attritus, immodico frigidæ potu ſic obruitur, vt breui prorſus deficiat, & extinguatur. Omnis potus exuperantia in hoc affectu noxia eſt, ſed frigidæ peſſima, atque periculoſiſſima. Hic igitur quæ veteres ad tertianas, ardenteſque febres ægrotis inexhauſta ſiti fatigatis indulſerunt, ad peſtilentis febris curationem empirica imitatione trãsferre ineptum ſit. Oportet enim eum, qui ſe tuto frigida replere volet, bene habitum ac carnoſum integriſque viribus præditum eſſe, non attenuatum, nec imbecillum, nec ventriculum frigidum habere, nec inflammationem in viſceribus, & aquam bibere conſueuiſſe, quæ quum deſiderentur in peſte obſeſſis, maxime vero virium robur, nemo eos citra virium diſcrimen frigida expleuerit.

Non minus à ſcopo aberrant, qui in hoc affectu vetant

vetant ſitim tolerare. Bibendum quidem, & naturæ, cibi, ac potus quod ſatis eſt concedendum, minime tamen ſuperuacaneo potu corpus onerandū, etiam ſi ſitis vrgeat, alioqui natiuus calor in venenatæ ac peſtilentis auræ, ſpiritibus atque ſanguinis ichoribus inſidentis, depulſionem occupatus, ad potus exuperantiam concoquendam abſtrahitur. Quum igitur hęc vrgebit, nec iuſta potus copia extinguitur, eam gargariſmatis, aliiſque remediis fallere nihil verendum, ne potus exuperantia vires opprimantur.

DE REMEDIIS LVIS PEſtilentis. Cap. XVII.

DEscripta victus lege, ad remedia quæ peſtis cauſam demoliuntur & circumcidunt, me cōfero. Omnis enim legitima curatio à cauſæ ſublatione (ſiquidem ea adhuc præſens morbum fouet) inchoanda. Sublata enim cauſa, morbus qui ab ea etiamnum fit, continuo euaneſcit, atq; diſparet. Nam vt morbus iam factus ſuo, ſic qui adhuc fit cauſæ ſuæ, tollitur contrario. Quum igitur omnis cauſa ſuo tollatur contrario, operæpretium fuerit efficientem peſtis cauſam perſpicue adeo ac luculenter ob omnium oculos ponere, atque ita accurate ipſius naturam deſcribere, vt eius contrarium, ac peculiare remedium inuenire, atque ad curationem adhibere libeat. Multi quidem literis prodiderunt, eam vel intemperiem eſſe, vel inſignem & inſolentem, ſed manifeſtam humorum putredinem. Quæ ſi vera ſint, eius contrarium inuentu perquam facile ſit. Sed eorum opinionem firmiſſimis rationibus iam ſubuertimus, aliiſque

confecimus, veram peſtis cauſam, nec putredinem eſſe, nec caloris exuperantiam, ſed malignam & perniciosſam labem vna cum aere, cuius inſpiratione viuimus, hauſtam, ſolis ſymptomatis aſpectabilem. Cuius contrarium ſi perueſtigari poſſit, verum peſtis remedium inuentum fuerit, quod opportune ſumptum velut in plurimis aliis venenatis morbis contingit, illius malignitatem obtundet, & arcebit. Equidem ſæpe ſum miratus, quid cauſæ ſit, cur ad peſtem nullum adhuc ſatis efficax alexipharmacum tanquam perfugium inuentum ſit, quum præſertim maiores noſtri viri admodum ſagaces, & omnium venenorum atque amuletorum diligentiſſimi indagatores, infinita remedia ex intimis naturæ penetralibus ac terræ viſceribus eruerint, atque ad humani corporis ſalutem protulerint, vix vt alius ſuperſit quamlibet occultus & venenatus morbus, cui proprium non extet alexipharmacum.

Lues venerea horrendum huius ſeculi opprobrium, venenatam, prorſuſq; inexplicabilem cauſam habet, eius tamen paucis annis verum alexiterium adinuentum eſt magno generis humani ſolatio, quemadmodum etiam veneni quod vel canis rabidus morſu, vel ſcorpio punctura nobis inſerit, idque adeo tutum, vt quiſquis opportune vſus fuerit, liberetur, ac conualeſcat. Sed proh dolor! hactenus ignoratur proprium ac peculiare peſtilentis febris alexipharmacum, verique ſimile eſt, maiores noſtros obſcuritate cauſæ, ab eius remedii inueſtigatione deterritos, nihil de peculiari peſtis curatione literarum monimẽtis ex profeſſo commiſiſſe, verendumque ne inſcrutabili dei optimi maximi

ximi conſilio nobis illius cognitio denegata ſit, vt hoc inſanabili morbo tanquam flagello in homines animaduertat. Nam peſtilentis veneni nullum alexiterium eſſe qui contendit, naturalis philoſophiæ principia ſubuertit, quibus omnia ex contrariis per contraria fieri, humanarumque rerum viciſſitudinem, atq; inſtabilitatem ex principiorum repugnantia, & diſſidio pendere conſtat.

Quum igitur peculiare peſtis remedium, propriumque venenatæ perniciei alexiterium adhuc in naturæ ſinu abditum deliteſcat, ad communia venenorum alexiteria, & ad cardiaca medicamenta, quæ iis ſuffecit humana induſtria, confugere neceſſe eſt. Communia venenorum alexipharmaca voco, medicamenta, quæ veneno cuicunque ſiue introſumpto, ſiue morſu infuſo, non humiditate, aut ſiccitate, calore, aut frigore, detergendi, vel obſtruendi facultate, vel alia denique vlla vi, quæ ab elementorum materia, qualitateve dimanarit, ſed occulta proprietate, cuius nulla ratio reddi poteſt, obſiſtunt & aduerſantur. Antidota vero, quæ non extrinſecus corpori impoſita, ſed intra ipſum aſſumpta lethalibus venenis, virulentis ferarum morſibus, aut malignis ex praua victus ratione obortis affectibus occurrunt. E quibus ea ſeligemus, quæ longo medendi vſu aduerſus peſtilentem perniciem valuiſſe comperimus.

Cardiaca vero appellamus, quæ cordis vires tueri & augere nata ſunt: quoniam enim hæc ſpiritus vitales pariter atque natiuum calorem erigunt & recreant, peſtilentis veneni remedia iure habeantur.

Hi præcipui fontes ſunt, vnde peſtis remedia

Digitized by Google

eruere oportet, tantiſper dum D. opt. max. beneuolentia verum eius alexipharmacum innoteſcet: neque enim vel cathartica, vel venæ ſectio peculiaria remedia ſunt, ſed vt iam dixi omnium morborum, quæ ab humoris vitio originem habent, communia. Ex iis igitur, tum ſimplicia, tum compoſita medicamenta educam, quæ aduerſus venena, venenatoſque morbos aut celebrauit vetuſtas, aut explorauit poſteritas.

Cæterum vt ſcorpio vulneri quod inflixerit admotus, impreſſum venenum celerrime ad ſe rapit & euocat, moribundumque hominem illico liberat, aut velut deſcriptum rabiei amuletum à cane rabido demorſis exhibitum, venientem rabiem anteuertit, arcetque, aut iam contractam extinguit, ac inſanienti mentem integram conſtantes ſenſus ac vitam reddit: vt denique luis venereæ alexipharmacum, qua methodo dixi vſurpatũ luem veneream delet & extinguit: ſic certe luis peſtilentis amuletum tandem aliquando inueniri poſſe non diffido, quod introſumptum eius cauſam de repente prorſus auferre, atque peſte corruentes ſanitati ac vitæ reſtituere poſſit.

Interim ea poſteris vſurpanda ſuadeo, quorum ope plurimi, qui de vita periclitabantur, conualuerunt, quæ contra peſtis malitiam vim habere maximam, & vitale robur validiſſime cõfirmare, longis & magnis experimentis deprehendi.

DE SIMPLICI MATERIA IN febre peſtilenti. Cap. XVIII.

Atractilis vulgo carduus benedictus tẽperamento calido & ſicco, guſtanti amarorem

tem inducit, extenuat, incidit, viſcerum obſtructiones aperit, vrinam & ſudores mouet, cibi faſtidium diſcutit, cor recreat, putredini mire reſiſtit. Sed & venenatorum animalium, maxime vero ſerpentium ſcorpionum & rabioſorum canum morſibus auxiliatur. Longo vſu comperi eum, qui constitutione peſtilenti aliquot ipſius folia cruda mane comederit, vel ſola, vel cum ſale modico acero, & oleo acetarii ſpecie, vel in iure cocta, vel ſucci foliorum viridium vnciam vnam cum pari vini albi menſura hauſerit, tutum eo die fore ab aeris maleficio. Idem præſtat foliorum puluis pondere ʒj. ſumptus. Quinetiam ruſtici, qui iam peſtis contagia ſenſerint, ſi eo variis modis apparato abunde vtantur, & primis diebus ſudorem cieant, tam atrocis morbi periculum declinabunt. Semen in puluerem redactum, vel ſolum, vel cum foliis ſiccis ſumitur pondere ʒj. idque vel cum vino albo diluto, vel cum aqua ex eodem carduo elicita: ſudorem mouet, ſi ſe in lecto æger aliquandiu contineat, velut & ſal ex tota planta confectus, qui etiam aduerſus peſtilẽtes morbos efficaciſſimus habetur. Aqua ex eo ſtillatitia vinum diluere in omni febre maligna remedium haud contemnendum eſt, modo è iam maturo prolecta ſit vitreo vaſe. Semen omnibus antidotis & alexipharmaci vtiliter commiſcetur.

Angelica calida ſicca, aperit, extenuat, diſcutit, venenis aduerſatur, pituitoſos, lentoſque humores digerit, putredinem inhibet, odore aromatico naturæ ſuauiſſimo, non ſolum cor, eique inſitum calorem iuuat & erigit, vitalemque ſpiritum adauget ac corroborat, ſed etiam venenatam au-

ram pellit ac diſſipat, peſtiſque contagia arcet. Qui igitur loca adeunt ſuſpecta, fruſtulum radicis dentibus atterent ac commandant, vel ſæpe narib. admoueant. Sic enim vapore aromatico corpus imbuent, qui peſtilenti aeri locum nullum in corpore relinquat, ſed eum vel repellat, vel diſſipet, vel celerrime extinguat. Introſumpta multo maioris eſt virtutis, ſed frequenti vſu calidioribus naturis officere poteſt, niſi frigidioribus temperetur. Drachma dimidia ſatis eſt, hyeme quidem cum vino albo, æſtate vero cum aqua roſacea, aut bugloſſi, aut alio quouis cardiaco, vel iure, vel decocto, aut cum ſaccharo roſaceo pulueris ſpecie, aut opiatæ forma cum bugloſſi conſerua. Vrinas & ſudores mouet, quo fit vt commodiſſime in lecto decumbenti propinetur. Illic enim patente cute ſudor erumpit vberior, & melius extergeri ac reſiccari poteſt. Opportune etiam commiſcetur cum pari pondere pulueris ſeminis aut foliorum ſiccorum atractylidis ad proliciendos ſudores. Folia, vel ſola, vel cum pimpinella & foliis atractylidis acetarii ſpecie cõeſta, paulo imbecilliorem vim habent. Quos peſtis iam inuaſerit, radicis ſolius tritæ ſemidrachmam, aut duos ſcrupulos aliis pulueribus cardiacis permiſcebunt, haurientque cum aquæ atractylidis vnciis tribus & vncia ſyrupi de limonibus. Aut ſi febrilis calor intus vrgebit cum aquis cichorii & roſ. & ſyrup. violaceo, aut è limonibus. Alii adiecto ſaccharo roſ. deglutient ex cochleari pulueris ſpecie ſuperbibentque aquam theriacalem, aut aquam cardiacam ad luis venereæ curationem præſcriptam, aut deſtillati inſtaurantis ℥ iij. Hoc præſidium bis ſaltem die repetendum mane & ante cœ-

te cœnam, dum venenata qualitate retuſa cordis vires ſatis recreatæ videantur. Flores betonicæ coronariæ ſaccharo conditi, cor & ſpiritus mire exhilarant iucundiſſimo ac ſuauiſſimo odore. Idcirco omni aeris peſtilentis veneno occurrere, etſi iam inuaſerit, liberare creduntur. Condiuntur autem alias integri, alias triti tenuiſſime vt roſ. flores: fitq; ex iis conſerua præſtantiſſima ad omnes melancholicos & peſtilentes affectus mihi longo vſu comprobata. Vſus debet eſſe mane & hora ſomni, ℥ iij. pondere. Herbæ ſuccus cum vino albo potus iiſdem viribus pollere traditur, atque ei opitulari, qui iam peſtis contagione infectus fuerit. Radix calida & ſicca præſtantiſſimas vires ſortita eſt aduerſus venena. Sicca aſſeruari debet ad neceſſarios vſus. Drachmæ pondus ſatis eſt, cum vino albo aut aqua roſarum, aut cardui, prout ætas anni tempus cœli conſtitutio & febris qualitas poſtulant. Commode miſcetur antidotis, quæ aduerſus venena præparantur. Nulla qualitate noxia eſt, etiamſi maiore doſi ſumatur. Betonicæ alterius folia in puluerem reſoluta, & ex vino ſumpta, rabidorum animalium morſibus & venenatorum ictibus magno ſunt adiumento, & à venenis liberant & contra peſtem nō parum laudis obtinent. Radix quoque cor exhilarare & tueri traditur. Hederæ candidæ, flauæ baccæ, cum vino albo ℥ j. pondere potæ venena pellunt, & peſtilenti perniciei repugnāt. Aliis ſex octove baccæ ſatis ſunt. Degluntiuntur integræ, vel manduntur mane, mox vinum album, aut aqua cardui ſuperbibitur. Iuniperi baccæ quia vrinam & ſudores mouent corporibus humidis auxilio ſunt. Sed & occulta proprietate aduerſus

Digitized by Google

omnia venena multo quam hederæ fructus præſtantiores habentur, præſertim vero aduerſus peſtis iniuriam. Ea itaque graſſante, hæ & introſumi cum aqua cardui vel vino albo, & ad ſuffitus vſurpari ſolent, & aliis antidotis miſceri. Octo aut decem ad ſummum ſufficiunt mane duabus horis ante cibum. Oleum ex iis arte chemica elicitur, cuius guttula aliis alexipharmacis miſta ſudores copioſos mouet, peſtiſque perniciem obtundit, frigidis & humidis naturis tutum, calidis & ſiccis noxium. Vt fœniculi ſemen à veteribus aduerſus ſerpentum & ſcorpionum ictus celebratum eſt, ſic id poſteritas pulueribus, aliiſque remediis, quæ aduerſus peſtilentem aeris perniciem comparantur, vtiliter miſcuit, velut & oxalidis & mali citrii, & plantaginis ſemina. Sic & aniſum peſtilens virus profligare, & oris anhelitum odore commendare, & ocymi odorati ſemen roborando cordi, & peſtilentibus venenis repellendis vtile cenſetur. Stœchas aduerſus venena efficax, quo fit, vt antidotis addatur, velut & chamæcypariſſus, quæ aduerſus ſerpentum & ſcorpionum venena ſingulare remedium habetur, velut & plantæ ipſius nuces pilulæve ex vino albo, aut aqua cardui potæ. Hedera terreſtris æſtate collecta, ſiccata, & in tenuiſſimum puluerem vſus tempore trita, cum vino albo exhibetur aduerſus peſtis contagia, ruſticis familiare remedium. Aſphodeli maris radix ſerpentum morſibus & peſtilenti veneno opitulatur. Siccatur & ʒ ij. pondus præbetur ieiunis. Flos & ſemen adhuc vireſcens cum vino, ſcorpionum & ſcolopẽdræ veneno medentur. Aſclepias quæ & hirundinaria calida & ſicca folio aduerſus omnia venena efficax

efficax traditur. Sicca, & in puluerem trita, aqua cardiaca, aut vino diluto propinatur pondere ʒj. Viridis commode additur in iuſculis & acetariis peſtilenti conſtitutione. Pulegium cum vino potum morſibus venenatorum animalium remedio eſt. Ideoque aliquot eius folia in iuſculis cum bugloſſo, oxalide & borragine incoqui poterunt, & pulueris ſpecie aliis antidotis vtiliter miſceri. Gentianæ radix amara, calida & ſicca, extenuat, purgat, abſtergit, obſtructa liberat. Olim contra venenatorum animalium morſus duarũ drachmarum pondere cum pipere, ruta & vino præbebatur. Nos eam aduerſus peſtilentium febrium contagia vtiliſſimam explorauimus. Summa amaritudine non modo ſanguinis integritatem tuetur, atque à putredine vindicat, ſed eam etiam iam graſſantem coercet, & noxios ichores qui eius fomites eſſe ſolent, ſiccando abſorbet. Ariſtolochiæ radix huic viribus proxima, amara & ſubacris, incidit & extenuat, terget & diſcutit. Helenii radicem & ex ea factitium vinum non modo contra venena, & venenatorum animalium morſus, ſed etiam contra peſtilentes febres valere vſu deprehenſum eſt. Radix ſaccharo condiri ſolet conſeruæ forma, & ad vſum reponi, alii ea ſicca vtuntur peſtilenti conſtitutione ad arcenda graſſantis veneni contagia fœlici ſucceſſu: vt paucis complectar, gentianæ & helenii radices ineunte vere aut autumno, foliis deciduis collectæ, ſiccatæ & repoſitæ, ruſticis pro theriaca & mithridatio ſunt aduerſus omnem veneni ſuſpicionem, & aeris malignitatem. Ad graſſantis peſtis præcautionẽ alterutrius nonnihil mane voratur, mox vinum ſuperdatur, generoſum

quidem, ſed parca manu & aqua cardui dilutum. Biſtortæ pentaphyli, heptaphylique radices in pulueré reſolutæ, & cum vino albo ʒ j. pondere ſumptæ, aut maiori copia aqua decoctæ, impendentem peſtem arcent, & præſentem profligant. Coriandrum præparatum ieiuno vẽtriculo ſumptum pleriſque profuiſſe compertum eſt. Flores calendulæ & geniſtæ conditi non paucos peſtilentis aeris cõtagione liberaſſe traduntur. Item flores & ſemina hyperici ad ʒ j. data. Succus radicis chelidonii maioris ex vino albo & aceti roſacei momẽto expreſſus, nonnullis præſentaneum auxilium attulit, & virus ſudore foras pepulit. Chamædrys & chamepytis craſſos humores incidunt & expurgãt, abſtergunt viſcera, obſtructiones aperiunt, putredinem cohibent, & peſtilentiæ aduerſantur. Calamintha abſterſoria facultate potens, venenis obluctari creditur, puluere ſumpta ex aqua atractylidis: ſiccat, digerit, ſudores mouet, peſtem propellit. Origano cum ſerpentibus pugnatura ſe munire traditur teſtudo, vnde aduerſus venena & peſtem valere compertum eſt. Datur pul. cum mithridatii ʒ ß. à ʒ j. ad ʒ j. ß. ex vino albo & aqua ſcabioſ. Flores nardi Italicæ venenis obſiſtunt, peſtilentemque aeris malignitatem euincunt, frigidis & pituitoſis naturis vtiles, pulueris forma ʒ ß. ſatis eſt ex aqua cardiaca. Abſynthium iecur & ventriculum confirmat, cruditates concoquit, inflationes ſtomachi & præcordiorum diſcutit, bilioſos ichores ſiccando abſorbet & abſtergit, obſtructiones tollit & putredinem, quæ peſtem excipere ſolet, remoratur. Abrotonum etiam ex vino ſumptum, ad peſtem & exitialia venena præſentiſſimo & efficaciſ-

ſimo

Digitized by Google

ſimo eſſe auxilio fertur. Vtrumque frigidis & humidis naturis ex vſu. Vinum abſynthites ad peſtem etiam valere creditur. Sal quoque ex abſynthio confectus ſudoribus eliciendis & abſorbēdis ichoribus, in quibus peſtilens pernicies ſedem habet manifeſto experimento conducit. Datur ex aqua cardui & ſyrupo de limonibus. Idem efficacius præſtare creduntur, ſales è fraxino, iuglande arbore, ruta, ſaluia, atractylide, & helenio confecti. Sunt qui aquam ex papauere rhœade prolectam, ad peſtis præcautionem & curationem conferre prodiderunt, cuius rei nullum feci periculū. Idem de ſuccis aut aquis roſarum, oxalidis, nymphex, clematidis, daphnoidis prædicant. Puluis baccarum lauri ex aqua cardui potus, & oleum ex eiſdem arte chemica deſtillatū (ſi guttæ aliquot cum aqua atractylidis propinentur) dein ſudores excipiantur, liberare deprehenditur. Oleum ex mali medici corticibus & ſeminibus elicitum, putredini & venenis peſtilentibus præter opinionem reſiſtit, ſumptum aut carpis, & cordis regioni inunctum. Quod etiam oleum è cortice mali arancii efficere traditur. Oleum ſcorpionum arteriis temporum, manuum & pedum, occipiti gulæ, & pectori illitum, & vicino buboni loco inunctū, præſentem afferre opem traditur, quod tamen nullo mihi experimento conſtat. Roſmarinus ſeu libanotis incenſa, ſuffitu tutam præſtare in peſtilentia domum creditur, & nidore improbam aeris diluere perniciem. Flores condiri ſolent ad robur cerebri, qui auræ etiam venenatæ ac peſtilentis iniuriam à corde repellunt. Echion & alcibiadicum, quod & bugloſſum ſylueſtre, calidum & ſiccum,

contra ſerpentium & ſcorpionum ictus vtile cenſetur: poterit in vſum traduci contra peſtilentiam: Vt apium contra araneas ſingulare habetur antidotum, ſi octo eius folia cum totidem rutæ foliis & butyro recenti ſalſo exhibeantur, ſic peſtilenti conſtitutione eodem modo ſumptum ſaluberrimum. Eryngium aduerſus omnia venena efficax habetur. Radicis decoctum præfertur ad vinum diluendum. Cyperi radix contra ſerpentium, maxime vero ſcorpionum ictus ſingulare remedium veteribus habita eſt. Poſteritas comperit odoris fragrantia peſtilentis, aut aliter corrupti aeris inquinamenta diſcutere. Eius pulueratæ ʒ j. cum vino albo aut aqua cardiaca pota mane aliquot dies, multos peſte correptos vindicauit. Eam igitur peſtilenti conſtitutione, alias ſolam, alias cum aliis alexipharmacis miſtam vſurpare nihil verendum, iis præſertim quibus meliorum præſidiorum non eſt copia. Inſigniter ſiccat ſine morſu, calfacit paulum ſupra mediocritatem, tenuium eſt partium & odoris iucundiſſimi, quæ dotes in medicamentis, quæ venenis opponuntur, deſiderari ſolent. Meliſſophyli mentæ & marrubii folia cum aceti & olei modico ruſticis pro acetario eſſe poſſunt peſtilenti conſtitutione. Calfaciunt, attenuant ac diſcutiunt non ſolum vaporem melancholicum, ſed etiam humorem vnde progignitur: eaque ratione terrorem ac mœſtitiam, quæ hinc ortum habent, tollunt, & odoris ſuauitate cor exhilarant, & ſpiritus corroborant. His ſi pimpinellæ & oxalidis rotundæ, & portulacæ folia accedant, præſtantius euadet remedium. Dioſcorides auctor eſt, marrubium decocto & ſucco iis, qui à ſerpentib. icti ſunt,

aut

aut venenum hauſerunt opitulari. Dum ſemine turget collectum, ſiccatum coquitur in aqua: Succus ex eo virente exprimitur. Eximia etiam pimpinellæ radici laus, ad peſtem, malignaſque febres arcendas ac profligandas, ſi cum vino albo ad ʒ j. bis die ante cibum propinetur. Aqua ſtillatitia meliſſophyli peſtilenti tempore vtiliſſima quocunq; modo vſurpetur. Alii adiecto ſyrupo de limonibus aut de ſucco citrii acidi zulapium conficiunt: cuius ℥ iij. ante ſingulos paſtus præbeant, alii vinum diluunt. Folia æſtate collecta, ſiccata, & in pollinẽ redacta, ſi cum ſaccharo ex cochleari dentur ante paſtus, peſte correptis auxiliantur. Oleum ex his ſiccis elicitum, antidotis quæ ad peſtilentiam comparantur, vtiliſſime inſeritur, velut & oleum è menta. Succiſa quæ & morſus diaboli, amara, calida & ſicca, aquam profundit, quæ peſti aduerſatur quocunq; modo vſurpetur. Vinum hac commode diluitur: carnes etiã huic incoquuntur. Conſtitutione peſtilenti ad ſitim arcendam extra paſtus loco vini eſt cum ſyrupo de limonibus. Herba & radix ſiccari, & antidotis quæ ad peſtem comparantur, miſceri ſolent. Stœbe quæ & ſcabioſa, eiuſque aqua eaſdem atque ſucciſa aduerſus peſtilentis mali perniciem vires habent, ſed longius eam à corde propellunt, atque in ſuperficiem diſiiciunt, quam ſucciſa. Centaurium minus quod & fel terræ, aduerſus aerem peſtilentem optimum eſt præſidium, flores & folia cum cibis ex oleo & aceto acetarii loco proſunt graſſante peſtilentia, cibos antegreſſa iuuant. Si oleum & acetum defuerit, cum butyro recenti, ſed ſalſo ſumantur. E floribus, foliiſque, aut quod præſtantius eſt è cacu-

mine dum ſemine turget, puluis fit, qui drachmæ vnius pondere vel ex vino, vel ex aqua cardui, vel ex iure capi, vel ex aqua roſ. vel ex alio quouis liquore, vel certe ex cochleari cũ ſaccharo roſ. ſumptus, ſingulare eſt non ſolum imminentis, ſed etiam iam contractæ luis peſtilẽtis propugnaculum. Herba hæc haud immerito ruſticorum theriaca appellata eſt. Nam quocunque modo vtaris, noxios corporis ichores ſiccando abſorbet, & ſumma qua pollet amaritudine vtiles humores à putredine aſſerit. Verbenæ in terram ſparſæ folia ac radices cum vino potæ aut extrinſecus admotę à ſerpentium morſibus vindicant. Puluis ʒ j. pondere cũ aqua ſucciſæ peſte correptos mirifice iuuat. Vſu comperi polypodii & plantaginis folia aduerſus canis rabidi, & aliarum ferarum virus plurimum valere. Idcirco peſtilentis febris antidotis miſceri poterunt. Ruta è numero eſt medicamẽtorum, quæ valenter ſiccando proſunt, & craſſos ac lentos humores incidere pariter ac digerere poſſunt, quibus viribus multis morbis opitulari ſolet. Sed alia facultate prædita eſt, qua venenis repugnat, bellumque indicit, quo fit, vt pro antidoto aduerſus plurima venena eius folia trita, & cum vino miſta vſurpentur, velut aduerſus aconitum, ſerpentium morſus, & ſcorpionum ictus, contra araneas, apum, & veſparum aculeos, cantharidas, ſalamandras. Prodeſt etiam aduerſus canis rabidi morſum, ſi eius ſuccus cum vino albo mane propinetur, quatuor, quinque, ſexve diluculis, & laboranti loco contuſa folia aut manſa, aut cum ſale & aceto cocta admoueantur. In ſumma, ruta vera eſt ruſticorum theriace, qua qui mane antequam domum egre-

Digitized by Google

egrediatur vſus fuerit, tutus eo die futurus eſt à peſtis contagione. Vtendi autem modus admodum varius eſt: nam & tuſa folia cum vino bibuntur, & ſola vel cum ſalis & butyri recentis momento comeduntur, interdum cum duabus iuglandibus & ficubus totidem, interdum cum aceti, ſalis & olei momento. Nonnunquam pimpinella & folia atractylidis adiiciũtur. Semen ʒ j. pondere cum vino potum foliis multo efficacius traditur. Petaſites foliis & radice peſti obſiſtit, ſiccat inſigniter & odore aromatico cor exhilarat, ſudorem mouet ſi ʒ j. mane cum vino datur. Allium aduerſus plurima venena creditur antidotus. Contra canis rabidi, aliorumque venenatorum animalium morſus celebrauit vetuſtas, non modo introſumptum, ſed etiam extrinſecus admotum. Id ſerpentes fugiunt perinde ac rutam. Ruſticorum idcirco theriace habetur. Eius fruſtula duo cum ſale ſumpta aerem peſtilentem repellunt atque diſcutiunt. Nam præterquam, quod occulta & inexplicabili facultate venenorum perniciem infringit, forti vapore corpus opplet ac perfundit, cuius vi peſtilentem aerem efficaciter immutat atque diſſipat. Minime tamen omnibus naturis conueniat, quin bilioſis & aliis omnibus exquiſito ſenſu præditis, capitis grauitatem & dolorem accerſit. Ficus ſolæ venenis inſigniter aduerſantur, ſi mane ventriculo vacuo ſumantur. Sed præſtantiores ſunt, ſi cum iuglandibus aut amygdalis edantur: duæ ficus, iuglandes totidem & decem amygdalæ amaræ quidem in frigidis naturis, dulces vero in calidis & bilioſis. Scordium amarum & acre, viſcera expurgat, putredinem arcet, obſtructiones liberat, ſiccum & vino

coctum contra ſerpentium morſus & venena bibitur, atque etiam contra peſtilentis aeris contagia antidotis inſeritur, quæ contra peſtem fiunt. Triphyllum nobis trifolium odoratum, contra ſerpentum morſum & ſcorpii ictum tam introſumptum, quam foris admotum efficax, aduerſus alia etiam venena atque peſtilentiæ contagia, vtiliſſimum eſſe compertum eſt. Folia pro acetario eſſe poſſunt paſtus initio. Trita cum oxymelite mane propinantur. Dioſcorides ʒ iij. rad. & iiij. foliorum præbet. Sed Plinii ſententiam ſequutus, ſeminis xxiiij. grana aut totidem herbæ folia præbui cum cardiaco liquore. ocymi ſylueſtris ſemen, mire efficax creditur contra venenatorum animaliũ ictus. Domeſtici ſemen melancholicos exhilarat, & venenis reſiſtit. Bugloſſum vtrumque radice folio & flore valet ad cordis robur, ad diſcutiendos atros melancholicos vapores, & extinguendam malignam morbi cuiuſque perniciem. Ideoque peſtilentiæ vt cardiacum opitulatur. Ex tota herba aqua prolicitur, è floribus confectio paratur, quæ bugloſſ. conſerua dici ſolet, è ſucco foliorum ſyrupus fit. Quibus omnibus aduerſus cardiogmon, ſyncopen, mœrorem, & omnem morbi malignitatem vtimur. Grana infectoria, quæ alkermes vulgo, proprietate occulta cordis robur tuentur atq; adaugent, & venenis obluctantur: ideoque cardiacis & alexipharmacis plurimis commode inſeruntur. Flos flauus verbaſci vnicaulis, quod ruſticis cauda vulpis vocitari ſolet, aduerſus venena plurima valet, pulueris, aquæ, aut conſeruæ forma. Huius etiam radices tum ad peſtis cõtagia, tum ad cordis affectus quoſuis ex vino, aliove idoneo potu vtili-

vtiliter exhibentur. Plinius auctor eſt Pompeium magnum in ſcrinio Mithridatis regis deuicti antidoti deſcriptionem manu ſcriptam reperiiſſe, quæ polliceretur eum, qui ieiunus duas iuglandes ſiccas, & totidem ficus, & viginti rutæ folia cum ſalis grano contuſa eſitaſſet, ab omni veneno ea die tutum fore: quod Sirenus verſibus expreſſum reliquit:

Antidotis vero multis mithridatica fertur
Conſociata modis, ſed Magnus ſcrinia regis
Cum raperet victor vilem deprendit in illis
Syntheſin, & vulgata ſatis medicamina riſit.
Bis denum rutæ folium ſalis & breue granum,
Iuglandeſq; duas, totidem cum corpore ficus
Hac Oriente die parco conſperſa lyæo
Sumebat, metuens dederat quæ pocula mater.

Aqua ex immaturis iuglandibus, aut earum putaminibus elicita & pota, venena irrita facit, & ad peſtis arcenda contagia mirifice commendatur. Sunt qui iuglandem exurunt, dein ex aceto roſaceo cinerem ebibunt, vt ſe à venenis & auræ peſtilentis corruptela vindicent. Cornu monocerotis aduerſus venenatos, peſtilenteſque morbos primas tenere opinio eſt, quæ apud vulgus ſic iam percrebuit, vt ad hoc præſidii genus tanquam ad ſacram anchoram confugiant, quicunque graui & periculoſo morbo quopiam premuntur. Antiqui tamẽ nihil plane (quod ſciam) de tanto alexipharmaco literarum monumentis commiſerunt. Poſteritas ſcriptum reliquit in Æthiopiæ eremis & ſolitudinibus ſub ditione atque imperio Preteiani multos monocerotes haberi, quibus mos ſit antequam bibant, bis terve aquam cornu agitare, quo

venenum à ſerpentibus, quorum illic maxima copia eſt, in aquam emiſſum extinguant, declinentque eius incommoda: veriqueſimile eſt eorum animalium cornu accolis in vſu eſſe aduerſus venena omnia, atque ſerpentium morſus, tandemque medicos, ad quos huius rei fama delata eſt, ad omnium morborum malignorum curationem hinc transtuliſſe. Inſigni equidem (quantum explorando aſſequi potui) facultate præditum eſt, aduerſus venena plurima, morboſque omnes malignos, atque contractum illinc vel alui profluuium, vel vomitum, aliaque ſymptomata. Doſis eſt ʒ j. aut quod minimum eſſe debet ʒ ß. Nam cum vulgo quatuor duntaxat, quinque aut ſex granula porrigere quid conducere poſſit, non video. Sumitur alias pulueris ſpecie cum ſaccharo, alias cum aqua cardui benedicti: idque rurſus alias ſolum, alias cum ſcobe tenuiſſima cornu ceruini & puluere vnedonũ. Omnibus fere raris ac pretioſis antidotis, quæ aduerſus venena comparantur, magno profectu miſceri ſolet. Aqua etiam cui infuſum fuerit cornu monocerotis ad omnes venenatos affectus efficaciſſima mihi viſa eſt. In ſumma, nobile & generoſum aduerſus omnes venenatos, peſtilẽteſq; morbos remedium eſt cornu vnicornis, quod reges, principes ac nobiles quique viri diuitiis affluentes penes ſe habere, atque in futuros vſus recondere debeant. Solent enim pharmacopæi, aliique circumforanei mercatores ebur, aliudve cornu ſubſtituere non ita efficax. Corallium refrigerandi & ſiccandi facultate præditum cordis robur tueri, & aduerſus peſtis, omniſque veneni impetum præcordia munire creditur. Ebur quoque frigido & ſicco

ſicco temperamento prædicum, cordis robur tuetur, putredini reſiſtit, obſtructiones tollit, & morborum malignorum perniciem obtundit. Doſis eſt ʒ j. alias pulueris forma cum ſaccharo, alias ſine ſaccharo cum aqua cardui benedicti & ſyrupo de limonibus, alias cum iure, alias cum vino, alias alio modo.

Aurum temperatiſſimum quum ſit, nec temporis diuturnitate, nec ignis perennitate conſumitur, cardiacæ melãcholiæ, cordis palpitationi, morbo attonito, comitiali, elephanti, & venenis medetur, atque ſpiritus animales, vitaleſque mirifice recreat, idque puriſſimum vel candens iuſculis & potionibus inſtaurantibus pluries intingitur, vel in puluerem redactum ad ʒ ß. vel ℈ j. exhibetur, vel in oleum, ſtillatitiamque aquam arte chemica conuerſum, ad tres, quatuorve guttas cum vino vel aqua cardiaca propinatur. Auri pollis arte noua roris maii beneficio paratus citra ignis vim, mirificam efficaciam habet aduerſus omnia venena, atq; cardiacum remedium eſt omnium præſtantiſſimum. Os cordis ceruini omnibus cordis affectibus contra venena & peſtilentiam valere, maximamque vim habere dicitur. Primi cornu ceruini partus idem præſtant, & venenis atque peſti non minus, quam cornu monocerotis obſiſtere credũtur, quo fit, vt ei recte ſubſtituantur. Grandioris cerui cornu illi quidem cedit, inferiorque eſt, minime tamen vbi illius penuria eſt, aſpernandum. E cerui cornu recenti aqua elicitur arte chemica, in primis efficax aduerſus omnẽ maligni morbi perniciem, quæ principibus ac magnatibus omnibus in ſummo pretio eſſe debet: propinatur cornu ceruinum

Digitized by Google

in puluerem redactum à ℥ ß. ad ℥ ij. alias ſolum & impermiſtum, alias cum vnionibus & cornu monocerotis, idque modo cum ſaccharo pulueris ſpecie ex cochleari, modo cum aqua atractylidis aut iuſculo, aut alio liquore, modo ex cochleari cum ſyrupo de limonibus, aut de ſucco citrii acidi, aut de ſucco oxalidis. Breuiter adeo iam inoleuit cornu ceruini vſus in peſtilentibus febribus, & aliis malignis ac venenatis morbis, vt mille ſint vtendi formæ. Nam & ſali miſcetur, & ſorbitionibus, & aliis cibis omnibus, ſalis inſtar tenuiſſimus ex eo pollis inſeritur, & aquæ incoquitur, qua vinum diluatur. Sed & ex tenui eius polline in aqua atractylidis macerato aqua in diplomate (balneum mariæ vocant) elicitur, quæ proceribus ad vinum diluendum in vſu ſit, peſtilente cœli conſtitutione. Galenus bolum armenam aduerſum peſtẽ miris laudibus effert. In magna, inquit, peſte, cuius eadem facies fuit, atque eius, quæ Thucydidis memoria graſſabatur, quotquot hoc medicamen biberunt, celeriter curati ſunt, at quibus non profuit omnes interiere, ſcilicet cum nec alio quouis iuuaretur. Hinc illud remedium mire celebrauit poſteritas. Sunt tamen qui eam non niſi ſumma ſiccitate, qua omnes corporis ichores, vel plures, vel ad putredinem præparatos ſiccat & abſorbet, peſtilentibus febribus opitulari contendant, perinde atque terra lemnia, quæ in maiori etiam pretio eſt. Alii vtrumque præter eam ſiccandi facultatem occulta proprietate valere aduerſus venena, & peſtilentis febris perniciem demoliri aſſerunt. Aliis controuerſiæ huiuſmodi iudicium admodum obſcurum ac difficile videtur. Armena quidem bolus ac ſigil-
lum

lum lemnium, guſtanti & olfacienti inodora fere atque inſipida apparent, vt idcirco qua facultate peſti obſiſtant, neque ex odore, neque ex ſapore aſſequi liceat. Sed tamen bolus ingentem adſtrictionem & ſiccitatem, terra vero lemnia magnam ſiccitatem guſtanti præ ſe fert: certumque eſt ex iis medicamentis, quæ venenis reſiſtere prodidit vetuſtas, plurima ſiccandi facultate pollere, multa etiam adſtringere, manifeſtiſque hiſce viribus noxios omnes ichores, qui putredinis fomites exiſtunt, abſumere: ideoque putredini & malignis ex ea morbis obſiſtere. An vero alia quadam ſecretiore facultate polleant, qua occultam venenorum & peſtilentiæ perniciem obtundant, diſſipẽt, frangant, atque extinguant, etſi à multis in quæſtionem vocatur, mihi tamen aſſeueranter videtur pronunciandum. Alioqui medicamenta omnia, quæ ſiccandi vim habent, venenorum erunt alexiteria, quod non ſolum Dioſcoridis & aliorum veterum auctoritate falſi conuincitur, ſed etiam vſu refellitur. Terram namque lemniam venenis omnibus aduerſari, eaque cum vino ante cibum pota vomitione excludere, & virulentorum animalium morſibus mederi auctor eſt Dioſcorides: quod de aliis medicamentis ſiccantibus dici haud poſſit. Bolo variis modis vti licet. Nam alias ſolus bibitur ex vino albo tenui, modice diluto ſi abeſt febris, aut ex aqua in febre, alias cum aliis quibuſdam miſtus, velut cornu vnicornis, terra lemnia, vnionibus, &c. Doſis autem eſt à ʒ ß. ad ʒ j. Nam maiore quantitate ſuo pondere ventriculo moleſtus eſt, & obſtructiones parit. Datur autem alias pulueris ſpecie cum ſaccharo roſ. alias potus forma

cum aqua cardui mane ante cibum. Peſtis contagia præſumptus arcet, & iam contractæ vim obtundit ac hebetat. Virtutem ſuam coctione deponit in aquam, qua vinum commode diluitur, aut elixantur carnes peſtilenti cœlo. Siccis & obſtructionibus obnoxiis corporibus, frequenti vſu noxius, humidis tenui ſero refertis peſtilenti cœli ſtatu ſalutaris. Miſcetur antidotis fere omnibus, quæ aduerſus peſtilentem luem comparantur. Terra lemnia, quæ & ſigillata, vera, rata, ac pretioſa eſt: adulterina frequēs. Doſis eſt à ʒ ß. ad ʒ j. è cochleari cum ſaccharo, aut cum oui luteo, miſcetur ſali & ſorbitionibus. Infantes ex lacte aut iuſculo, aut aqua cardui benedicti facile vtuntur. Miſcetur aliis antidotis, maxime E. ſolidis, quæ tabellarum forma fiunt. Galenus cancrorum fluuiatilium puluerem laudat, aſſeuerans Pelopem præceptorem eo fœliciſſimo ſucceſſu vti ſolitum aduerſus rabiem in cane demorſis. Siccat inſigniter & putredini reſiſtit. Ideoque merito peſtilenti conſtitutione in vſum coaptabitur, & ʒ ß. aut ʒ j. pondo ex vino albo, vel aqua cardui, aut ſcabioſæ, aut morſus propinabitur. Nam vt occulta vi venenum canis rabidi, ſic forte populariter graſſantem peſtilentē perniciem, vincet, coercebitque. Vniones ſeu margaritæ frigidæ & ſiccæ, occulta proprietate cordis robur firmare, venenis ſuccurrere, putredini reſiſtere, & ſyncopen tollere traduntur. Ideoque in tam frequenti vſu ſunt, aduerſus morbum omnem occultæ malignitatis participem, vix vt vllum compoſitum alexiterium ſit, quod eas non recipiat. Quædam etiam ab iis nomen ſortita ſunt, velut electarium diamargarit. frigidum. Puluis datur à di-

Digitized by Google

à dimidia drachma ad drachmam, alias ſolus, alias cum vnicornis & cornu ceruini ſcobe, quæ tria ſimplicia alexiteria, ſi pari pondere permiſceas, non modo ad domandam peſtis & exanthematum popularium perniciem ſingulare præſidium nactus fueris, ſed etiam aduerſus ferarum omnium venena alexipharmacum præſtantiſſimum. Saphyrum, hyacinthum, & ſmaragdum veteres inter medicamenta, quæ cordi familiaria contra venena plurimum valent, numerarunt, alexipharmacis miſcuerunt, velut & ſuccinum, quod cordis & oris ventriculi morbis mederi, ac venenis reſiſtere proditur. Nihil hic de aliis gemmis, quarum nullum feci periculum aduerſus peſtilentem luem, particulatim dixero. Conſtat tamen veteres eas fere antidotis, quæ aduerſus venena præparabant inſeruiſſe. Omne ſantali genus cordi robur, voluptatem & lætitiam affert, peſtilentiæque iniuriæ reluctatur. Cyrenaicus ſuccus, laſer indicum, agallocum, zedoaria, caſſia, quam canellam dicunt, iris florentina, myrrha, caſtorium, crocus & lignum odoratiſſimum, quod ex America non ita pridem aduectũ eſt, colore & odoris ſuauitate xylobalſamo, quod ex Iudæa olim afferebatur finitimum, cor firmant, & venenis pariter atque humorum putredini, malignitatique obſiſtunt. Ideoque antidotis, quæ aduerſus venena & peſtilentem luem comparantur, ea miſcere operæpretium fuerit. Moſchus, ambarum cineris colorem referens, & zibetum ſuauiſſimo ac fragrantiſſimo odore corpora noſtra replẽt, cuius tanta eſt efficacia, vt tametſi nulla forte alia vi ſecretiore aduerſus peſtilentem luem polleant, minime tamen à cenſu remediorum luis peſtilen-

tis expungi debeant. Hôc enim ſolo peſtilentem aeris perniciem vel repellere, vel diſſipare poſſunt, atque extinguere, neque vllum ei locum in eius corpore reliquum faciunt, qui eorum ſuffitu perfuſus, imbutuſque ſit. Sed prætereа cordis vires recreant, ſpiritus omnes erigunt, diſſipatoſq; colligunt ac reſarciunt: cerebrum, ſenſuſque omnes roborant, & partium omnium languorem diſcutiunt, maximeque cordis: quam ob cauſam ſyncopas & animi deliquia perſanant. At eos lædunt, quibus imbecillum caput eſt, & nimis exquiſitus membranarum cerebri ſenſus, & mulieres, quæ vterinis præfocationibus obnoxiæ ſunt, naturis frigidis ac ſenibus maxime idonea. Certiſſimo experimento conſtare tradunt, cum primum halecis ſale conditi copia à piſcatoribus in maritimas ciuitates defertur, peſtem breui euaneſcere ignorata cauſa, propterea quod omnibus ſalſis id minime conceſſum eſt. Artemiſiam celebrarunt veteres contra ſerpentum ictus, morſuſq;, tam intro ſumptam quam foris admotam. Contra canis rabidi morſum mire efficax deprehenſa eſt: qua de re in eam antidotum, cuius aduerſus rabiem periculum feci, recepta eſt. Artemiſia, ruta, ſaluia, meliſſophyllum, abſynthium, hypericum, centaurium minus, & medius fraxini cortex, ſiccantur. vrunturque ſeorſum: cineres horis duodecim aqua tepenti ſeorſum macerantur. Singulorum lixiuium limpidiſſimum olla noua tantiſper coquitur, dum abſumptum ſit: quicquid abſumpto humore in ollæ imo ſupereſt, ſalem appellant, atque ad malignorum morborum curationem vſurpant. Alii in paſtillos coquunt, qui in futuros vſus aſſeruentur.

uentur. Graſſante igitur peſtilentia quum primum quis ſe perculſum agnoſcit, ſalis aut paſtillorum ℈ j. aut ʒ ß. aut ſi agreſtis & validus æger eſt, ʒ j. cum iure pingui, aut cum aquæ cardui ſtillatitiæ ℥ vj. ſoluitur & propinatur interdum per ſe, interdum cum mithridatii momento & ſyrupo de ſucco bugloſſi. Sumpto poculo æger horam dimidiam, ſi poteſt, obambulat. Hinc lectum petit, vt ſudorem qui vi medicamenti breui prorumpet, excipiat. Vomitionem in nonnullis ciet: hoc remedii genus & aluum ducit, ſed admodum leniter, niſi maiore quantitate ſumatur. Porro niſi primo ſtatim aut ſecundo die propinetur, noxium nedum inutile eſt: neque enim venenum cordi altius iam impreſſum potis eſt cum ſudore abigere, neque rationi conſentaneum eſt maiore copia exhibere, vt aluum validius ſoluat, quum ſcelus ſit venenatam perniciem in partes extimas iam à natura depulſam in principes reuocare contrario conatu, & qui forte iam concaluerunt humores incendere. Dictami radices & folia contra febrium peſtilentium & venenorum malignitatem valere longo vſu animaduerſum eſt. Myrobalani citreæ conditæ cordis robur augere, & mœrore diſcuſſo voluptatem parere, peſtiſque contagionem obtundere & refrænare traduntur, quod vſu non comperi. Nux moſchata integra condita coctionem adiuuat, ac natiuum calorem erigit. Idem efficit cortex mali citrii conditus, & ſpiritus inſtaurat. Caryophylli quoque ſumpti, aut ad ſuffitum parati, peſtiferis cauſis egregie reſiſtunt, vitæ principium confirmant, & ſpiritus inſtaurant. Doronicum Romanum radice in vſu eſt aduerſus cordis vitia, & venenato-

rum animalium morſus: creditur peculiari facultate cordis robur tueri. Roſæ, violæ, & nympheæ flores ſaccharo conditi, etſi refrigerandi facultate valent, vi tamen cardiaca cordi opitulantur, & ſpiritus recreant, tetroſque vapores regerunt. Conueniunt naturis calidis, cœlo æſtuoſo, & ardentibus febribus. Succus mali citrii, punici, aurei, oxalidis, oxyacanthæ: omphacium, acetum, reliquaq; eius generis acida, humorum putredini reſiſtunt, eorumque feruorem attemperant. Sed & malignam ac peſtilentem omnẽ luem infringunt, hincque ortam nauſeam, vel etiam cardiogmum tollunt, maxime mali punici & citrii ſuccus. Syrupus è ſucco ceraſorum rubicundiorum acidorum, febrium peſtilentium ardores mire demulcet ac reſtinguit, cor exhilarat, putredini aduerſatur, velut & ceraſa ipſa condita, & fructus pharmacopæis Ribes dictus, conditus, & ſyrup. ex eius ſucco paratus. Vinum omne generoſum, odoratum, tenue ac fuluum, vel album, ſed nec dulce, nec craſſum, cordis robur mire erigit, ac deperditos ſpiritus celeriter inſtaurat atque reſarcit, ſed & venenis reſiſtit, omnemque tetrum vaporem diſcutit. Caphura etſi odorata, mihi tamen in febre peſtilenti parum tuta videtur, niſi forte quum ingens putredo, ex eaque calor ardentiſſimus ineſt, qui remedio refrigeranti & tenuium partium attemperari poſtulet. Frigida enim quum ſit & tenuiſſimæ ſubſtantiæ, omnia peruadens, caloris inſiti robur mire diſſoluit, quod tamen in hoc affectu promouere operæpretium ſit. Cuius rei argumentum eſt ſopor, & ad venerem imbecillitas, quam accerſere ſolet, ſi quis ſæpius vel ſemel maiore quantitate vtatur.

DE

Digitized by Google

DE COMPOSITIS MEDIcamentis in febre peſtilenti.
Cap. XIX.

De ſimplicium medicamentorum, quæ peſtilenti lui opitulari poſſunt generibus, iam ſatis: nunc compoſita, quæ ex iis confecit vetuſtas tranſigamus, vt ſe tandem ad poſterorum & noſtra inuenta conuertat oratio. Ex iis, quæ longo vſu explorauit, ac literarum monimentis conſecrauit antiquitas, mithridatica antidotus in peſtilenti febre iure præferatur, tametſi multi theriacam anteponant. Medicamenta namque, quibus illa conſtat inuentu ſunt faciliora, multoque minus in illa quam in hac componenda peccari ſolet. Eiuſmodi autem fuit inuentionis ratio.

Mithridates maximus rex Ponti antidotum aduerſus venena, à quibus ſibi maxime metuebat, efficaciſſimam nanciſci deſiderans, ſimplicia plurima, quæ venenis obſiſtere nouerat, opportune legenda ſedulo curauit, ex iiſq; certa ratione & ſyntheſi antidotum confecit, quam cum vſu votis reſpondere deprehendiſſet, ad perpetuam tanti tamque efficacis alexipharmaci & nominis ſui memoriam, mithridatium nuncupauit. Cuius deſcriptio habetur libro ſecundo Galeni de antidotis, auctore Andromacho, qui primus ex ea quibuſdam tum additis, tum ademptis, theriacam compoſuiſſe fertur. Quamuis igitur propter carnium viperarum admiſtionem theriaca ad morſus viperarum mithridatio præſtantior ſit, ad alia tamen multa pernicioſa vitia inferior deprehenſa eſt. Hoc alexipharmaco quum ſæpius vſus fuiſſet Mithridates,

Digitized by Google

velletque (ne viuus in Romanorum poteſtatem veniret) veneno mortem ſibi conſciſcere, illæſus perſtitit, tanta olim fuit eius amuleti aduerſus venenatos affectus efficacia. Quæ cauſa poſteros ad eius vſum pepulit.

Ioannes Fernelius quo tempore apud eum medicinæ operam dabam, è lectiſſimis ſimplicibus, quæ hoc ſeculo haberi poſſunt, eius libras 50. confecit. Cuius aduerſus luem veneream, febrem peſtilentem, exanthemata, & ecthymata popularia, alioſque malignos ac venenatos omnes morbos, maxima fuit efficientia. Quæ eum ratio impulit, vt abs Henrico Galliarum rege literas impetraret ad Turcarum imperatorem, illucque herbarium medicum mitteret, qui optima & lectiſſima medicamenta liberaliſſimi regis impenſis, ad mithridatii compoſitionē adferret. Hoc enim in poſterum Lutetiæ quoto quoq; anno decimo parari ſtatuerat, ſed irritis ſaluberrimis conatibus immatura morte ſublatus eſt.

Theriaca apud maiores aduerſus venena, morboſque venenatos ac peſtilentes maximo fuit in pretio. Galenus ipſius commoditates, vſumque multiplicem proprio opere luculenter deſcripſit, palam affirmans viſam eſſe hanc ſolam theriacam antidotum, quæ peſte correptis auxiliaretur, quum nullum aliud præſidium tanti mali magnitudini poſſet obſiſtere, additque inſuper, quod ſi qui adhuc incolumes, vel etiam iam correpti ipſam peſtilenti conſtitutione præbibant, immutata inſpirati aeris pernicie & corruptione prohibita, tam ſæui morbi periculum effugient. Alibi quoque aſſeuerat in peſte quadam omnibus aliis ſimpl. auxiliis

liis inefficacibus, quoſdam ea vſos conualuiſſe: nullos vero malo tentatos fuiſſe, qui eam præbibiſſent. Et alibi tradit in magna peſte ei ſimili, quæ Thucydidis tempore ſæuiit, omnes qui hauſerunt theriacam breui ſanatos fuiſſe, quibus vero non profuit, omnes mortuos eſſe, neque ab vllo alio opem ſenſiſſe. Bibitur autem ex vino tenui moderate diluto, vel ex valde aquoſo, ſi febrilis calor vehemens eſt. Hæc iuxta Galeni ex Andromacho deſcriptionem paranda eſt, nam quæ hic negligenter paratur, & paſſim in officinis proſtat, adulterina eſt & inefficax, maximo reipubl. detrimento. Laudatur hodie Veneta, cuius vſu aliquot percuratos vidi, qui à ſerpentis morſu ita intumuerant, vt de vita periclitari viderentur. Ratum ſit igitur ex veterum ſententia, theriacam & mithridatium occulta & inexplicabili proprietate, peſtilentis luis vim ac perniciem infringere, ſi optime ac fideliter parata habeantur. Nam quum venenis contraria ſint, cordis & vniuerſi corporis inſitum calorem ſpiritus & ſubſtantiam ſic ſua natura, ſuaque qualitate imbuunt atque immutant, vt ſtrenue venenis obluctari atque obſiſtere, & eorum perniciem ſuperare poſſint: non quod alexipharmaci vllius ſubſtantia in vniuerſi corporis molem effundatur atque penetret (fieri ſiquidem non poteſt, vt minimum antidoti tam ingentem corporis molem, tam cito peruadat atque impleat) ſed quod egregias ſuas vires quoquouerſum diffundat. Sumpta enim antidotus dum inſiti caloris beneficio in vētriculo incaluit, vapores ac ſpiritus in vniuerſum corpus diffundit, qui ipſius facultatem in omnes corporis partes, maxime vero in cordis arcem per-

ferant. Hoc vero perfuſum cor, reliquumque corpus, inſiliens venenum auramque peſtilentem, vel longe repellit ac diſſipat, vel extinguit ac ſuperat. Quemadmodum igitur veneni minimum viperæ morſu, aut ſcorpionis aculeo homini impreſſum, pauco tempore maximam mutationem ac perturbationem in toto corpore excitat, eiuſque œconomiam per omnes partes diffuſum labefactat: ſic mithridatii aut theriaces ℨj. alicuiuſve generoſi alexipharmaci iuſta copia opportune ingeſta, veneni perniciem celeriter infringit & domat, quacunque corporis parte deliteſcat: ſiue quod ad ſe id attrahat ignorata vi (velut magnes ferrum, & ſcorpius demorſæ parti admotus, quod eiaculatus fuerat, venenum reuellit, & attractum occulta proprietate immutet ac conficiat) ſiue quod ad ipſum obſcuris poris permeet atque diffundatur. Sunt qui ex ſimplicibus medicamentis, quorum permiſtione mithridatium & theriaca conſtant, nouam quandam vim emergere contendant, calori noſtro ac vitali ſpiritui finitimam, quæ cor, vitaleſque ſpiritus ſic erigat, confirmet ac corroboret, vt peſtilens labes in iis ſedem locare atque inhæreſcere nequeat, hacque ſola ratione ea venenis & peſtilenti lui obſiſtere arbitrentur, quorum non vſquequaque probanda ſententia eſt: vtraque enim ratione & peſtilentis febris malignitatem, & luis venereæ virus, & alia venena domant, contraria ſcilicet illis ſed nobis occulta qualitate, & vi cardiaca. Doſis ſit ℨß. quum præcauere eſt animus, drachma vero vna, quum contractum iam morbum ſanare: idq; vel per ſe opiatæ forma, vel cum confectionibus buglosſi, borraginis & helenii, vel cum

ctum vino giluo odorato, duplo aquæ cardui diluto, vel ſi febrilis calor metuitur, cum aqua cardui & roſ. idque mane & ante cœnam primis diebus, dein mane duntaxat. Mithridatium & theriaca, præterquam quod frequenti vſu calidis naturis, & iis, qui ardenti, aut alioqui feruida febre iactantur, noxia ſunt, hoc etiam ſeculo non parum de vi & efficacia ſua ob ſimplicium, quibus conſtant penuriam, deperdidere. Alia igitur deſcribam paratu faciliora, ſed tamen non minus efficacia, quæ probauit poſteritas.

POSTERORVM INVENTA *ad febrem peſtilentem, alioſq; venenatos morbos quamplurimos.*

Cap. XX.

℞ Foliorum ſiccorũ ſcordii, meliſſophyli, marrubii, pimpinellæ, mentæ, polypod. rutæ, ſingul. ℥ ß. ſucciſæ, ſcabioſæ, centaurii minoris, plantag. trifolii odorati, chamæpityos, ſchamæd. pulegii, apii, ſtœchad. chameciparisſi, atractylidis, dictami, artemiſ. ſingul. ʒ ij. rad. angelicæ, ſpicæ nardi, vtriuſque ʒ j. rad. ſiccarũ, tormentil. doronici rom. cyperi, dictami, betonicæ coronariæ, biſtortæ, verbenæ, ſingul. ʒ iij. rad. ſiccarum gentianæ, ariſtoloch. rotund. & helenii, zedoariæ, cuiuſque ʒ ij. rad. iridis florentiæ, calami aromatici, cortic. mali citrii ſicci, ſingul. ʒ j. florum calendul. bugloſſi borrag. verbaſci vnicaulis, geniſtæ, roriſmar. roſ. rub. violarum, nympheæ, betonicæ vtriuſque, ſingul. ʒ j. ß. ſem. fœniculi dulcis, atractylidis, vtriuſque ʒ ij. ß. ſem. oxalidis, mali citrii, plantaginis, trifolii odorati, angelicæ, rutæ, ocymi, ſingul. ʒ j ß. ficus,

Digitized by Google

nuces iuglandes, vtriuſque quatuor numero, baccarum iuniperi & hederæ candidæ, ſingul. vj. numero: baccæ infectoriæ xij. numero, coral. ebor. cornu ceruini ſingul. ℥ ß. ligni aloes, ſantali citrini, cinnamomi, xylobalſami, caryophyl. macis, ſingul. ʒ ij. margarit. elect. croci, carnis nucis moſchatæ, ſingul. ℥ ß. oſſis è corde cerui, ſcobis cornu vnicornis, vtriuſq; ʒ j. fragmentorum ſaphyri, hyacinthi & ſmaragdi, ſingul. ʒ ß. myrrhæ, ſtyracis, calamintæ, benioin, ſingul. ℥ j. caſtorii ʒ ß. Omnium in tenuiſſimum pollinem redacta ſyrupo, qui proxime deſcribetur, excipiantur, & in opiatæ craſſitiem coquantur igne remiſſo. Iiiſdem fere viribus pollent alexipharmaca luis venereæ, quibus in vicem huius licebit peſtilenti conſtitutione, ſi in manu erunt.

℞ Succorum oxalidis agreſtis minoris, oxalidis rotundæ, betonicæ, vtriuſque bugloſſ. ſingul. ℔. j. ſucci pimpinel. ſucciſ. ſcabioſæ ſingul. ℔. ß. ſucci plantag. oxalidis maioris, vini granatorum, ſucci limonum ſingul. ℥ iiij. ſuccorum mentæ, marrubii & ſcordii, ſingul. ℥ v. aquæ roſ. & cardui, vini albi optimi, ſingul. ℔. ß. ſacchar. & mel. opt. vtriuſque ℔. iiij. Coquito in ſyrup. igne remiſſ. qui cinnamomi & ſantal. citrini vtriuſque ℥ ß. condiatur. Quæ parum ſucci profundent herbæ, inter terendum aquis cardiacis cardui, ſucciſ. ſcabioſæ & bugloſſ. & vino alb. irrigabuntur.

Alia conficiendi alexipharmaci luis peſtilentis ratio.

Omnia deſcriptæ ſyntheſeos ſimplicia contuſa, in œnoſtagmate biduum ſic macerantur, vt aqua aliquantum ſuperemineat, idque vaſe exacte obſtructo,

ſtructo, ne quid virium expiret. Expreſſum dein œnoſtagma cum pari portione ſacchari, igne valde remiſſo in ſyrupum coquitur: cuius mirabilis vis eſt aduerſus febrium peſtilentium malignitatem. In calidis tamen & ſiecis naturis, limonum & oxalidis ſucco temperari debet.

Eiuſdem alexipharmaci alius conficiendi modus.

Contundantur recentia omnia, ſicca vero in puluerem terantur, omnia dein vaſe terreo intus plumbo illito reponantur, addendo aquarum ſtillatitiarum, calendulæ, ſucciſæ, ſcabioſ. pimpinel. atractylid. bugloſſ. ſingul. ℔. j. ß. ſacchari albi ℔. iiij. Vas diligenter obſignatum integro menſe fimo equino ſepeliatur, dein liquor in torculari exprimatur.

℞ Expreſſi liquoris ℔. j. ß. & ſacchari ℔. j. Coquito in ſyrupum: dein adde conſeruarum florum borrag. roſ. bugloſſi, betonicæ coronar. calendul. roriſmar. geniſtæ, betonicæ, & ſtœchad. cuiuſque ℥ j. ß. ſcobis cornu ceruini & eboris, ſingul. ʒ ij. ß. terræ lemniæ, boli armenæ, vtriuſque ℥ ß. vnedonum ſeu margaritarum elect. ʒ j. corticis mali citrii conditi ℥ ß. fiat opiata. Reliquum coquatur ac ſeruetur forma ſyrupi ad vſum adiecto ſaccharo. Vtriuſque mirabilis efficacia ad coercendam peſtilentis veneni perniciem, & inſtaurandam naturæ vim collabentem. Opiatæ doſis à ʒ ij. ad ℥ ß. ſyrup. ad ℥ j. ß. per ſe ex cochleari in frigidis naturis, cum aqua roſ. in calidis, ſemel, bis, terve die, vt res poſtulare videbitur, idque ſiue ſudorem promouere, ſiue naturæ vim labaſcentem erigere, & veneni effrænem ſæuitiam coercere in animo fuerit.

Liquor omnium præſtantiſſimus, & ſuauiſſimũ odorem exhalans, nec tamen palato ingratus, quo vſus erit in grauioribus morbis, quum magna incidet neceſſitas, ſed ea lege, vt in calidis & ſiccis naturis frigidiore remedio temperetur: vim omnem peſtilentis veneni infringit, expugnat & extinguit, naturæque robur reſtituit.

℞ Mentæ, meliſſophyl. origani, calamenti, pulegii, thymi, ſampſuchi, florum ſaluiæ, roriſmarini, roſ. vtriuſque bugloſſ. calendul. verbaſci, betonicæ, hyperici, centaurii minoris, ſingul. ʒ ij. verbenæ, pimpinel. morſus, ſcabioſæ, plantag. fol. polypod. ſtœchad. rutæ, ſingul. ʒ j. ß. rad. angelicæ ʒ ij. rad tormentil. doronici Rom. cyperi, calami aromatici, rad. iridis florent. ſing. ʒ ij. ß. ſem. fœniculi, citrii, acetoſ. atractylidis, plantag. rutæ, ocymi, ſingul. ʒ j. granorum alkermes & iuniperi, vtriuſque ʒ iij. raſur. eboris & cornu cerui, vtriuſque ℥ ß. coral. ſuccini, ligni aloes, ſantal. omnium, cortic. citrii, cinnamomi ſingul. ʒ ij. myrrhæ, croci, vtriuſque ℥ ß. macis, caryophyl. nucis moſchatæ, zedoariæ, ſingul. ʒ j. ß. boliarmenæ ℥ ß. mithrid. theriaces vtriuſq; ℥ j. macerentur triduum in iuſta aquarum bugloſ. cardui, ſcabioſæ, roſ. & meliſſæ copia, dein fimo equino dies viginti vaſe ſedulo occluſo recõdita ſepeliantur, tandem conuenienti vaſe aqua & oleum proliciantur. Quum incidet vtendi neceſſitas, vnciis ſex aquæ ſyrupi violacei, aut è limonibus vnciæ duæ remiſcebuntur, mane tria cochlearia, & quota, quaque hora ſexta cochlear vnum æger exſorbeat. Sed & in oxyporiis cum aceto & in iuſculis cum omphacio, aut mali citrii ſucco, aquæ huius tantillum recte inſeritur.

Oleum

Oleum quod vna cum aqua elicietur, concha exceptum mirandæ eſt efficaciæ, ſi tres, quatuor, ſexve ad ſummum guttulæ, cum aqua roſ. vrgente neceſſitate ſumantur. Si quis liquorem in torculari exprimere, & forma ſyrupi in vſum aſſeruare malit, præſtantiſſimum habebit aduerſus febrem peſtilentem, luem veneream, alioſq; omnes venenatos morbos remediũ, ſed aliquanto minus ſuaue minuſque efficax.

Oleum aliud cardiacum, cuius ſex octove guttulæ cum ℥ ij. aquæ roſ. abſorptæ, omnem veneni & peſtis vim infringunt, & collabentem calorem natiuum reuocant.

℞ Abſynthii, ſcordii, rutæ, ſaluiæ, betonicæ, meliſſophyli pulegii, mentæ, ſcabioſæ, ſucciſæ, centaurii minoris, pimpinel. marrubii, hyperici, ſchamædr. chamæpityos, dictami artemiſiæ, ſingulorum ſiccorum, & æſtate collectorum M. vj. rad. gentianæ, ariſtolochiæ, tormentil. cyperi, calami aromatici, zedoariæ, iridis florentinæ, cuiuſque ℥ j. ß. rad. angelicæ ℥ j. ſem. fœniculi ℔. ß. ſem. cardui ℥ iiij. ſem. citrii acetoſ. rutæ, ocymi, petroſel. ſingul. ʒ iij. florum roriſmar. ſaluiæ, betonicæ, roſ. bugloſſi vtriuſque, hyperici, geniſtæ, verbaſci, nymphææ, ſingul. M. j. iuglandes iiij. baccarum iuniperi & hederæ, vtriuſque ℥ ij. ß. granorum alkermes ℥ iij. nucis moſchatæ, caryophyl. macis, ſantal. citrini, cinnamomi, ſingul. ʒ ij. myrrhæ ℥ j. benioin ℥ ij. ſtyracis, calamintæ ℥ iij. mithridatii ℥ iiij. theriaces ℥ iij. conſeruæ, anthos roſ. viol. bugloſſi, ſing. ℥ iiij. Omnia ſicca habeantur, præter mithridatium, & conſeruas, herbæ, flores & ſemina integra ſeruentur, radices, & reliqua contundantur, omnia aquis car-

diacis cardui benedicti, ſcabioſ. ſucciſæ, bugloſſi, & roſ. imbuantur, triduumque macerentur: dein igni mandentur conuenienti organo. Aqua & oleum erumpent. Oleum ſupernatans concha excipietur, & obſtructa ne tranſpiret phiala, recondetur: aqua etiam ſeorſim reponetur. Viribus pollent maximis aduerſus omnes malignos morbos, & alios quoſuis frigidos: ſudorem copioſum celeriter cient, quocum peſtilens labes expirat, ſed primis tantum diebus in calidis naturis, idque parca manu ac prudenter vſurpanda, ne maiore copia, aut frequenti vſu, inſigni calore quo prædita ſunt, viſceribus obſint. In acetariis olei nonnihil, & in iuſculis aquæ momentum, magno profectu peſtilenti cœli ſtatu aſpergitur.

Deſtillatum aliud febrium peſtilentium malignitatem obtundens, putredinem humorum inhibens, virium robur inſtaurans, & ſpirituum diſſolutionem reſarciens, vbi calor vehemens & ſitis vrgent, ſuperiori accommodatius.

℞ Symphiti vtriuſque, ſaniculæ, veronicæ vtriuſque endiuiæ, bugloſſi vtriuſque, ſcabioſæ, tormentillæ, cardui benedict. oxalidis vtriuſque, pimpinel. betonicæ, ſucciſæ, calendulæ, ſingul. M. j. florum vtriuſque bugloſſi, florum vtriuſque betonicæ, verbaſci, ſaluiæ, roriſmar. hyper. ſingul. p. ij. baccarum iuniperi, myrti, hederæ, & alkermes, ſingul. ℥ j. croci ʒ ß. rad. dictami & tormentill. ariſtolochiæ rotundæ, gentianæ, doronici Rom. zedoariæ, helenii, ſingul. ʒ. ß. ſem. cardui, mali citrii, oxalidis, plantaginis, ſingul. ʒ *iij*. ſem. rutæ, ʒ *j*. ß.

theria-

theriaces Venetæ, mithridatii veteris, vtriuſque ℥ ij. Recentes herbæ tundantur, quibus dein admiſceantur reliqua minutius trita. Tum adde ſuccorum meliſſæ, bugloſſ. borrag. oxalidis, calendul. pimpinel. ſuccisæ, pomorum redolentium, aquæ roſ. vini generoſi, & odore aromatico præditi, ſingul. ℥ iiij. aquarum cardui, bugloſſi, ſcabioſ. ſingul. ℔. ß. conſeruæ roſ. bugloſſ. geniſtæ, betonicæ, viol. nympheæ anthos, cuiuſque ℥ iij. ſcobis cornu ceruini ℥ ij. pul. E. triaſand. & diamarg. frigidi, vtriuſque ℥ ij. ß. Omnia triduum ad ſolem macerentur vaſe obturato. Dein carnes duorum caponum adiiciantur, poſtremo aqua proliciatur igne remiſſo in diplomate. Huius alexipharmaci vſus tutus eſt in omni maligna febre, ſed cui vſus tempore ad ægrotantis gratiam momentum ſyrupi de limonibus, vel de acetoſ. mali citrii admiſcetur.

Aqua ad vinum diluendum peſtilenti conſtitutione & in febre peſtilenti.

℞ Pimpinel. M. vj attractylid. M. xij. ſcabioſ. ſuccisæ, calendul. bugloſſ. vtriuſque oxalidis, betonicæ, ſingul. M. ij. ſem. cardui ℥ ij. ſem. citrii, acetoſ. plantag. cuiuſque ʒ ij. ß. rad. pentaphyli, rad. dictami, cornu ceruini, ebor. ſing. ℥ j. ſuccorum oxalid. morſus, artemiſ. plantag. melil. ſcabioſ. ſing ℥ vj. extrahatur aqua in diplomate ad vſum.

Unguentum quo ceruix, tempora, cordis regio, os ventriculi, & genitalia eius, qui peſte correptus erit, primis diebus mane & veſperi illinentur.

℞ Olei è menta, ſaluia, roremar. ſem. fœniculi & mithridat. arte chemica eliciti ʒ ij. olei cardiaci

ſupra ſcripti ℥ j. zibeti, moſchi, vtriuſque grana vj. ſucci cyrenaici, & ſtyracis calamintæ, vtriuſq; ℥ ij. ladani ℥ j. ceræ, aquæ roſ. ſæpius elotæ, q. ſ. fingito linimentum, cui vſus tempore aceti momentum inſeretur, ſi res ita poſtulabit. Oleum cardiacum ſupra deſcriptum ſolum ac per ſe ad id etiam aptiſſimum, omnem ſyncopen atq; animi defectionem ſubito perſanans, vireſque reuocans.

Puluis aromaticus, qui ſacculi ſpecie cordi & ori ventriculi admotus, naturæ vim tuetur, peſtiſq; obtundit, & propulſat perniciem.

℞ Rad. iridis florentinæ ℥ ß. cyperi, calami aromatici, vtriuſque ℥ j. ß. roſ. rub. pul. ℥ ß. caryophyl. macis, vtriuſque ℥ j. ſtyracis, calamintæ, ſucci cyrenaici, rad. angelicæ, ſingul. ℥ ij. mentæ, ſampſuchi, origani, pulegii montani, calaminthes, ſingul. ℥ j. ß. nardi Italicæ, ℈ iiij. nucis moſchatæ, cinnamomi, ſantali citrini, ſingul. ℥ j. zibeti, moſchi, ambaris, ſingul. grana vj. fiat puluis, qui marſupio concludatur ad vſus neceſſarios.

Alius.

℞ Roſ. rub. florum betonicæ coronariæ, & viol. fol. myrti, ſingul. p. j. corticis mali citrii ſicci, macis, caryophyl. nucis moſch. cinnamomi, ſantal. citrini, ſingul. ℥ ij. ambar. zibeti, moſchi, ſingul. grana vj. fiat pul. craſſiuſculus, qui ſacculo concluſus cordi admouebitur, alias ſiccus, alias madidus. Irroretur autem æſtate quidem aceto & aqua roſ. hyeme vero vino generoſo, & roſ. aqua.

Puluis cardiacus extemporaneus quum alia cardiaca deſunt.

℞ Scobis cornu ceruini, & eboris, oſſis è corde cerui,

cerui, margaritarum ſplendidarum, ſingul. ℈ j. ſcobis monocerotis grana xij. terræ lemniæ, boliarmenæ, rad. dictami & tormentil. ſingul. ℈ ß. fiat pul. tenuiſſimus ſumendus ex cochleari, cum aqua cardui, aut buglosſ. & vini albi tantillo.

Puluis alius tam efficax vt olim regibus atque imperatoribus magno in pretio habitus ſit, atque diu pro remedio nemini reuelando aſſeruatus.

℞ Myrrhæ electæ, ſantali citrini, cornu ceruini, ligni aloes, maſtich. terræ lemniæ, boliarmenæ, caryophyl. cinnamomi, maceris, croci, ſingul. ℥ ß. terito in pollinem. Doſis validis quidem ʒ j. imbecillis vero ʒ ß. idque cum aqua roſ. ſi feruet ſanguis, ſin minus cum vino albo mane, vt ſudor cieatur.

E. ſolidum ad eundem vſum.

℞ Prædicti, pul. ʒ ij. ß. pul. E. de gemmis, ʒ j. ambaris, ℈ ß. moſchi grana vj. ſacchari albi diſſoluti in aquis buglosſ. & roſ. ℥ iiij. fiat E. per tabel. pond. ʒ ß. vſus erit ante ſingulos paſtus.

E. ſolidum aliud.

℞ Scobis vnicornis, oſſis de corde cerui, ramenti cornu cerui, ſing. ʒ ß. margaritarum ſplendidarum, coral. fragment. ſapphyri, hyacinthi, ſmaragdi, ſem. ocymi, citrii, oxalidis, rad. tunicis, tormentil. doronici Rom. & angelicæ, ſingul. ℈ ij. terræ lemniæ, boliarmenæ, vtriuſque ℈ j. moſchi, ambaris, vtriuſque grana viij. ſacchari albi aquis roſ. & meliſſæ ſoluti ℥ vj. fiat E. per tabel. pond. ʒ iij. aut ʒ ij. Cap. vnam ante ſingul. paſtus.

℞ Terræ ſigil. boliarmenæ, vtriuſque ℥ ß, roſ.

rubrarum, rad. tormentil. doronici Rom. ſingul. ʒ ij. ſcobis ebor. cinnamomi, vtriuſque ʒ j. coriandri præparati, diptami, ſem. oxalidis & citrii, ſingul. ℈ iiij. caryophyl. ſantal. vtriuſque, margaritarum, ſmaragd. coral. albi, ſingul. ʒ ß. rad. angel. ambaris vtriuſq; ℈ ij. moſchi ℈ j. ſacchari triplum, fiant paſtilli, cum mucagine gummi tragacanthi, extracta in aqua roſ.

Cardiacum conditum ad eundem vſum.

℞ Corticis citrii conditi, conſeruæ florum vtriuſque bugloſſi, viol. betonicæ coronar. & roriſmar. ſingul. ℥ ß. pul. E. diamargaritarum, frigid. & de gemmis vtriuſque ℈ j. ſcobis, eboris, cornu ceruini, margarit. coral. vtriuſque ſingul. ℈ ß. pul. cornu vnicornis grana xx. folia auri xij. numero, ſacchari roſ. q ſatis erit ad conditi formam.

Puluis cardiacus in fine paſtus vſurpandus.

℞ Scobis cornu cerui ℥ ß. coral. vtriuſque ſuccini, eboris, margaritarum, ſingul. ʒ j. ß. xyloaloes, ſantal. citrini, rad. tunicis & tormentil. ſing. ʒ j. ſem. fœniculi, coriandri præparati, vtriuſque ʒ ij. roſ. rubrarum, florum bugloſſi, & roriſmar. florum, viol. cuiuſque p. j. fiat pul. tenuis cui adde ſacchari roſ. ſextuplum.

De Epithematis.

Quum hominis cor, vitæ ac inſiti caloris, & ſpiritus vitalis fons, ac veluti ſcaturigo quædam ſit, quæcunque ad id confirmandum, corroborandumque, & ad venenum quo obſeſſum eſt, infringendum, comparantur epithemata, vel calida, vel temperata ſint, neceſſe eſt. Vt enim viuentium calor,

lor, moderato, ſimilique calore foueri, augerique poſtulat: ſic frigore nimio, vel oblædi, vel prorſus extingui ſolet. Verum quum febris omnis calore præter naturam cor ipſum attinguat & feriat, qui contrario temperari, reprimique poſtulat, calidis alexiteriis, è quibus componi ſolent epithemata, merito nonnihil quod refrigeret, inſcritur: cauendo tamen ne vlla vis ingenito calori inferatur. Hic enim omnium naturalium functionum pręcipuus eſt auctor, veruſque omnis veneni antagoniſta & expugnator, ſine quo, reliquorum omnis inanis & irrita vis deprehenditur, neque vero in vera peſtilentia à calidis perinde atque in putridis febribus metuendum. Omnia igitur epithemata vim inſignem habeant, qua venenis & peſtilentis febris iniuriæ obſiſtant & aduerſentur, neceſſe eſt. Hic namque præcipuus eſt ſcopus, ad quem medentis conſilium dirigi debet. Sint & calida omnia, ſed moderate, vt cordis calorem erigant, ac ſuſcitent. Non enim, vt recte Galenus ſcriptum reliquit, vere peſtilentes febres calore vehementes ſunt, aut eius incendio exitiales, ſed occulta pernicie. Nos hic eorum, quæ fœlici ſucceſſu vſurpauimus aliquot formulas trademus in tyronũ gratiam, quarum imitatione in rem præſentem innumera alia definire facile ſit.

℞ Aquarum roſ. meliſſ. bugloſſi, cardui & morſus, vini gilui odorati, ſingul. ℥ iiij. aceti roſ. ℥ ij. ß. pul. roſ. rubrarum, triu. ſantal. pul. cinnamomi, pul. electarii, diamargariti frigidi, ſing. ʒ ß. mithridatii ℥ j. theriaces ℥ ß. & fiat epithema.

Aliud.

℞ Saluiæ, roriſmarini, nardi Italicæ, thymi,

meliſſæ, mentæ, origani, morſus, ſcabioſæ, calendul. borrag. bugloſſi, pimpinel. pulegii, ſtœchad. roſ. rubrarum, ſingul. p. j. ſem. fœniculi, & cardui benedicti, vtriuſque ℥ ß. rad. cyperi, tormentil. irid. florent. calami odorati, ſingul. ʒ ij. nucis moſchatæ, caryophyl. maceris, ſingul. ʒ ß. fiant iiij. ſaccul. interſuti, feruefiant in aqua, addendo ſub finem vini ſubfului odorati, aceti roſ. aquæ roſ. cardui, plātag. & morſus, vini pſeudonardi, ſingul. ℥ iiij. fiat epithema. Si in decocti parte mithridat. & theriaca diſſoluātur, modo hoc modo illo vti licebit maiori profectu.

Aliud quum ſitis & ardor vrgent in peſte putrida conſtitutioni implicita.

℞ Aquarum end. cichorii, roſ. bugloſſi, ſcabioſæ, morſ. meliſſæ, plantag. aceti, ſingul. ℥ iiij. ſuccorum oxalidis & granatorum, vtriuſque ℥ ij. trochi. de caphura, trium ſantal. pul. vtriuſque ʒ ß. mithrid. ℥ ß. miſce.

Aliud ad idem.

℞ Plantag. oxalidis, borrag. bugloſſi, pſeudonardi, roſ. rubrarum, cardui benedicti, morſus, ſaluiæ, roriſmarini, maioranæ, ſingul. p. j. ſem. fœnicul. rad. cyperi, vtriuſque ℥ ß. feruefiant in libris iij. aquæ, tum adde vini rub. aceti, aquæ roſ. & plantag. ſing. ℥ iiij. trochiſcorum de caphura ʒ j. ß. trium ſantal. pul. & roſ. rubrarum, ſing. ʒ ß. mithrid. theriaces, vtriuſque ℥ ß.

Aliud.

℞ Vini pſeudonardi, aquæ damaſc. aquæ roſ. aceti, ſing. ℥ iiij.

Aliud.

Aliud.

℞ Aquæ roſ. aquæ cardui benedicti, aquæ plantag. vini, lauendul. aquæ damaſcenæ, aceti roſ. mithrid. ſingul. ℥ j.

℞ Aquæ plantag. & roſ. aceti roſ. mithridat. ſingul. ℥ j. miſce.

Si peſtilens febris notha maximo incendio ac ſiti vrget, interim dum his cordi proſpicitur, iecori refrigerans epithema adhibendum. Hoc enim tutius fuerit, quam cordis calorem, roburque refrigerantibus ſolis diſſoluere.

℞ Aquæ roſ. plantag. endiuiæ, cichorii, ſolani, ſingul. ℥ iiij. aceti ℥ ij. trochiſcorum de caphura ʒ ij. trium ſantal. pul. roſ. rubrarum puluer. ſing. ℈ j. fiat epithema iecori admouendum.

Vſus.

Tepida ſunto omnia epithemata ſiue cordi, ſiue iecori, adhibenda decreueris. Panni ergo fruſtulum in deſcriptis præſidiis maceratũ & expreſſum toto morbi decurſu cordi inſideat, quod quoties ſicceſcere ſentietur, irrigabitur. Poteſt & ventriculo adhiberi, ſi ſyncope moleſta eſt.

℞ Conſeruæ roſ. bugloſſi, florum geniſtæ, & borrag. ſingul. ℥ j. mithridat. ℥ iiij. theriaces ℥ j. rad. angelicæ, foliorum pulegii, roſ. rubrarum, florum viol. rad. iridis, cuiuſque ʒ j. moſchi, zibeti, vtriuſq; grana viij. aceti roſ. q. ſ. miſce in forma opiatæ, admoueto cordi & temporibus.

℞ Opiatæ prædictæ partem alteram, cui addo cepam & allium ſub prunis coctum, cum mithridatio, & aqua vitæ, pedum plantis, & manuum carpis impo-
nito.

CVRANDI METHODVS.
Cap. XXI.

QVvm primum peſtilenti conſtitutione, vel minima febris quempiam adoritur, is ſe ſtatim in cubiculum ſubducat nitidum, tepidum, ac iucundo ſuffitu perfuſum, cuius oſtiolum ac feneſtræ perpetuo clauſæ ſint, ne frigidioris aeris occurſu corporis meatus ac pori, quibus perſpirare venenatam perniciem neceſſe eſt, occludantur, obſtipenturque. Neque enim iis aſſentior, qui cubiculum bene perflatum requirunt, cuius feneſtræ quæ Septentrionem & Orientem verſus ſpectant, mane & vbi ſol illuxerit, & aeris vapores diſſipauerit, veſperi antequam occidat, reſerentur, vt aere liberiore ac puriore cubiculi nidores expurgentur. Nam, vt in lue venerea, ſic in febre peſtilenti loco tepido ac concluſo, corporis ſpiracula laxa ac patentia ſeruari ſatius eſt, quo vel ſudore, vel inſenſili perſpiratione pernicioſa exhalet labes. Ignis perpetuo collucens cubiculi nidores melius, tutiuſque expurgat. In cubiculo igitur perpetuus ſit, ſed ſæpius languidior,& ex interuallis maior, ac flãmam proferens, quæ tetros ægrotantis halitus, & fecum expirationes abſumat. Si cœlum fuerit æſtuoſum, metuſque impendeat, ne ignis vi æger nimium concaleſcat, eiuſque inſitus calor imbecillior elangueſcat, ac inflammentur ſpiritus, his incommodis arte occurri poterit. Miniſter lecto aſſidens flabello, quod in oxycrato maceratum fuerit, aerem commouere ac ventilare non deſinat. Cubiculum oxycrato gelido irrigetur: vitis folia & flores, aut virentes herbæ idoneæ, nec fœtore, nec aroma-

aromatico odore moleſtæ, omnes oxycrato imbutæ, per cubiculum ſpargantur. Lintea oxycrato aut roſacea, macerata obtendantur cubiculo peristromatum loco. His aliquoties repetitis, cubiculi aer ſi nimium incaluerit, ſatis refrigeſcet. Verumenimuero etiam atque etiam verendum, ne quod naturæ impetu in cutim expellitur, emigratque foras, refrigerantium vſu introrſum repercuſſum, exitium afferat. Sic enim carbunculos, bubones, exanthemata, ſudores, inſenſiles perſpirationes celeriter intro repulſas vidimus in ægri perniciem. Hæc enim omnia antidotis, odoramētis, ſuffitibus, aliiſque præſidiis foras pellere, ac pertrahere conſultius eſt, præſtatque calidum quam frigidum eſſe cubiculi ac regionis aerem, vt patentibus poris venenata pernicies continenter expiret. Deſcriptis ergo præſidiis, quæ aeris æſtum temperent, locus duntaxat erit in febribus peſtilentibus putridæ conſtitutioni implicitis, nec ecthymatis, nec bubone aut carbunculo ſtipatis, ſed ardore, ſiti, vigiliis, & iactatione fatigantibus, idque cœlo feruente. In vera peſtilentia, quæ æſtuoſo calore non valde moleſta eſt, quæque bubone carbunculo, aut ecthymatis ſe prodit, ſæpe parum tuta ſunt. At ſuffimenta, poma aromatica & redolentia, quorum ſuauis vapor & expiratio aeris ambientis inquinamenta diſſipat, ſpiritus ac calorem inſitum excitat & corroborat, in omni peſtilentia quotidie vſurpantur, donec profligata ſit peſtilens pernicies. Horum materia, vtendique ratio ſupra deſcripta eſt, vbi de præcautione egimus. Quum igitur peſtilēti cœli ſtatu febris aliqua inuadit, eam ſtatim publicæ malignitatis participem arbitrari,

& iuſtis antidotis oppugnare multo ſit ſatius, quam expectare, dum ſalute deplorata certis & indubitatis notis peſtilentiæ vim, impetumque prodat. Satis exploratum eſt peſtifera aeris conſtitutione, nullas fere niſi peſtilentes febres populariter graſſari, aut ſi forte per initia nihil peſtilentiæ reſipiat morbus aliquiſpiam, in eam tamen communi aeris vitio & contagione celeriter degenerare. Adde in peracuto hoc morbo ſemel ereptam curandi occaſionem, in vitæ diſcrimen ægrotum ocyſſime adducere. Præſtat igitur primo ſtatim die remedia vſurpare neceſſaria, quam protrahere, dum inſertum intus in cor venenum omnia præſidia aſpernetur. Si qua forte febris minime peſtilens poſt deprehendetur, non modo nihil nocuerit exhibitum alexipharmacum, ſed etiam ad edomandam eius perniciem, naturæ vim confirmandam, arcendamque publicam aeris malignitatem mire contulerit. Morborum minime peſtilentium initiis & incrementis tuto adhiberi poſſe, quæ ſupra tradidimus alexipharmaca, perinde atque ad peſtis præcautionem certum eſt, paucis exceptis, quæ præ calore quo pollent maximo, internis inflammationibus & febribus ardentibus noxia eſſe poſſunt. Prima igitur luce, quum primum anceps periculoſusque morbus inuadit, ſtomacho cibis vacuo, è deſcriptis antidotis, quæ cor propugnant & muniũt, conceptamque intra viſcera contagionem depellunt & diſcutiunt, aliquod vorare, & aliquandiu in cubiculo deambulare oportet, dein in cubili ad excipiendos ſudores ſeſe componere, cauendo diligenter ne quid externi aeris intromittatur ante triduum: is enim ſudorem & venenatam perniciem expi-

expirare non patitur. Sudorem vero tribus horis [f]uere velim, ſi vires valebunt. Titio lapiſve mola-[r]is vino aut decocto conuenienti extinctus, & cum aromaticis herbis linteo obuolutus, pedum plantis commode admouetur, aut lagena calente aromaticarum herbarum decocto plena: ventriculo vero cibarii panis fruſtulum aſſum vino & aceto madefactum, aromatico puluere inſperſo. Horum enim ſuppetiis multo copioſior ſudor elicitur, quocum venenata pernicies expirat. Hic autem vberior ſi dimanat, boni exitus, valentiſque naturæ index eſt. Nihil hic alexiteriorum ſyluam repetere neceſſe eſt, è quibus facile ſit, vel ipſis medicinæ tyronibus aliquod deligere, quod aduerſus malignam auram nulla cunctatione propinetur. Si tamen lubet rei vniuerſæ obſcuritatem exemplo illuſtrare, eſto eiuſmodi in re tenui.

℞ Aquarum ſcabioſ. & meliſſophyl. vtriuſque ℥ ij. mithrid. & theriaces, vtriuſque ʒ ß. vel alterutrius ʒ j. præbeto potionis forma quam mox ab inuaſione. Idemque præſidium primo & ſecundo die duodecima quaque hora repetito, quantitate paulo maiore. Cibum quoque euchymum & eupeptum ter, quaterve in die interiicito, cuiuſmodi fuerit carnis veruecinæ & pulli gallinacei decoctũ, cui præter oxalid. bugloſſ. borrag. & hyſſop. momentum, petroſel. etiam radices, & pimpinel. folia inſint, vt cum vrinis propellatur peſtilentis perniciei portio. Sorbitioni accedet gelatina & ouum ſorbile, aut pullus gallinaceus aſſus, ſucco citrii mali reſperſus: ſin diuitiæ affluent, tutius, efficaciuſq; remediũ erit opiata, mihi longo vſu in præcautione & curatione huius luis probata, quæ ſic habet.

℞ Conſeruæ florum bugloſſ. borrag. viol. betonicæ coronar. theriaces venetæ, ſingul. ℥ ij. boli armenæ ſigil. lemnii, mithrid. ſingul. ℥ j. ſcobis eburneæ, cornu ceruini, margarit. ſplendidarum, rad. tunicis & tormentil. ſing. ʒ j. ſcobis cornu vnicornis, rad. angel. vtriuſque ʒ ß. ſyr. è ſuccis oxalid. & bugloſſ. q. ſ. fiat opiata.

℞ Opiatæ deſcriptæ ʒ j. ß. aquæ ſcabioſ. ℥ ij. ß. aquæ meliſſ. ℥ ij. diluito in potionem qua hauſta aliquandiu inambulet, dein ſudorem in lecto excipiat quam copioſiſſimum.

Vel ſic:

℞ Rad. chynæ, aut ſarceparril. ℥ j. ſem. iuniperi & cardui benedict. rad. helenii ſiccæ, ſingul. ℥ ß. rad. tormentil. dictami, tunicis, cuiuſque ʒ j. rad. angelicæ, ſem. fœniculi vtriuſque ʒ ß. glycyrrh. ʒ iij. aquarum atractylid. bugloſſ. ſuccisæ, ſcabioſæ, meliſſ. ſingul. ℔. ß. feruefiant horis iiij. in diplomate ſedulo obſignato, ne quid vaporis & virium expiret.

℞ Prædicti decocti ℥ iiij. ſucci mali citrii ℥ ß. in quibus diſſ. opiatæ deſcriptæ ʒ j. ß. aut eius loco mithrid. & theriac. vtriuſque ʒ ß. ſcobis cornu ceruini, & vnicornis, margarit. elect. ambaris, ſingul. grana x. ſyrup. viol. ℥ ß. fiat potus. Aliis theriaces aut mithrid. ʒ j. ß. ſatis eſt cum ʒ ij. conſer. bugloſſ. boli ſpecie aut cum aqua cardui. Ego opiatæ deſcriptæ ʒ j. ß. in decocto deſcripto diluere cõſueui fœlici ſucceſſu. Decocti tamen loco mirabiliter auxiliantur aqua cardiaca, & alii ſtillatitii liquores cardiaci in luis venereæ curatione, & ſupra inter remedia huiuſce morbi deſcripti, ſi ℥ iij. cũ ſeſquuncia viri albi, aut aquæ atractylidis ſudori præmittantur

tantur aut ſoli, aut cum opiatæ ℥ j.ß. Sumpto alexiterio & hydrotico æger in cubiculo inambulabit, dein in lecto ad ſudorem ſe componet, qui quum horas tres dimanarit, inhibendus veniet: imo citius ſi vel refrigeſcere, vel vis corporis debilitari ac elangueſcere ſentietur. Sed ea lege, vt priuſquam linteis corpus exſiccetur, duæ treſve aquæ cardiacæ vnciæ propinentur, quæ patentibus tum maxime poris, corpus vniuerſum permeent, venenoque obſiſtant. Hauſta potione accurata diligentia mediocriter calentibus linteis corpus exſiccetur & extergeatur, cauendo diligenter, ne frigidioris aeris occurſu venenum foras prodiens introrſum regeratur. Nec ventriculo cibis infarcto ſumendum amuletum, ne eius vis cibo obtundatur & hebeſcat, nec eo accepto vires longiore ſomno ſepeliẽdæ ſunt. Quippe calorem ac ſpiritus per ſomnum intro recurrere auctor eſt Galenus, quum ſumpto pharmaco veneni impetum foras conuertere ſtudeamus motu prorſus contrario. Itaque hauſto alexipharmaco ſiſtendus prope ægrum ſeruus fuerit, qui eum expergefaciat, ſi longiori ſomno indulgere videbitur. Nam horam vnam aut duas ad ſummum ſumpto hydrotico dormire nihil obfuerit, quum per ſomnum ſudor interdũ etiam quam per vigilias vberior prorumpat. Satis autem fuerit primis diebus ægrum horas quatuor, quinqueve dormiſſe, ne perpetuis vigiliis vires atterantur ac concidant, noctu quidem tribus aut quatuor, & interdiu duabus ſumpto alexipharmaco. Si magna ſit ad ſomnum propenſio, verẽdum ne ſomni dulcedine deliniti, in lethalem ſoporem incidant. Ideoque qui iis aſſiſtet, confabulationes ac ſales et-

℞ Conſeruæ florum bugloſſ. borrag. viol. betonicæ coronar. theriaces venetæ, ſingul. ℥ ij. boli armenæ ſigil. lemnii, mithrid. ſingul. ℥ j. ſcobis eburneæ, cornu ceruini, margarit. ſplendidarum, rad. tunicis & tormentil. ſing. ʒ j. ſcobis cornu vnicornis, rad. angel. vtriuſque ʒ ß. ſyr. è ſuccis oxalid. & bugloſſ. q. ſ. fiat opiata.

℞ Opiatæ deſcriptæ ʒ j. ß. aquæ ſcabioſ. ℥ ij. ß. aquæ meliſſ. ℥ ij. diluito in potionem qua hauſta aliquandiu inambulet, dein ſudorem in lecto excipiat quam copioſiſſimum.

Vel ſic:

℞ Rad. chynæ, aut ſarceparril. ℥ j. ſem. iuniperi & cardui benedict. rad. helenii ſiccæ, ſingul. ℥ ß. rad. tormentil. dictami, tunicis, cuiuſque ʒ j. rad. angelicæ, ſem. fœniculi vtriuſque ʒ ß. glycyrrh. ʒ iij. aquarum atractylid. bugloſſ. ſuccisæ, ſcabioſæ, meliſſ. ſingul. ℔. ß. ferueſiant horis iiij. in diplomate ſedulo obſignato, ne quid vaporis & virium expiret.

℞ Prædicti decocti ℥ iiij. ſucci mali citrii ℥ ß. in quibus diſſ. opiatæ deſcriptæ ʒ j. ß. aut eius loco mithrid. & theriac. vtriuſque ʒ ß. ſcobis cornu ceruini, & vnicornis, margarit. elect. ambaris, ſingul. grana x. ſyrup. viol. ℥ ß. fiat potus. Aliis theriaces aut mithrid. ʒ j. ß. ſatis eſt cum ʒ ij. conſer. bugloſſ. boli ſpecie aut cum aqua cardui. Ego opiatæ deſcriptæ ʒ j. ß. in decocto deſcripto diluere cõſueui fœlici ſucceſſu. Decocti tamen loco mirabiliter auxiliantur aqua cardiaca, & alii ſtillatitii liquores cardiaci in luis venereæ curatione, & ſupra inter remedia huiuſce morbi deſcripti, ſi ℥ iij. cũ ſeſquuncia vini albi, aut aquæ atractylidis ſudori præmittantur

tantur aut ſoli, aut cum opiatæ ʒ j.ß. Sumpto alexiterio & hydrotico æger in cubiculo inambulabit, dein in lecto ad ſudorem ſe componet, qui quum horas tres dimanarit, inhibendus veniet: imo citius ſi vel refrigeſcere, vel vis corporis debilitari ac elangueſcere ſentietur. Sed ea lege, vt priuſquam linteis corpus exſiccetur, duæ treſve aquæ cardiacæ vnciæ propinentur, quæ patentibus tum maxime poris, corpus vniuerſum permeent, venenoque obſiſtant. Hauſta potione accurata diligentia mediocriter calentibus linteis corpus exſiccetur & extergeatur, cauendo diligenter, ne frigidioris aeris occurſu venenum foras prodiens introrſum regeratur. Nec ventriculo cibis infarcto ſumendum amuletum, ne eius vis cibo obtundatur & hebeſcat, nec eo accepto vires longiore ſomno ſepeliēdæ ſunt. Quippe calorem ac ſpiritus per ſomnum intro recurrere auctor eſt Galenus, quum ſumpto pharmaco veneni impetum foras conuertere ſtudeamus motu prorſus contrario. Itaque hauſto alexipharmaco ſiſtendus prope ægrum ſeruus fuerit, qui eum expergefaciat, ſi longiori ſomno indulgere videbitur. Nam horam vnam aut duas ad ſummum ſumpto hydrotico dormire nihil obfuerit, quum per ſomnum ſudor interdū etiam quam per vigilias vberior prorumpat. Satis autem fuerit primis diebus ægrum horas quatuor, quinqueve dormiſſe, ne perpetuis vigiliis vires atterantur ac concidant, noctu quidem tribus aut quatuor, & interdiu duabus ſumpto alexipharmaco. Si magna ſit ad ſomnum propenſio, verēdum ne ſomni dulcedine deliniti, in lethalem ſoporem incidant. Ideoque qui iis aſſiſtet, confabulationes ac ſales et-

iam adhibeat, quaſi parta iam de morbo victoria, atque etiam, ſi vel ſtertor, vel extimarum partium inerit perfrigeratio, ſyncopes nuncia, extremorum vincula, frictiones & compunctiones. Ea tamen cautione, vt in tibiis & cruribus fiant, quum infra lumbos bubo, anthrax aut tumores protuberabunt, in brachiis vero & ſcapulis quum in ſuperioribus partibus, ne interturbetur naturæ motus maximo valetudinis diſpendio. Caſtoreum, aqua vitæ diſſolutum naribus inſertum, cerebrum mire corroborat, & ſi ſemen ſinapi aqua vitæ maceratum, ac tritum admiſtum ſit, ſupra opinionem ſoporoſos ac veternoſos, perinde ac oleum è ſaluia arte chemica extractum, expergefacit & ſuſcitat. Exactis à ſudore horis duabus alimentis locus erit, quæ ſupra particulatim explicata ſunt. Si forte his præſidiis diuanuerit, quæ metum incutiebat febris, ſatis ſit poſtridie aluum, ſi pigrior erit clyſtere ſubducere. Nudiuſtertius vero peſtis ſuſpicione prorſus diſcuſſa, purganti medicamento ſordes primæ regionis corporis expurgandæ. At ſi febris peſtilentis conſpicua argumenta acceſſerint, bis die mane & veſperi ſudor cardiaco medicamento erit promouendus, donec triduum aut quatriduum abierit, ſi modo tandiu vires valeant, ſpeſque aliqua ſalutis affulgeat. Nam valde attritis ac languẽtibus viribus, ſolis alexipharmacis & alimentis venenatæ perniciei obluctari præſtat, ſatiſque ſit eo corporis ſtatu profuſo primo die ſudore viam naturæ indicaſſe, per quam mane & ante cœnam cardiacis adiuta ſeſe exoneret. Interim dum iſta gerentur, ſi pigra adeo erit aluus, vt nihil ſponte eiiciat, eam molliente ac detergente enemate, alter-

nis die-

nis diebus ſollicitare expediet, in quo mithridatii & theriaces vtriuſque dimidia drachma diſſoluatur. Si plurima ſymptomata ab humoris putredine & febris incendio incurrent, ineritque plenitudo alterutra, ea ante hydrotici vſum ſecta vena tuto demetur, modo & vires valeant, & primo id ſtatim aut ſecundo die tentetur. At ſi nec plenitudinis, nec putredinis ſigna inſunt, ſanguinem mittere alienum eſt, ſatiſque erit citra venæ ſectionem & purgationem, ſolius clyſteris vſus. Poſt quatriduum nec ſudor (niſi forte ſpōte dimanans eo nos inuitet) arte elicitur, nec ſanguis demitur, ſed cardiaca duodecima, aut decimaquarta quaque hora repetuntur, modo pura, modo iis miſta quæ putredinem cohibent, cuiuſmodi habentur acida omnia, adiectis etiam, quum viſcera incendio flagrant, quæ vim habeant refrigerandi. Interea bubonis & carbunculi deſcripta curatio ſtrenue ſuſcipienda, cor epithematis aſſiduo fouendum, cubiculi aer odoramentis ſuffiendus atque emendandus. Cibus, potus, ac ſomni ea ratio habenda, quæ deſcripta eſt. Omnibus denique ſymptomatis iis, quæ ſupra poſita ſunt remediis occurrendum, habita temperamenti, ætatis, virium, conſuetudinis, regionis, temporis & propriæ cuiuſque naturæ ratione. Bubone vel diſcuſſo, vel concocto atque aperto, viribuſque recreatis, quæ ſupererit impuritas blandioribus catharticis exhaurietur, idq; ſenſim & adiectis, vt ſupra commonefeci, cardiacis. Victus ratio, quæ interim tenenda ſit, quæque alexiteria & cardiaca vſurpanda, ſupra luculenter explicatum.

Si nondum ab vbere depulſus infans peſte pre-

henditur, nutricem fere contaminat: ſi vero nutrix primum inficitur, infantem contagione breui polluit, niſi occurritur. Itaque infante contaminato, ne nutrix vitium perſentiſcat, paulo ante deſcripta peſtis præcautio adhibenda, quæ eadem opera & nutricem ab imminenti periculo ac contagione ſartam & tectam tueatur, & infantem hauſta cum lacte amuletorum, quibus nutrix vtetur efficacia, à iam contracto morbo liberet. Infanti vero puluis, qui mox deſcribetur, quoties is lac exugere volet, è papilla etiam offeretur cum lacte deglutiendus, aut certe ex cochleari cum eodem lacte, vel cum aqua cardiaca. Sed & ſexta quaque hora aquæ cardiacæ, quam ſupra deſcripſimus, ſaccharo aut ſyrupo viol. cõditæ vncia vna ex cochleari exhibebitur, donec in tuto ſit. Hæc enim præſidia huic ætati quã mithridatium aut theriaca multo aptiora ſunt, & commodiora. Interim extrinſecus epithema cordi admouendum, & pulti è mica panis & lacte vaccino, aqua cardiaca, aut puluis deſcriptus admiſcendus. Sed & bubones & carbunculos, ſi forte inerunt, blandioribus medicamentis, vt ætas expoſcit, curare par eſt, & veſicatorium, ſi operæpretium videatur, imbecillum, quale eſt, quod è ſapone nigro & ſale fieri ſolet, imponere. Hæc remedia viciſſim continuata puerulis adhuc lactantibus conueniunt, incipiente, increſcente ac vigente febre peſtilenti. His vero conualeſcentibus, declinante ſcilicet morbo expreſſum ʒ ß. aut ℈ ij. aut ʒ j. rhab. electi infuſi in aqua bugloſſ. cum ℈ ß. cinnamomi, tuto propinatur cum ℥ ß. ſyrup. viol. ad reliquias venenatæ materiæ, quæ intus deliteſcit expurgandas. Natu grandiores iiſ-

dem

dem remediis, ſed doſi paulo maiore vti debebunt, ſudoreſque leuiuſculos perferre, ſed ea moderatione, quæ à lipothymia procul abſit. Si nutrix inficitur, aut etiam extinguitur, infans aut ſanæ nutrici eſt committendus, aut ſi id tam cito minime licet, caprili aut aſinino, aut vaccino lacte, aut ſorbitionibus, aut hordeato, aliiſque liquidis alimentis, in os & in fauces vſque inſtillatis ac demiſſis, alendus, ſuſtinenduſque eſt, admiſtis vt modo dixi, quæ peſtis contagium arceant, iniuriamque propulſent.

DESCRIPTÆ CVRATIONIS *per ſudores confirmatio.* CAP. XXII.

NON ſum neſcius multos fore, qui nos mirentur ſtatim initio febris peſtilentis in ſudorum prouocationem incumbere: quum præſertim ii veteribus omnibus maximeque Hippocrati in acutis morbis damnati ſint, præterquam quum ſponte diebus criticis ex vniuerſo corpore promanãt. Pleriſque enim viſum eſt, eum qui in febre ſudorem arte elicit, nimium reſiccato, excalfactoque corpore, omnia febris ſymptomata exaſperare, vireſque diſſipatis ſpiritibus proſternere. Addunt naturam cuius vtiles progreſſus medicus imitari debet, humores noxios primum concoquere, dein à puris & alendo corpori idoneis ſecernere, vt eos tandem alui profluuio, vel ſudoribus excernat. Deniq; vacuationem omnem ſpontaneam, quæ morbi initio contigit, idcirco ſymptomaticam & inutilem eſſe, quod furore quodam, violentoque morbi impetu, & humoris orgaſmo, non naturæ victricis robore excitetur. His ex cauſis humorem

Digitized by Google

noxium prorſus crudum, & vtili ſucco confuſum atque permiſtum, naturæ imitatione arte prius coquendum eſſe quam vacuandum, alioqui præpoſtera curatione naturam recte agentem ab officio auocari & interturbari, ægrumque in vitæ diſcrimen coniici.

Veriſſima quidem & rationi conſentanea ſunt hæc omnia, ſed quæ in febribus, aliiſque morbis ab humoris putredine profectis, locum duntaxat habeant, non autem in peſtilentibus aut venenatis, in quibus fere omnibus orgaſmum agnoſcere cogimur.

Tria enim ſunt in febrib. peſtilentibus, à quibus præcipue curandi indicationes peti debent: venenata ac pernicioſa labes humoribus aut ſpiritibus inſidens cordique impreſſa, humor aut ſpiritus venenata qualitate contaminatus, & calor præter naturam in ſpiritibus & humoribus accenſus, & cordi moleſtus. Vt igitur ex his tribus præcipua eſt venenata labes, quæ intus turgens ac oberrans omnia peruertit & deuaſtat, ſic indicationes, quæ ab ea ducuntur aliis præferendæ ſunt, quæ vel ab humoribus, vel à calore præter naturam ducuntur.

Humores enim & ſpiritus veneni ſedes & vehiculum duntaxat habentur. Ideoque nulla arte tuto concoqui poſſunt, antequam vel proprio alexipharmaco intus extinctum, euictumque ſit virus, vel ſudorib. exhalarit, vel ſuppurato bubone cum pure emanarit. Sed nec calor in corde accenſus ardoris exceſſu, ſed pernicioſa ac peſtilenti malignitate præcipue infeſtus eſt, qua ſtatim iugulat.

Præcipuum igitur curationis caput attigit, qui vene-

venenatam peſtis qualitatem, vel extinxit in corpore, vel radicitus extirpauit. Reliqua enim duo ea depulſa, vel naturæ ſolius vi citra artis opem, vel minimo artis ſubſidio facile vincãtur: quod vtrunque alexiteriis hydroticis conſequimur.

Prætereà per initia febrium peſtilentium nondum inſignis in humoribus putredo & corruptela ineſt, ſæpe etiam toto morbi decurſu non manifeſta (indicio ſunt vrinæ coctæ, & naturalibus ſimiles, & calor minime mordax) at ſtatim initio venenata labes vna cum ſpiritu hauſta eiuſmodi eſt, vt ſi ſinitur, breui naturam opprimat & expugnet. Sudorem igitur per initia ſtatim promouere expedit, quo cum venenata illa pernicies in vaporibus & ichoribus reſidens expiret, & in tenues auras diſſipata prorſus euaneſcat.

Quod autem aiunt concocta medicanda eſſe atque monenda non cruda, noſtram hanc ſententiam minime conuellit: neque enim craſſa & lenta corporis excrementa, quæ coctione indigent, antequam vacuari poſſint, ſudoribus euacuare ſtudemus, ſed ſeroſa duntaxat, & turgentes ichores, quos citra coctionem purgare iubet Hippocr. vnaque cum his malignam & venenatam morbi qualitatem, quæ vix vllam coctionem, vt neque aliud vllum veneni genus, admittet.

Seroſis enim excrementis & vaporibus craſſioribus, qui venenatæ ac peſtilentis qualitatis ſedes ſunt, ſudoribus reſolutis, vna cum his venenatam perniciem expirare, peſtiſque vim horum profuſione frangi ac hebeſcere neceſſe eſt.

Quod vero obiiciunt calorem, omniaque reliqua febris ſymptomata ſudoris profuſione ingra-

ueſcere, id quidem in aliis febribus verum eſt: at vero nequaquam in peſtilenti, niſi vel calidiore pharmaco prouocetur, vel diutius excipiatur. Nam quum antidoto ægrotantis naturæ accommodato blande elicitur, quia venenatam morbi perniciem, quæ totius mali auctor eſt, è corde foras euocat, ſecumque rapit, multo maior eſt, quæ hinc accedit commoditas, quam quod proponunt incommodum. Vita ſemel cum morte commutata nulla arte reſtitui poteſt, morbi vero malignitate ac venenata pernicie (quæ vel ſola repente iugulare ſolet) vel antidoto extincta, vel cum ſudoribus profuſa, quod proponunt diſpendium facile ſarciri queat. Placet tamen, vt iam ſemel commonefeci, ſudores antidotis non admodum calidis promoueri, idque bis, ter, quaterve ad ſummum primo, ſecundo, aut tertio die. Satis enim ſit naturam, qua parte viam affectat, portione oneris leuaſſe, eiuſq; motum atque conatum promouiſſe, quod ſupererit antidotis adiuta abſque hydroticorum remediorum cõtinuatione, facile vel ſuperabit, vel perſpiratione excludet.

Sed cur obſecro, tantopere ſuſpecta ſit, quam natura dictat, & rerum euentus comprobat curatio? Nemo enim eſt medicorum, qui longo medendi vſu, & præclaris difficilium morborum curationibus famam ſibi compararit, cui non explorata ſit iſthæc curandi methodus. Adde quod naturæ motus, qui ſtatim morbi huius initio è centro ad peripheriam, intuſque foras fit, ſudorum eruptionem vtilem eſſe docet. Huc accedit febris ſudorificæ, quæ noſtro ſeculo (incognita adhuc eius natura) magnam Britannorum ſtragem edidit, per

ſudo-

ſudores, alexiteria & euchyma alimenta plurimorum experimentis comprobata curatio. Cur igitur id in aliis febribus peſtilentibus imitari minime liceat, quod tam fœlicem ſucceſſum in febre Britannica habuiſſe compertum eſt? In ea ſudor ſtatim morbi initio erumpit, & tamen qui in lecto ſe continet, vt eum excipiat, periculum ſuperare ſolet. Qui vero exolui vires, & ſudorem intro remeare ſinit, celeriter de medio tollitur, occiditq;. Alii igitur alia remedia, aliamque ſi volent curandi rationem laudibus in cœlum efferant: ego quod fœliciter ſum expertus, non poſſum non commendare. Anno 1560. bubone peſtilenti ac febre perculſus hac curandi lege, hiſque remediis intra ſeptem dies me periculo ſubduxi. Sic aliis multis de vita periclitantibus olim opem tuli, feramq; quoad vixero. Sed morientur nonnulli ſub hac curatione: quidni? Neque enim morbus omnis curationem recipere poteſt, nec medicus ſemper opportune accerſitur, pluresque morbi violentia ſtatim primo aut ſecundo die fato concedunt, antequam accitus medicus arte ſua reſiſtat. Vnum hoc ſcio plures his remediis, hacque curandi methodo euaſuros, quam illa cuius præcipua vis in catharſi & phlebotomia conſiſtit.

DE PVRGATIONE ET VEnæ ſectione in febre peſtilenti.

CAP. XXIII.

QVI ad grauem quandam & inſolentem humorum putredinem peſtis cauſam referunt, hanc illius curationem inſtituunt. Purgant valde ſtatim initio, dein ſanguinem mittunt, alii tamen

venam tundunt primum, dein catharticum propinant: vtrique reliquias idoneis ſyrupis præparant, atque identidem in aliarum febrium putridarum modum purgant: nonnunquam etiam vomitiones ciẽt, aut alui profluuium hypercathartico medicamento excitant, iis poſtremo antidota adiiciunt, quæ cordi labaſcenti opitulentur, ac putredini obſiſtant, mane & ſub horam ſomni ſumenda, quibus diebus nulla tentatur vacuatio. Quæ interim dum geruntur, bubo ſi protuberat, vel radicitus ſcalpro dirimitur atque extirpatur, vel ad ſuppurationem perducitur, quemadmodum & carbunculus. Hæc medendi methodus, hæc ſumma ſunt remediorum capita, quibus tam pernicioſo morbo inſidiari, atque obſiſtere ſolent. In quo, vt peſtilentibus forte febribus plenitudini & putredini implicitis, opportune aliquando ſatisfaciunt, ſic quum pura & ſimplex (quod ſæpe fit) viget peſtilentia, toto, quod aiunt, cœlo maximo ægrotantium damno à veritate deſciſcunt. Sed neque in peſtilentibus febribus putridæ conſtitutioni implicitis, frequens catharticorum vſus ſatis tutus exiſtit. Conſtat enim ex iis, quæ ſupra poſita ſunt, non modo efficientem peſtis cauſam à vulgari humorum putredine longe lateque diſſidere, etiamſi hæc illius plerunque ſit comes, ſed etiam occultum malignum & pernicioſum venenũ eſſe, cordi & inſito calori tota ſubſtantia infenſum, cuius proprium ac peculiare remedium ſit, non catharticum, ſed quod Græcis alexiterium & alexipharmacum, nobis vero antidotum dicitur. Etenim plurima cathartica, non modo venenis non obluctantur, ſed etiam venenata & malefica vi prędita

dita ſunt, qua corporis vim, roburque partium diſſoluunt. Si igitur peſtis cauſa venenata eſt, cordique peculiariter infenſa, nonne eius remedium cordis & inſiti caloris robur tueri, venenoque aduerſari conſentaneum eſt? At vero tantum abeſt, vt cathartico id conceſſum ſit, vt præterquam, quod venenatæ malignitatis particeps eſt, peſtilentem etiam perniciem cordi & ſpiritibus inſertam, illincque in corporis ambitum naturæ impetu contendentem exagitet, confundat, & ad præcordia maximo naturæ damno reuocet atque reuellat. His, aliiſque de cauſis male inſtituta videri poteſt peſtis curatio per cathartica. Sed nec venæ ſectio proprium peſtis remedium eſſe poteſt: ea ſiquidem natiui caloris ſubſtantiam, quam tueri operæpretium eſt, imminuit, infringitque vires, quas peſtis amuletum confirmare debet. Præterea non ſolum quo natura & humor viam affectant, eo ducere medicum oportet per loca naturæ longe commoda, & naturam probe ſuo fungentem munere, in morborum curatione perpetuo imitari, ſed etiam ſi quando vtilis ipſius motus ſegnior aut infirmior exiſtit, eum citare, atque arte promouere. Quæ ſi vera ſint, & naturæ peſtis cauſam à ſe amoliri conantis motus intus foras fit, vt certe fieri fatendum eſt, quum è corporis centro ad peripheriam, è partibus præcipuis ac principibus ad ignobiles, imbutos veneno atque inquinatos humores, vnaque cum iis venenum ipſum propellat: quorſum attinet ſtatim curationis initio cathartiicis, & ſanguinis miſſione motus in corpore ciere naturæ contrarios, & ſalutarem eius impetum intercipere? Huius opinionis veritatem bubones,

carbunculi, & exanthemata in febribus peſtilentibus erumpentia, manifeſtò confirmant. Horum enim materiam, ſi natura intus foras propellit, quo ſe grauanti pondere releuet, cur pharmaco aut venæ ſectione ea introſum reuelletur? Hoc qui facit, & naturam ab officio abſtrahit, venenatos etiam humores cum puris & nondum contaminatis permiſcet atque confundit, vtiles ſpiritus diſſoluit, vires denique atterit, in quarum robore & integritate præcipuus curationis cardo verſabatur. Si peſtilens febris, quæ cum virium imbecillitate atque proſtratione coniuncta eſt, plane funeſta ac lethalis deprehenditur, quamlibet generoſa & efficacia conferantur remedia, quis non videt cathartica, & alia omnia vacuantia, quæ vires diſſoluunt periculoſiſſima? Sed in aliis venenatis morbis, quanti momenti ſint venæ ſectio, ac purgatio inquiratur.

In ferarum venenis, quæ recta cor appetunt, ſanguinis miſſione venenum in cor impelli, auctor eſt Auicennas. Quum venereum virus inguinis bubone ſe prodit, ſi quis antequam vel ſuppurauerit, vel diſcuſſus ſit bubo, ſecta vena ſanguinem detrahat, vel catharticum adhibeat, venenatam eius materiam intro reuocari, ac bubonem in luem veneream commutari, experientia docuit. Quis neſcit incipiente lue venerea vacuantia identidem repetita, venenátam tuberculorum materiam in viſcera reuellere, eiuſque cognitionem obſcurare? Itaque vt venenum canis rabidi aut viperæ morſu acceptum, aut ſcorpionis, alteriuſve animalis venenati aculeo impreſſum, tutius alexiteriis extingui, quam cathartico euelli poteſt: ſic peſtilentis febris

bris venenata prorſus cauſa, antidotis & alexipharmacis melius quã catharticis abigitur. In his quum peccatur, multo grauius malum accerſit propinatum incipiente aut augeſcente peſte catharticum, quam ſi per aliorum venenatorum morborũ principia id exhibeatur. Non enim qui venereo inguinis bubone tenetur, ſumpto cathartico occidit, ſed veneno introrſum attracto pro bubone luem contrahit veneream. At peſte obſeſſus hauſto cathartico in præſens vitæ diſcrimen adductus, ſæpe eo ipſo die fato concedit. Lues venerea diuturna quum ſit, eiuſque venenata labes craſſo, lentoque vehiculo inſideat, ſæpe errorem medici citra vitæ iacturam perfert. Peſtis vero peracuta, & in tenuiſſimo aere cauſam habens, errore minimo ſic excandeſcit, vt breui ægrotantem de medio tollat. Præter has rationes, longa & diuturna experientia, ac rerum euentis hæc ſe opinio tuetur ac ſuſtinet: quibus conſtat eos, qui ſimplici ac legitima peſte correpti ante declinationem catharticis vtũtur, aut alui profluuio prehenduntur omnes fere occumbere. Eos vero, qui cathartica ad declinationem vſque differre ſolent, & ſolis antidotis & euchymis alimentis initio incremento & vigore pugnant, magna ex parte euadere. Huius rei teſtes ſunt vel annalium ſcriptores, qui anno 1510. febrem popularem malignam ac peſtilentem crudeliter in Gallos ſæuiiſſe annotarunt, ad quam profligandam, quibus aluus ducta eſt, aut ſanguis miſſus, omnes multo citius interiiſſe deprehenſum eſt. Anno 1568. peſtilens fuit conſtitutio Lutetiæ, in qua qui neglectis vacuantibus, cardiacis tum alimentis, tum medicamentis cor fouebant, & ale-

xipharmacis venenum oppugnabant, omnes fere perſanabant: quibus vero vel ſanguis abunde miſſus eſt, vel ſæpius citata aluus, iis ſiniſtra & calamitoſa contigerunt omnia. Febris Britannica peſtilens quum ſit, ſumpto cathartico, aut miſſo ſanguine illico iugulat, ſolis cardiacis & alexiteriis cedens. Quandiu in Xenodochio curandis ægrotantib. præfui (præfui autem biennium graſſante peſtilentia) eos, quibus per initia aluus adſtricta eſſet, etiamſi nullo alio remedio vterentur, præterquam mithridatio, magna ex parte conualuiſſe deprehēdi. Contra vero quibus ſponte vel arte ea proflueret, omnes fere occubuiſſe. Quod ex aliquot virginibus ſenio & ætate confectis, quæ annis iam 60. illic vixerunt, teterrimaſque multas peſtes ſuperarunt, intelligere facile ſit. Huius autem rei ratio haud obſcura eſt. Nam ſi naturæ robur (in quo vno ſpes ſanationis ſita eſt) citiſſime diſſoluit peſtilens venenum, quicquid corporis ſpiritus diſſipat, infringitque vires, tantum abeſt, vt peſtilentem perniciem obtundat, vt etiam peſtis curationem interturbet atque peruertat. At quo vel ſponte, vel arte fluidior, magiſque ſoluta aluus exiſtit initio, vel incremento peſtis, hoc naturæ robur imbecillius eſſe ſolet, quum præſertim alio ducit naturæ motus. Omnis quippe excretio principio morbi ſuſcepta, vt ſymptomatica eſt, ſic naturæ vires, roburque fruſtra conuellit. At licet inutilem forte materiam demit, quoniam tamen ſpiritus vna diſiicit atque diſſipat, atteritque vires, præſertim quum repentina ac copioſa exiſtit (quod nos luculenter Hippocrates hydropicorum exemplo docuit) maxi-

mo

mo ægrotanti damno eſt. Contra vero adſtricta aluo, vnita collecta atque coacta corporis vis, & validior effecta, in peſtilens venenum alacrius inſurgit. Contrariæ quidem curandi indicationes plerumque concurrunt in peſtilenti febre. Nam & putris humor, quum certis argumentis ineſſe conſpicitur, vacuari, & venenum alexiteriis profligari poſtulat. Sed ei quæ magis vrget, & è qua neglecta maius impendet periculum, cuiuſmodi in peſte fuerit venenata pernicies cordi & ſpiritibus inſerta, prius incumbendum eſſe, veterum eſt ſententia. Hanc enim ſolam alias ocyſſime antequam humores putruerint, alias ſerius iam concoctis crudis ac putridis, hominem perimere, certis experimentis compertum eſt. Equidem vt feruidus vapor minime venenatus in vaporibus, & ſpiritibus accenſus, citra humorum putredinem dum in cordis ſedem irrepit, ephemeras ſimplices gignit, ſic venenatus peſtilentes plerumque citra humorum corruptelam. Illæ igitur caloris exceſſu & incendio, hæ venenata vi ac pernicie maxime vrgent, & afficiunt, cui primo quoque tempore occurrendum, minime tamen neglecta putredine, quum certis notis ſe prodit. Sunt qui veram peſtilentiam citra noxiam materiam fieri prodiderunt, recte quidem mea ſententia, non quod febribus peſtilentibus ſubiecta nulla materia ſit, ſed quod ſæpe humorem nullum vel exurant, vel putrefaciant, qui ad curationem, vt in aliis putridis, vel coquendus ſit, vel medicamento purgandus. Sæpe enim venenata earum pernicies in vaporibus & ichoribus ſita, antequam humor vel exuratur, vel putreſcat, naturæ vim, ro-

burque celeriter diſſoluit, mortemque repente infert. Itaque ſi occulta quædam & latens malignitas peſtilentis febris præcipua eſt cauſa, nonne ad eam tanquam ad præcipuum ſcopum curationem dirigi conſentaneum eſt? Quid confert ducta aluus, ſi reſiduum naturæ robur ea magis ac magis diſſolutum, confeſtim veneno ſuccumbat? Præſtat igitur Hippocr. & Celſi prudentem negligentiam imitari, quam iſtorum fucatam diligentiam, qui medicinam facere, nihil aliud eſſe quam purgare, ac ſanguinem mittere arbitrantur. Ille matura concoctaque medicamentis catharticis mouere præcipit, non cruda. Hi vero præceptorum illius immemores, non modo febrium putridarum initio crudis adhuc confuſis atque ad vacuationem ineptis humoribus, præpoſtero catharticorum vſu, naturæ conatus omnes interpellant atque peruertunt: Sed etiam morbis ab intemperie ſimplici, aut venenata quadam ac peſtilenti labe profectis, curationem, quæ febrium putridarum propria eſt, imprudenti conſilio communicant. Celſus minime vtile eſſe prodidit, aut fame, aut vigilia, aut nimia ſiti in peſtilentibus febribus cruciare ægrum, aut ducere aluum. Sed nec ſanguinem mittere permittit, niſi & vires ſinant, & cum dolore febris ſit. Præter veterum teſtimonia Fernelius Galliæ noſtræ decus, qui 30. annis Lutetiæ floruit, hanc etiam ſententiam ſcriptis celebrauit, quam rerum vſus atque experientia confirmat. Sunt tamen, qui tam perſpicuis rationibus, & rerum euentis obluctantes, ſtibium præparatum, aliaque hypercathartica laudibus in cœlum efferant, rati in deplorato morbo ſatius eſſe aliquod remedium

expe-

experiri, quam nullum, ſæpe etiam vt ex Celſo colligunt, temerarium. Stibium aiunt principio morbi cum valent vires tempeſtiue datum, quicquid humoris redundat in corpore, venenatamque perniciem concepit, mirabili ſed ignorata & occulta proprietate, ſupra & infra incredibili impetu detrahere. Sed ſpecioſa iſta empiricorum commenta, quibus imperiti irretiri atque deliniri ſolent, refellere facile ſit. Satius quidem in grauiſſimis quibuſque morbis aliquod tentare remedium quam nullum, & quandiu ſpirat æger, tandiu ſperare, quum ſæpe vt in natura, ſic in morbis fiant miracula. Sed remedia morbi naturæ & ægrotantis viribus conſentanea eſſe oportere contendo, qualia fuerunt in peſte ſimplici alexiteria & alexipharmaca vſu probata, non ſtibium aliave temerariorum empiricorum hypercathartica venenata, quæ multis iam conualeſcentibus exitio fuiſſe annotaui. Incredibile dictu quam multi ſtibio perierint in crudeliſſima ea peſtilentia, quæ in Lugdunenſes debacchata eſt anno 1566. Nec tamen hoc venenato pharmaco ad omne morbi genus temere abuti deſinunt empirici, effreni & impudenti audacia legibus mulctanda. Nam quod illi dictitant, ſtibium occulta proprietate noxia quæuis excrementa vndique ad ſe rapere, & ocyſſime foras exterminare, atque idcirco principio datum morborum materiam citra periculum demere, falſum plane & à quotidianis experimentis alienum eſt. Complures enim eo ipſo die quo explorandi gratia empiricorum hortatu ſumpſiſſent, fato conceſſiſſe obſeruauimus. Deinde vno & eodem ſimplici medicamento, omnibus mor-

bis in omnibus naturis, nulla ætatis, temporis, conſuetudinis, dietæ, particularis cuiuſque naturæ, & habitudinis ratione habita, tuto mederi poſſe, non rationi modo, ſed etiam imperitorum opinioni repugnat, omnemque fidem ſuperat. Nullum quidem catharticum eſt, quod tuto in vſum non adhibere poſſit doctrina & rerum vſu peritus medicus. Sed ſtibium & venenata reliqua hypercathartica, quæ initio morbi cruda adhuc materia temere exhibent ignari empirici, frugi materiam cum inutili eripiunt, occulta pernicie corporis harmoniam diſſoluunt, ſpiritus diſſipant, dira cient tormina, & horrendam ſyncopen mortis imaginem, aliaque plurima ſæua ſymptomata accerſunt, cruciatu intolerabili. Sed de his alias pluribus. Iam de controuerſa hac re paucis quid ſentiendum ſit, perſtringamus. Non ante pura & legitima peſte correptis, aluus ducenda cathartico medicamento, quam recreatis viribus venenata qualitas expulſu antidotis deuicta, extinctave iudicetur, ac tubercula ſi inerant, vel diſcuſſa, vel ad ſuppurationem deducta, pure diffluant. Ego vix ante ſeptimum præſcribo, interdum etiam ad decimumquintum differre conſueui, ſi virium & morbi ratio poſtulat, ſolis enematis contentus. Quum autem propinandi cathartici occaſio incidit, blandum id ac benignum eſſe debet, & cardiaco temperatum, ne quam perturbationē in corpore concitet, neve malignum & venenatum ſi fuerit, ſemimortuas peſtilentis veneni reliquias, quæ poſtea ægro inſidias ſtruant, vitæ reſtituat. Eiuſmodi ſunt, quæ ſupra recenſui, rhabar. aloe, agaricum, caſſia, ſenna, catholicum, & quæ ex horum & alexipharmacorum

macorum permiſtione fieri poſſunt, quorũ quantitatem prudens exercitatuſq; medicus præfiniet, habita virium, exuperantium humorum, morbi, temporis, ætatis & conſuetudinis ratione. Sed præſtat tyronum gratia rem hanc aliquot exemplis illuſtrare.

℞ Aquarum ſtillatit. ſcabioſ. cardui benedicti aquæ theriacalis cuiuſq; ℥ j. In quibus tepidis macera horis duab. rhab. pul. ʒ ij. ß. cinnamomi ʒ ß. In expreſſ. diſſol. ſyrup. de limonib. ℥ j. ſcobis cornu ceruini margaritarum elect. vtriuſque ℈ j. propinato mane ſole exorto. Commode ac tuto addetur cathol. ℥ j. ſi pigrior aluus erit & ferant vires. Si obſtructiones inerunt ſic præſcribendum.

℞ Rad. dictami tormentil & graminis polypod. paſſul. fol. ſennæ, ſingul. ʒ. iij. capil. ſcolopend. vulgaris, aſplenii borrag. agrimon. calendul. ſucciſ. ſcabioſ. flor. vtriuſq; bugloſſ. ſingul. p. j. ſem. fœnicul. cardui citrii oxalid. ſingul. ʒ ß. ferueant igne remiſſo in aqua atractylid. In colato decoct. macera hor. duabus rhab. elect. ʒ ij. ß. cinnamomi ʒ ß. in expreſſ. diſſol. ſyrup. capil. vene. ℥ j.

Vel ſic:

℞ Caſſ. fiſtul. recent. extractæ ℥ j. rhabar. elect. pul. ʒ j. mithridatii ʒ. ß. fiat bolus cum ſyrup. viol. Exhibeto mane tribus horis ante cibum. Poſtridie cathartici, ſi ex vrinis rubris craſſis ac confuſis putredo humores venarum inuaſiſſe deprehendatur, & vires ex pulſu laturæ videbũtur, ſanguis pro plenitudinis ac virium ratione ſecta vena demendus.

Apozema ad eximendas putris humoris reliquias.

℞ Radicum graminis, cichor. oxalid. tormentil. polypod. paſſul. ſingul. ℥ ß. adianti vtriuſque, ſco-

Digitized by Google

lopend. borrag. bugloſſ. agrimon. calendul. ſucciſ. ſcabioſ. verbenæ pimpinel. ſingul. M. j. florum vtriuſque bugloſſ. & viol. ſing. p. j. ſem. aniſ. fœnicul. citrii, oxalid. atractylid. ſingul. ʒ j. ß. fol. ſennæ mũdat. ℥ ij. Coquito in aquis atractyl. & ſucc. ad tres doſ. adde ſub finem agar. albi tro. ʒ ß. cinnamomi ʒ j. ß. in expreſſ. diſſol. ſyr. de limonib. & viol. vtriuſque ℥ j. ß. fiat apozema ad tria dilucula alterna, ouorum albuminibus, & colo defecatum ac perpurgatum, conditumque ſantal. cittini dimidia drachma. His aliiſque ſimilibus catharticis quum primum, quæ in primis ſedib. inerit impuritas exhauſta fuerit, ſi quid in venis maioribus ſupererit, id ſponte naturæ aut in aluum deriuabitur, aut ſudoribus expirabit, aut deniq; arte demetur ſecta rurſum in cubito vena, ſi res ita expoſtulare videbitur. Hæc enim veneno antidotis deuicto, recreatiſque viribus tuta ſunt omnia, ſi arte ac methodo adhibeantur. In febribus autem peſtilentibus putridæ conſtitutioni implicitis, quæ & in vrinis certas putredinis notas exhibent, & ſymptomatis ab humoribus incaleſcentibus, inflammatis, putreſcentibus, varieque in corpore diſiectis, atque ab eorum tetris expirationibus ortis fatigant, etſi purganti medicamento & phlebotomiæ locus eſt, neq; tamen illo ſtatim morbi initio, neq; hac vigẽte iam morbo vtendum fuerit, quumq; initio vel incremento vtendi neceſſitas incidet, neq; illud vehemens ſit, neq; hæc copioſa, neque alterutrum, vt in aliis putridis fieri ſolet, identidem repetatur, donec publica pernicie, quæ totius mali auctor eſt deuicta, cacochymiæ ſcaturiginem vbicunq; deliteſcat, repetitis vacuantibus exhaurire tutum ſit.

Quan-

Quanquam autem quicquid de vacuandi ratione in febre peſtilenti hactenus traditum eſt, non modo rationi conſentaneum, ſed etiam longo vſu exploratum eſt, quoniam tamen veneni peſtilentis pernicies haud ſemper vniuſmodi & ſui vbique ſimilis eſt, ſed variis conſtitutionibus, modo his modo illis ſymptomatis varie fatigat, prudentis medici fuerit ſtatim initio graſſantis peſtilentiæ, illius morem impetumque,& quibus præſidiorum generibus vel remittat, vel irritetur diligenter obſeruare, vt quod remedii genus pluribus ſalutem attulerit, in vſum cooptetur, quod vero mortem, repudietur & exulet. Itaque ſi qua peſtilens conſtitutio putridæ implicita incidat, in qua qui viciſſim alexipharmacis & aluum ducentibus, ſed leuioribus vtentur, magna ex parte iuuari videantur, eam curandi viam ingredi qua multi ſanitatem recuperarunt, minime pertimeſcendum. Contra vero, ſi quibus propinatum catharticum fuerit deterius, quod fere fit, quam aliis, qui ab eo abſtinuerunt, ceſſerit, nonne temerarium fuerit reliquos in manifeſtum vitæ diſcrimen præcipites dare? Hic ergo interim dum antidotis venenatæ perniciei obſiſtitur,& hydroticis ichores venenati foras exiguntur, aluum molli clyſtere ducere ſatis eſſe profiteor. At vero de venæ ſectione ſic ſtatuendum eſt. Quoties peſtilens febris imbecillitate virium, aut etiam ſyncope territat, ab omni vacuatione abſtinendum eſſe, maxime vero à ſanguinis miſſione, quæ vires plurimum infringit ac debilitat. Præterea quæcunque ſimplices ac legitimæ peſtes, nulla putredinis ſigna in vrinis, aut aliis excrementis oſtentant, à ſanguinis miſſione

abhorrent, quamlibet ſæua vrgeant ſymptomata. Eo enim miſſo exaſperantur, citiuſque perimunt, alexipharmacis vero cardiacis & hydroticis, cedũt & obſequuntur. At in iis, quæ putridæ conſtitutioni implicitæ ſunt, vnde capitis dolor, vigiliæ aſſiduæ, iactationes, ſitis, linguæ torrefactæ, moleſtæ arteriarum pulſationes, ingens præcordiorum æſtus, aliaque ſymptomata ab humorum feruore & putredine profecta inſint: ſi venæ humorum copia turgeant, ſanguis mitti debet, plus minus, vt fert vaſorum plenitudo, ætas, anni tempus, corporis habitudo, & ſymptomatum ſæuitia. Sed ea cautione tamen, vires vt valeant, & morbi initio ſi accitus eſt medicus, ducatur, idque multo quam in aliis febribus parcius, è pede quidem aut poplite, ſi bubo protuberat in inguine aliave parte infra lumbos ſita, è brachio vero, ſi in faucibus aut axillis, aliiſve partibus, quæ renes ſuperant, atque etiam in ipſis lumbis, idque ſemper ex eodem latere, vt rectitudinis fibrarum ratio habeatur. Si nec bubo nec carbunculus inerit, baſilica ſiniſtra pertundetur potius quam dextra. De quantitate vero ſic habendum, quoniam ſanguis naturæ theſaurus, & caloris natiui pabulum exiſtit, niſi maxima inſit plenitudo, eum vix conſtitutione peſtilenti vltra ſex, octove vncias detrahi debere. Semper enim quamlibet ingens plenitudo inſit, infra ſubſiſtere multo ſit in peſte ſatius, quam vltra procedere, ne naturæ vires ad morbi perniciem edomandum neceſſariæ fatiſcant. Eandem ob cauſam nec foſſoribus, nec aliis aſſiduis laboribus aſſuetis, aut parce ac frugaliter victitantibus, mitti ſanguis debet in peſte, præterquã quum inflammatio ſubeſt,

Digitized by Google

eſt, tum enim copioſe, ſed partite ducendus, ſi caſus poſtulat. Sed accurate videndum, ne (quod ſæpe fit) venenata qualitas in ſpiritu ſita, in latus aut thoracem pleuritidis aut hepatitidis ſpecie inſultus ſuos conuertens, dolorem punctorium ementiatur, medicique iudicium fallat. quod ex pulſu præcipue internoſcitur, qui in inflammatione durus aut ſaltem multo quam in peſte maior & validior, deinde ex tuſſi, quæ pleuritidis, non peſtis ſemper comes eſſe ſolet. Sectioni venæ nulla præparatio per purgantia in hoc morbo neceſſaria: Satis ſit feces, ſi ſponte quotidie non deſcendant, clyſtere ſubduxiſſe, præſertim quum morbi initio adhibetur. Quum per initia negligitur, niſi ingens ſit plenitudo, tutius differtur, donec bubo vel pure diffluat, vel diſcuſſus ſit.

PESTIS SYMPTOMATA.
Cap. XXIV.

Febris peſtilens interdum multis fereq; horrendis ſymptomatis ſtipata eſt, quorum non aliud dolore capitis vrget frequentius, præſertim in febribus peſtilentibus nothis putridæ conſtitutioni implicitis, & in naturis, quibus caput frigidum & humidum, ac ſero multo perfuſum eſt. Hic minime ſemper eſt vniuſmodi, ſed pro diuerſa veneni populariter graſſantis affectione, & corporum natura variat. Peſtilentes febres putridæ conſtitutioni implexæ, quæ Lutetiæ ſæuiebant anno 1568. ab atrociſſimo fere capitis dolore initium capiebant, qui nullis plane remediis leuatus, quarto aut ſeptimo die ſponte conquieſcebat, interdum nulla, interdum manifeſta vacuatione. Cauſa igi-

tur cenſeri debet non cerebri, aut membranarum ipſius inflammatio, ſed maligna peſtilentis veneni pernicies, quæ è venis & arteriis vna cum terris vaporibus eo ſublata, ſeroſos humores in capite cumulatos inficit, tuncque ſopor adeſt & veternus, qui tum nullus deprehenditur, quum capite excrementis vacuo ſentientes membranas pungit ac vellicat.

Curatio.

Si nec ſomnum intercipit, nec crudelius angit capitis dolor, propria curatione nihil opus eſt. Sublato enim morbo, ſymptoma protinus euaneſcet. At ſi tam immaniter diſcruciat, vt ſomnum inire non patiatur, ſed præ vigiliis & corporis iactatione, ſpiritus & vires labefactet, phrenitim eo tractis bilioſis humoribus portendit, & curatione indiget. Lenientibus igitur topicis, quæ peſtis curationi non obſint, is eſt demulcendus. Clyſteres itaque alternis diebus iniicientur, qui ſenſim deorſum reuellant, quæ in caput feruntur. Raſo capillo mane & veſperi, embroche capiti adhibebitur, ex oleis nympheæ, roſ. viol. chamæmeli, & liliorum lotis in aceto, ſuperpoſito lanæ ſuccidæ cucullo, aut ſi calor vrgebit, linteolo oxyrrhodino imbuto, & leniter expreſſo. His enim, qui iam capiti impactus humor erit, digeretur: qui vero adhuc influet, repelletur. Si ne his quidem ſedabitur, benefaciet cataplaſma, è candidi panis mica, croco, puluere betonicæ, oleo roſ. & lacte caprino, aut vaccino.

Gallus gallinaceus diſſectus, & exenteratus capiti, quam maxime calens adhibitus, non raro crudeles dolores lenire viſus eſt, & febriũ deliria compeſcere.

Digitized by Google

peſcere. Quocirca hoc etiam præſidium vſurpandum. Plures autem galli ſubinde imponantur, partique inſideant, ſinguli horis tribus, aut quatuor ad ſummum. Si enim diutius remaneant, fœtorem edunt, cordi, ac viſceribus infenſum. Vicem galli, ſupplere poſſunt vituli, aut veruecis pulmones adhuc calentes. Nulla quidem hæc occulta proprietate pollent, aduerſus capitis dolores, aut phrenitidas, ſed quia calorem obtinent inſito nobis calori finitimum & amiciſſimum, eius auxilio cerebrum corroborant, ac talium ſymptomatum cauſam digerunt.

Opem ferunt & anodyna repercutienti materiæ miſta, ſi fronti & temporib. adhibeantur, abſtinendo tamen à narcoticis & ſtupefacientibus omnibus. Hæc ſi non ſtatim liberant, continuanda tamen ſunt, quoniam ſi dolorem non tollunt, certe imminuunt, ægrotumque recreant tantiſper, dum in morbi curationem incumbetur. Magno in errore verſantur, qui neglecto occulto morbo, profligandis manifeſtis ſymptomatis ſe totos addicunt. Quorſum enim attinet, ad dolorem capitis, qui aliquando in peſte exercet, venam reſignare, primum quidem humerariam externam, deinde arterias temporum, poſtremo hæmorrhagiam è naribus ciere? Annon naturæ in profligando morbo occupatæ motus, conatuſque peruertitur, dum quod vi expultrice in extimas partes, eaſque inferiores tempeſtiue propulerat, miſſo ſanguine surſum reuellitur, eiuſque robur diſſoluitur? Sed de his alibi plura. Narcotica, & ſoporifera omnia medicamenta naturæ vires ſtupefaciunt, debilitant, & à morbi concoctione auocant, habent-

que qualitates alexiteriis plane contrarias: quo fit, vt tanquam ipſamet peſtis fugienda ſint omnia.

De vomitione.

Quum vomitio peſte correptos acerbius infeſtat, ſunt qui exiſtiment naturam expultrice ventriculi facultate, quod moleſtum eſt, ipſam ſcilicet febris cauſam, à ſe amoliri, ac foras propellere, velintque eius conatum exhibito vomitorio medicamento promouere. Sed ii longe falluntur. Nam quo magis vrget vomitio, hoc periculoſior febris peſtilens eſſe ſolet, vt etiam plures vomendi finem non fecerint, donec animam vomendo profuderint. Tenuis adeo eſſentiæ eſt venenum peſtiferum, vt omnem arte factam vacuationem eludat, ſi ſudorum profuſionem excipias, ideoque ad curationem vel intus propriis antidotis extinguendum eſt, vel in ſudores digerendum, neglecto ſymptomatico vomitu. Non enim naturæ victricis robore, quæ illac ſe exonerare contendat (quum neque conueniens, neque ad excludendum venenum ſatis idonea via ſit) ſed venenata pernicie, quæ illius robur proſternit & diſſoluit, vomitus in peſte excitatur. Vitioſa quidem excrementa alias pituitoſa, alias bilioſa, interdum etiam nigra, vomentes reiiciunt, præſertim vero cacochymi & cachectici, ſed citra vllam alleuationem morbi. Manet enim vacuatis etiam excrementis peſtifera cordi & ori ventriculi impreſſa qualitas totius mali auctor, quæ os ventriculi neruoſum, & acutiſſimo ſenſu præditum acriter feriens, ventriculum, ad id quod negotium faceſſit excludendum, incitat. Quod igitur ad auxilia

lia attinet, alexipharmaca propria ſunt huius ſymptomatis remedia. Eius enim vim atque impetum introſumpta, vel prorſus cohibent, vel infrænant, nec aliis ad curationem ſymptomatici vomitus opus eſt. Si forte tamen ventriculus, nimis effrenata vacuatione laceſſitur ac diſſoluitur, extrinſecus etiam adhibitis præſidiis iuuãdus. Commodus & opportunus fotus, eius calorem ſuſcitare poteſt, flatus diſcutere, malignam veneni perniciem ori ipſius impreſſam obtundere, vomitionem denique cohibere, ſi in hunc modum comparetur.

℞ Foliorum ſiccorum mentæ, ſampſuchi, abſynthii vulgaris, origani, calamenti, thymi, pulegii, meliſſæ, artemiſiæ, ſummitatum anethi, ſingul. p. j. ſem. aniſi, fœnicul. cardui, rad. cyperi, calami aromat. cuiuſque ℥ ß. nucis moſchatæ, caryophyl. macis ſingul. ʒ ß. Conficito ſacculos qui ferueant aliquantiſper in aqua, dein adde vini odoriferi tertiam partem mithridatii ℥ j. ß. aceti, aquæ roſ. vtriuſque ℥ ij. ß. Adhibeatur fotus ventriculo ex ſpongia, vel ipſimet ſacculi viciſſim applicentur. Item ex oleo ſaluiæ & roriſmarini arte chemica extracto, cui aceti & mithridatii ana. ʒ j. acceſſerit mox à fotu reſiccatus locus illinendus. Si aluus adſtrictior fuerit, clyſtere potius quam cathartico ducenda, in quo, vt etiam aduerſus peſtilentem perniciem vires habeat, mithrid. ʒ ij. diſſoluentur.

De ſingultu.

Frequens præterea eſſe ſolet in febre peſtilenti ſingultus. Hunc autem ciet veneni pernicies, quæ altius ventriculi tunicis impacta, vim eius expultri-

cem ſtimulat, ad id quod oneroſum eſt, aut vellicat, excludendum. Hæc igitur eiuſmodi motu, quod moleſtum eſt expellere, ſed fruſtra adnititur: quod tenuis ea qualitas partibus tenacius impreſſa, eius motum omnem atque conatum facile eludat ac ſuperet. Pernicioſum ſane ſymptoma in omni maligna febre, ſed magis ſi arte factam vacuationem ſequitur. Neque tamen aliis remediis opus fuerit, quam deſcriptis alexipharmacis & fotu modo propoſito. Si forte excrementorum in ventriculo collectorum copia ſingultum inferre videbitur, remedia ſunto, clyſter, blandum catharticum alexiterio temperatum, & fotus. Sed hæc cauſa raro locum habet in hoc affectu, vixque vnquam tuto datur catharticum ante morbi declinationem in legitima peſte.

De vacuationibus ſpontaneis, quæ in hoc morbo contingunt.

Si qua forte naturalis vacuatio diu præter naturam ſuppreſſa, ſub hoc morbo, ſiue è naribus, ſiue ex hæmorrhoidibus, ſiue in mulieribus ex vtero erumpat: per initia minime cohibenda, aut præpedienda, ſed ſi minor & pigrior videatur, promouenda potius atque acceleranda, quemadmodum & hemorrhagia omnis, quam natura die critico molietur. At ſi immodica vires ita proſternit, vt ſyncopas accerſat, tum difficilis eſt iudicii. Nam ſiue ſinitur, ſiue cohibetur, æger in vitæ diſcrimine verſatur. Si ſinitur quidem, quod erumpens ſanguis ſecum calorem ſpiritus & animam eripiat: ſin occurritur, quod venenata labes, quam natura cum ſanguine licet forte puriſſimo profundebat, proculque à corde vitæ principio amandabat,

intror-

Digitized by Google

introrſum ad viſcera remeans, necis conſecutionem afferat, ſed maxime quum ſecta vena ſiſtitur: Anno 1568. febres peſtilentes fluente è naribus ſanguine copioſiſſimo, eoque fere florido, magna ex parte iudicatæ ſunt. Ex iis, qui ad lipothymiam vſque ſanguinem profundebant, pauci euaſerunt, quibus vena in brachio ſita ad reuulſionem ſecta ſit: Qui vero totum naturæ negotium committentes, alimentis ac medicamentis cardiacis proſtratas vires reſarciebant, omnes fere percurabant, quamlibet frequentes ac graues viderẽtur animi defectiones: multis auxilio fuere epithemata, cardiaca & refrigerantia iecori & cordi, adſtringentia vero fronti & naribus, vnde ſanguis emanabat adhibita: ſed illa quamlibet cito citra periculum cordi & iecori admouentur: hæc vero non niſi quum ſanguinis quantum ſatis eſt, fluxerit, fronti, temporibus, & naribus applicari debent.

De ſanguinis reiectatione, atq; exſcreatu.

Eſt & aliud peſtilentis morbi peſſimum ſymptoma, ſanguinis ſcreatus, atque reiectatio. Hæc autem fit, vena aut arteria in pectore aperta, rupta, exeſa, vel dehiſcente. Quum enim carbunculi, vel alia tubercula illic intus protuberant, niſi dehiſcant, breui occidunt. Si vero aperiantur ac findantur, prorumpente ſanguine vita eripitur: magnæ igitur hic vndique premunt anguſtiæ. Expuitur interdum & per pleuritidas, quæ cum peſtilenti febre aliquando concurrunt, ſed minore periculo, ſi modo opportune imperatur venæ ſectio, ſemel, bis, ter, quaterve: ſi difficultas ſpirandi cum lateris dolore & cruento ſputo coniuncta id expoſtu-

Digitized by Google

lare videatur. Omnia huius ſympromatis, à quacunque cauſa prodeat, remedia medicis notiſſima, verum ne ſanguis prorumpat ac expuatur, ſi peſtilens febris ineſt, auxiliis quæ valenter adſtringant minime impediendum, quin potius quum venenatus ſit, vt effluat curandum: & pro adſtringentibus, danda quæ leniter detergeant, ardoremque temperent, velut hordeì decoctum cum ſaccharo roſa. ſyrupus violaceus, & reliqua eius generis.

De alui profluuio.

Alui profluuium in omni febre peſtilenti ſuſpectum eſt & peticuloſum, ſi bubonis & carbunculi ſuppurationem, vrinarum concoctionem, & aliorum ſymptomatum remiſſionem anteuertat. Nam præterquam quod ſpiritus diſſipat, atteritq; vires, venenatam etiam morbi perniciem, quam prouida natura in extimas corporis partes longiſſime à corde diſſitas & ignobiles deponere conabatur, in præcordia reuocans exitium adfert. Eius cauſa cenſeri debet, non naturæ robur viſque expultrix vegetior, ſed venenata ac peſtilens morbi labes omnium partium, ſed maxime vẽtriculi, vim retentricem ſic diſſoluens, vt minime cibum vel amplectatur, vel concoquat. Symptomaticum igitur quum ſit, tantum abeſt, vt proſit, vt inſitum calorem ac ſpiritus breui labefactet, naturæq; robur infringat & opprimat. Secus plane iudicãdum, quum decretorio die accedit, coctionis ſignis iam conſpicuis, repurgato bubone, recreataque quodammodo natura.

In malignis tamen & peſtilentibus febribus, in quibus nec bubones, nec carbunculi protuberant,

nec

Digitized by Google

nec ecthymata in cute effloreſcunt, bilioſum aut diarrhœæ finitimum, aut etiam crudum alui profluuium moderatum haud ita funeſtum eſſe ſolet. In his enim complures, poſt crudorum ſtatim initio morbi deiectionem, cōualuiſſe obſeruaui, morbi ſcilicet pernicie, quæ in cutē non erupiſſet, cum crudis & liquidis illis, fœtidis tamen & graueolentibus ichoribus, ſenſim è corde, arteriis ac venis per aluum expurgata.

Huius autem varietatis cauſa eſt, quod in illis alui fluor naturam ab officio reuocet, tempeſtiuoſque eius motus & excretiones interrumpat: in his vero non item, quod nihil ea in corporis ſuperficiem impellat, ſed omnia in aluum deturbet atque præcipitet. Rariſſime igitur aut vix vnquam contingit, vel ſpontaneum, vel acriori cathartico irritatum alui profluuium in febre peſtilenti, quæ bubone & carbunculo ſtipata ſit, ſalutarem nanciſci exitum. At in febribus malignis, quæ citra bubonem, carbunculum & ecthymata graſſantur, quod ſponte incidit, ſi ſenſim ac diutius perſiſtit, ſæpe liberat, modo intempeſtiue nec proritetur, nec cohibeatur, ſed ſenſim fluere ſinatur, confirmatis interim viribus, tum alimentis, tum medicamentis cor ipſum roborantibus: ſi tamen vel tardius mouetur noxia materia, vel citius, quam morbi & virium ratio poſtulet, ſponte ſupprimitur, propinato rhabarbaro putris, ac venenati humoris reliquiæ commode exhaurientur.

De ecthymatis.

Maculæ peſte correptis aliquando effloreſcunt pulicum aut culicum morſib. non diſſimiles, non-

nunquam etiam multo maiores. Memini enim me ſæpius vidiſſe, quæ vniuerſum brachium, aut crus totum, aut faciem, aut aliam maximam partem occuparent. Febrem fere ſequuntur & tertio, quarto, aut ſeptimo die erumpunt, interdum ſerius, interdum citius, interdum vna cum febre exoriuntur, modo cum bubone & carbunculo, interdum aliquanto poſt, ſæpe ſine his, aliquando etiam poſt obitum, veneno in extincto cadauere adhuc debacchante. In febribus malignis ſæpe ſolitariæ ſunt abſque bubone & carbunculo, non minus tamen quam ſi adeſſent, periculoſæ. Quæ rubent minus pernicioſæ exiſtunt, quum præſertim multæ ſunt, & diebus criticis erumpunt viribus reſurgentibus, neque intro remeantes cito diſparent, ſed in cute perſtant, donec exorto madore aut ſudore earum cauſa exhalet. At quæcunque liuidæ, aut nigræ, aut venetæ cernuntur, lethales haberi debent. Sunt enim deuicti ac iã pene extincti natiui caloris certiſſimæ notæ. Has non raro comitantur ſyncope, animi languor, & virium exolutio. Sed & ſæpe intro celeriter recurrunt, nulla cauſa manifeſta.

Metuuntur omnia eiuſmodi ecthymata cuiuſcunque ſint coloris, ſi cito diuaneſcunt, ſed magis, quæ poſt bubonem & carbunculum intempeſtiue die minime critico erumpũt. Peſſimam enim cauſam eſſe oportet, quæ quum à natura in carbunculum & bubonem tota diſiici non potuerit, ſuopte impetu in omnes corporis partes vndequaque effunditur.

Hoc ſymptoma non aliam curationem, quam peſtilens febris efflagitat. Eliciti igitur per antidota & alexipharmaca ſudores, vera & peculiaria huius

ius remedia cenſeri debent: extincta enim veneni pernicie, vel ſudore diſſipata, maculæ illico euaneſcere comperientur. Cauendum igitur etiam atque etiam, ne vel ambientis frigore, vel frigidis medicamentis extrinſecus admotis, intro repellatur, vel catharticis reuocetur ad viſcera, quæ in cutem fertur pernicies. Videndum etiam, ne longiori ſomno torpidior facta natura ipſam negligat. Sunt tamen, qui vnguento ex hydrargyro corpus inungant, ignari frigidum & humidum hydrargyrum calamitoſam veneni labem vna cum humore intro regerere, mortemque inferre contaminatis viſceribus, quod in multis vſu veniſſe adnotaui. Doctus Lutetiæ medicus Simonius hoc remedio in ſeipſo vſus ad digerendum peſtilentem inguinis bubonem, illico vires proſtratas ſenſit, breuiq; bubone deliteſcente occubuit.

DE BVBONE PESTILENTI. Cap. XXV.

OMNIVM venenorum, quæ inſpirando ducuntur ea vis eſt, & natura, vt recta cor appetant, & in id opprimendum omnes ſuos conatus, inſultuſque conferant. Vnum autem peſtilens in hunc maxime facultatum fontem, in hancque vitæ arcem irruit, atque primum impetum dirigit. Quum enim natura tenuiſſimum ſit, vna cum aere quem ad vitæ conſeruationē attrahimus, prompte in thoracem ſubit, vnde mox in cor penetrat, ibique reſidens ſpiritus primum & vapores, dein ichores, poſtremo cordis ipſius, cui inſito quodam odio, tacitiſque diſcordiis infenſum eſt, ſubſtantiam contaminat, adeoque calorem, qui vi-

tæ fomes eſt, obruit & ſuffocat. At vero in id venenum tanquam hoſtem natura ſtatim inſurgit, nec ſolum illius impetus reprimere aut retardare, ſed longe à ſe arcere omnibus ſuis viribus annititur. In hoc quidem veneni & naturæ duello, quum natura venenum nec longe à præcipuis partibus foras agere, nec ſtatim diſſipare poſſit, craſſiores humores iam infectos, in extimas atque ignobiles partes amandat, vnde bubones, carbunculi & ecthymata, ſeu maculæ peſtilentes originem habeant. Bubones quidem ex craſſiore atque pituitoſa parte: carbunculi vero ex ſanguine calido, & ad atræ bilis naturam propter aduſtionem conuerſo: maculæ ex tenui & magis bilioſa ſanguinis parte. Bubones fere ſemper in adenibus, quos ad excipiendas fluxiones natura comparauit, extuberant: qui quoniam cerebri, cordis, iecoris, lienis, maiorumque vaſorum emiſſaria ſunt, quidam venenum peſtilens minime ſemper in corde tanquam proprio foco, ſed alias in cerebro, alias in iecore reſidere ſcripſerunt. A quorum opinione hactenus aſſenſionem cohibui. Nam in peſtilenti febre cor primario affici, ex cardiogmo, vomitione frequenti, ſyncope, pulſu obſcuro, & inæquali, facile intelligitur: quod ſi non ſolum in axillas, quæ cordis, ſed etiam in fauces, quæ cerebri, & in inguina, quæ iecoris, lienis, maiorumque venarum ſunt emunctoria, inſideant, id materiæ orgaſmo, & indomitæ malignitati, quæ humores varie agitat, & huc atque illuc citra rationem impellit, acceptum referri debet. Argumento quod multis poſt obitum extinctis naturæ viribus, foras prodeunt. Iecur autem & cere-

& cerebrum non eſſe primum & peculiare peſtis domicilium inde manifeſto patet. Primum enim in legitima peſte nulla putredinis ſigna in vrinis, aut alui excrementis cōſpicua ſunt, nec ſitis aut linguæ ſcabrities, nec feruor aut æſtus ingens, nec phrenitis aut ſopor grauis, quæ ſymptomata ſi forte in putrida febre compareant, per ſympathiam fiunt cordis primario affecti. Peſtilens enim aer intro hauſtus, primum cor contaminat, à quo per venas & arterias in viſcera effuſus, in iis malignitatis ſuæ notas exhibet, ſi excrementis ſcateant affectioni præparatis. Sic obſeſſo corde, ſi cerebrum ſeroſis, aut ſi iecur, lien, & totum venoſum genus impuris humoribus refertum ſit, per vaſa communicata labes illa ſtatim labefactat & inficit, inde hæc affecti iecoris, aut cerebri emergent ſymptomata, capitis grauitas, ſopor, phrenitis, aut certe quam acerbiſſimus capitis dolor, ſitis, feruor ingens, putredo in vrinis, & alui fecibus manifeſta, aliaque eius generis. Cerebrum vero polluti humoris portionem pone aures & in fauces, vt iecur & lien in inguina deponens, bubones in iis partibus excitat. Nec vero in ſolis adenibus, ſed etiam in aliis partibus erumpunt: imo vero nulla pars in corpore eſt, in qua nō aliquando expullulent, præſertim vero carbunculi. Vidi enim quibus in naſo extremo, & in minimo manus aut pedis digito protuberabant. Sæpe tamen non foras prodeunt, ſed in internis partibus enaſcuntur, ſuntque tales ominis ſiniſtri. Si cor occupant ſtatim enecant: Si thoracem, ſanguinis excreatio & ſpirandi difficultas vrget, morſque in biduum aut triduum differtur. Idem periculum eſt, quum vel in iecore, vel

Digitized by Google

in liene excitantur. E bubonibus, qui in emiſſariis emergunt, febribus ſæpius accidunt, qui vero in aliis partibus, vel in brachio, dorſo, tibiis, febres quandoque ſubſequuntur, alias ſimul emergunt. Initio mobiles minimeque ſubiectis partibus affixi ſunt, figura oblongi ac teretes, ſed parte media craſſiores in modum fuſi filo obuoluti: ſed paulatim rotundam figuram conſequuntur, & ſubiectis partibus inhæreſcunt, tandemque in acutum faſtigiantur. Sæpe ab iis tanquam ſolidus neruus in partem vicinam diſtentam, ac veluti conuulſione rigentem producitur, nunc rubens, nunc fuſcus, nunc obſcurior, nunc vireſcens, nunc iridis colorem referens, duos, tres, vel etiam interdum quatuor digitos, latus, zonam nonnulli, aut cingulum vocant. Augeſcente igitur bubone parti dolor ineſt pungens ac tenſio moleſtiſſima in longum porrecta, non aliter quam ſi neruus duriſſimus illic ſubeſſet. Hinc materia in tumorem cogitur, qui glandulam referat. Tumor autem in aliis celerrime augetur & incaleſcit, pungenti dolore & intolerabili, quod malum omen portendit: in aliis paulatim pungenti quoque, ſed miti dolore melioribus ægri rebus. In aliis concolor & œdematoſus deprehenditur, nullo aut minimo dolore exercens. In aliis rubicundus eſt, in aliis niger vel liuidus. Qui viuido eſt colore, vel naturalem cutis colorem non ſuperat, minus periculi præ ſe fert, niger vero & liuidus, fere lethalis eſt. Moriuntur nihilominus non raro, & quibus rubicundi inſunt bubones, & quibus œdematoſi, aut cuti concolores, tanta eſt huiuſce morbi fallacia atque malignitas. Quum febrem anteuertũt mitiorem morbum

bum prænuntiant. Robuſtam enim naturam cordis veneno laceſſitam, huius nonnihil cum humore foras propulſaſſe docent, at poſt febrem ſi prorumpant, dominantis veneni ad intempeſtiuas expulſiones naturam ſtimulantis impetu fiunt: Certumq; inde poteſt victæ naturæ argumentum ſumi, præſertim ſi vel lente increſcunt, vel incrementum iam aſſequuti, ſubito diſparent atque euaneſcunt, nullo ſudore, nullaque cauſa manifeſta. Hos excipe, qui decretorio die ſe produnt: quoniam enim hi validam naturam opportune ſuo fungi munere demonſtrant, nihil periculi portendunt, etiam ſi febrem ſubſequantur. Quum ad ſuppurationem ſemel perducti fuerint, ſi hinc relictum vlcus cito ſine vlla ratione reſiccatur & exareſcit, periculum in propinquo eſt. Qui citra partis corruptionem ſuppurant, puſque excernunt laudabile, ſalutares ſunt, modo veneni reliquiæ intus hærentes alexipharmaco expugnentur, & natura cardiacis confirmetur. Contra vero, qui perſeuerante febre, eodem ſtatu manent, periculoſi cenſentur. Quamplurimos perſanatos vidi citra bubonum ſuppurationem, veneno paulatim antidotis deuicto, reſolutaque bubonis materia. In aliis vnicus bubo protuberat, in aliis complures, & quo plures inſunt, hoc periculoſior eſt morbus, ſi ad febrem acceſſerint, natura iam langueſcente. At quum febrem antegreſſi ſunt, ſecus fit: humores namque vitioſos in artus & ſummas corporis partes, procul à viſceribus, & primariis partibus ablegari operæpretium eſt, vel multis, ſi ita res ferat, tuberculis. Quanquam autem peſtilens venenum in corde ac ſpiritibus reſidet, dum bubo,

vel in inguine, vel in axillis, vel in faucibus, vel in alia quauis parte prominet, ipſeque bubo morbi duntaxat ſymptoma eſt: eius tamen ad morbi curationem ſuppuratio non minus expetenda, quam metuendus intro recurſus. Genito enim pure apertoque abſceſſu, ichores multi, qui in hoc affectu putredinis vomites habentur, vnaque cum iis venenatæ cauſæ portio expurgari ſolet, quibus leuata natura veneni reliquias multo facilius vincit ac diſſipat. At ſi virus illud intro remeet, horrenda cordis ſymptomata augentur, calor obruitur & ſuffocatur, morſq; in propinquo eſt.

CVRATIO BVBONIS PESTIlentis. Cap. XXVI.

PRincipivm curationis à cucurbitæ vſu ducendum. Neque enim hic velut in aliis inflammationibus repellentia adhibenda ſunt, ſed vt in parotidibus naturæ impetus iuuandus, & ex profundo ad cutim rapienda materia, ſi ſegnior ſit eius motus, idque tum cucurbitis, tum attrahentibus medicamentis. Cucurbita incipienti buboni admota, veneni impetum in tumorem conuertit, præcipuaque viſcera exonerat. Ea autem ſexta quaque hora innouari poteſt, dum tumor ſatis increuerit. Huic tamen nihil loci relinquitur, quum tenuis & feruida fluxio eſt, dolorq; inſignis. Tum enim tumor per ſe ac ſponte ſatis augetur: quumque eo rerum ſtatu adhibetur, immanes cruciatus parit, febrim exagitat, vigilias accerſit, exoluitque vires: quæ incommoda etiam inuehunt omnia vehementer calfacientia & attrahentia medicamenta parti admota. Quum craſſa & lenta eſt materia,

ria, dolorque vel prorſus nullus, vel admodum leuis & obſcurus, frequens cucurbitæ admotio minime pertimeſcenda, donec optatum finem fueris conſecutus. Hac ſublata, vnguentum cataplaſmave attrahens ac remolliens imponendum, à quo ſi cucurbitularum vſus non fuerit cõueniens, auſpicanda curatio: ſic autem habet.

℞ Rad. ſymphyti maioris, & liliorum, ceparum, ſingulorum ℥ j. fol. oxalidis M. j. cum butyro ſalis experte: fiat pila ſub cineribus coquenda: dein conterantur omnia, & cum oleo liliaceo axungiaque porci, adiecto mithridatio, & fermenti momento, ſubigantur. Peſtilentes bubones euocat, concoquit, & celeriter maturat hoc cataplaſma: ſola ſymphyti maioris radix cum butyro & mithridat. momento ſub prunis cocta, celeriter bubonem concoquit, maturat, & aperit. Sunt qui attractionis gratia, raphani laminas ſub cineribus coctas imponunt, laminis ſæpe permutatis: alii cepam magnam excauatam, aut plures ſi opus videatur, mithridatio aut theriaca implent, adiectis aliquot rutæ foliis, calidis cineribus obruunt, aſſant, dein tundunt, & cum axungia ſuilla remiſcent, ac cataplaſmatis ſpecie tumori imponunt: quod quidem remedium, vt paratu facilimum eſt & vulgatiſſimum, ſic ad venenum foras euocandum, malignaſque eius vires infringendas præſtantiſſimum vſu deprehenſum eſt. Validius tamen attrahet, ſi allium ſimiliter coctum, & fermentum adieceris. Infinita alia eius generis præſidia in rem præſentem ex tempore parari poſſunt, alia quidem leuiora, alia acriora, prout tumoris ratio poſtulat, quibus vti non prius chi-

rurgus deſiſtet, quam bubo incrcuerit, incalueritque ſatis.

Aliud.

℞ Vnguenti de althea, butyri recentis, olei liliorum, ſingul.℥.j.fermenti acris ℥j.ß. mithridat.℥ ß. fiat vnguentum.

Vel ſic:

℞ Galbani, opopanacis, ammon. liquefacti aceto, ſi calida eſt bubonis materia, in aqua vitæ vero ſi craſſa, lenta, ac frigidior, vnguenti baſilici, mithridatii, fermenti acris, ſing.℥ ß.miſce.

Interim dum his bubo amplificatur, veſicatorium ſubter ipſum adhibere expedit: non quidem ſi in faucibus tumor eſt, ſcapulis, aut ſi in axilla, in medio humero, aut ſi in inguine, in femore medio: ſic enim quæ buboni materiam ſuppeditat fluxio, alio deriuaretur maximo ægri diſpendio. Sed proxime bubonem deorſum verſus & proniore ſitu, recta quaſi linea, vt ſolita via fluxio feratur, naturæq; motus promoueatur.

Si quando tamen magna inflammatio ſphaleciſmum minetur, paulo longius vlcus exciere nihil verendum loco decliui, vt qui tuto in viſcera regeri nequit venenatus humor, in vicina loca deriuetur, leueturq; partis calor inflammationis magnitudine pene obrutus.

Sapo niger cum torrefacto ſale ſubactus, in molli natura & cute tenella veſicas excitat, ſed adiecto cantharidum puluere multo promptius. Viburni medius cortex parti admotus veſicas ſero turgidas excitat exiguo dolore, ſed longiore tempore niſi aqua vitæ imbutus fuerit: Cantharidum puluis ferméto additus ſatis eſt, ſi cætera defuerint. Ranunculi

culi folia aliquot tuſa, & linteolo inuoluta, partem cui adhibentur, breui in bullas attollunt, ſero turgentes, ſed ſi diutius inſideant inflammationem accerſunt, & vlcus inurunt profundum graui admodum cruciatu. Si ne hæc quidem inerunt, aqua, oleumve feruens, vel candelæ, vel titionis flamma, aut carbo pro veſicatorio ſit. Prominentes bullas excidere oportet, vt ſerum ac ſanies diffluant, dein caulium aut betarum rubrarum, aut hederæ foliis, quæ flammam ſenſerint, pro emplaſtro vti, cauendo diligenter ne vlcus ſucceſcat. Hoc enim putredinis materia ac fomites cõtinuo extillant, ſecumque veneni vim abducunt, & è corde in extimas partes pertrahunt. Eſt hoc, ſi alexipharmaca excipias, quæ toto morbi decurſu tuto vſurpantur, omnium peſtis remediorum præſtantiſſimum ac ſecuriſſimum. Aucto, concalfactoque deſcriptis remediis tumore, ſequitur vt matures, puſque moueas, aut etiam ſtatim curationis initio, ſi calore & dolore fatigabit tumor ante attrahentium vſum. Sunto autem ſuppurantia ſola & impermiſta, ſi calor ac dolor parum cruciant: ſin crudelius angunt: cum mollientibus ac laxantibus miſta, hæc enim doloris acerbitatem leniunt. Folia oxalidis cum butyro ſalis experte in pilam componuntur, coquuntur ſub prunis, tunduntur, & adiecto vnguẽti baſilici duplo, in cataplaſma coaptantur. Laxat, mollit, & digerit mediocriter, ſatis tamen feruidos bubones maturat. In frigidis fermenti quadrans vtiliter miſcetur.

Vnguentum baſilicum ſolum parti affectæ admotum attractos ac cõcalfactos bubones ſatis ſuppurat.

Digitized by Google

Aliud.

℞ Rad. altheæ & ſymphyti, foliorum oxalid. ſem.lini, ſingul. ℥ j. coquantur & tundantur, adiiciendo vnguenti baſilici ℥ ij. fiat cataplaſma: mollit, laxat, concoquit, abſceſſum aperit, dolorem mitigat.

Aliud in frigidiore materia.

℞ Vnguenti baſilici ℥ iij. fermenti ſecalini acris ℥ ij. olei lilior. butyr. recent. ſing. ℥ ß. theriaces ʒ j. ß. fiat vnguentũ cum vitel. duorum ouorum. Concoquit, maturat, leuiter attrahit, ſed dolorem aliquantum exaſperat in materia calida.

Genito pure ſtatim exitus ei comparandus, alioqui tetri puris vapores, ac halitus venenati in cor ſublati, illius robur diſſoluunt, vireſque proſternunt.

Aperiendus autem tumor decliui parte, quo liberius fluat, idque vel ſcalpello, vel cauterio, & expurgato pure vlcus aliorum more percurādum, cauendo diligenter, ne præpropere occludatur. Neq; tamen tam cito aperiendus eſt bubo, vt maturationem anteuertas, ſicut opinatur Cornarius: ſic enim non modo dolor, inflammatio, & febris citra profectum exaſperantur, ſed etiam vlcus cacoethes & malignum redditur, ſequuntur vigiliæ, diſſoluunturque vires, & laborans in vitæ diſcrimen coniicitur. Sed quid neceſſe eſt crudum bubonem incidere, ſi admotis veſicatoriis proxime ipſum vlcus inuſtum eſt, quod tenui ſanie perpetuo diffluat, viſceraque præcipua exoneret? Eos excipe, qui nigri aut liuidi gangrenam minantur, quos prorſus crudos & ante puris generationem, vel ſcarificare, vel cauſtico aperire præſtiterit,

viam-

Digitized by Google

viamque moliri humoribus venenatis partis calorem ſtrangulantibus, quam eos repercutientibus certo ægri diſcrimine intro regerere. Sed quum ea incidit accelerandæ ſectionis neceſſitas, conſultius eſt ſcalpello aperire, vt quum plagis ſatis altis pars ſauciata fuerit, confeſtim gallinæ viuæ plumis nudatus podex ei adhibeatur, dum extincta ſit.

Præferenda autem gallina, quæ oua ponit, & in cuius implumi podice ſalis granum inſertum ſit: ſic enim patet, hiat, incaleſcitque magis, vnde maiorem attractionem fieri neceſſe eſt. Porro prima gallina demortua, alia ſtatim adhibenda, atq; hac extincta rurſum tertia, quarta & quinta, donec eiuſmodi præſidium ægro diſpliceat. Caloris ſimilitudine ac familiaritate inſitum parti calorem erigit, ac recreat, venenatumque humorem ei impreſſum, vel euocat, rapitque, vel diſcutit. Alii gallinas, galloſve, aut catulos, aut columbas per medium ſectas, quam calidiſſimas ſtatim admouent, ac ſubinde permutant, factiſque interuallis repetunt, dum quod ſatis ſit, profeciſſe videantur. Quæ medendi ratio non minus, quam ſuperior efficax. Cauterium non ſolum inducta cruſta abſceſſum aperit, ſed etiam de venenata materia plurimum attrahit, ac conſumit, partiſque gangrenam melius arcet. Sed ob cruſtam remedio ex gallina, quod propoſui nullum pene locum relinquit: vſurpandum tamen, ſi imminet ſphacelus.

Si nihilominus gangrena quempiam adoritur, remediis proprio loco ad gangrenam præſcriptis, occurratur. Sin ab ea tutus eſt æger, vlcus aliorum

Digitized by Google

more curabitur, cauendo diligenter, ne euaneſcente febre ſtatim cicatrice obducatur, ne quid malignitatis intus ſuperſit, quod perſanato vlcere rediuiuam febrem efficiat.

Alia curandi ratio bubonem diſcutiens.

Omnia quæ fiunt à peſte tubercula initio, vel diaphoreticis diſcutienda, vel attrahentibus amplificanda, vt ſuppurent. Hoc ſatius eſſe creditur, illud tamen non minus tutum, ſæpe etiam compendioſum magis. Ideoque eam curandi rationem, vt potiorem primum perſtrinximus: iam igitur; quibus præſidiis, quoque modo vſurpatis tuto digeri poſſint bubones peſtilentes, paucis expediamus.

Curatio igitur ſic auſpicanda. Primum cucurbitæ duæ ſic apponantur, vt vna infra bubonem, ſed quam proxime affigatur: altera poſt hanc, vtraque deorſum verſus, recta quaſi linea, qua tangenti ſæpe veluti funis quidam, aut neruus durior ſentiri ſolet, prima minime, ſed ſecunda & inferior, ter, quaterve eodem loco repetenda, vt venenatum humorem à corde, & proximo bubone amoliatur, naturamque leuet. Detracta cucurbita inferiori, confeſtim veſicatorium imponendum, quod bullam ſero turgidam excitet, qua diſrupta vlcus relinquatur, quo prolecta noxia ſanies defluat. Buboni vero ſpongia, aut ſtupæ, aut ſuccidæ lanæ hapſus, digerente & molliente decocto calente immerſus & expreſſus, interim admouendus, ac ſubinde mutandus, vt quod ex ſubiecto vlcere non effluit venenati humoris craſſamentum, hoc remedio identidem repetito diſcutiatur: his accedat emolliens ac digerés cataplaſma.

Vix

Digitized by Google

Vix vllus in adenum locis, atque emiſſariis, aliiſve commodis locis bubo ſit, qui non hac arte diſcũtiatur atque euaneſcat, citra eam doloris acerbitatem, quam circulatores, qui crudos bubones radicitus euellunt, fruſtra inferre conſueuerunt. Si tamen his ad ſextum vel ſeptimum diem continuatis, bubo minime diſcuti poſſe videatur, deſcriptis ante remediis prouocandus, maturanduſque fuerit. Sunt qui ad ſeptimum vſque diem tubercula omnia peſtilentia diſcutere malint. In id ſtupæ cannabinæ perpurgatæ ac malleo contuſæ, in puluinar iuſtæ magnitudinis conformantur ac cõſuuntur, quod meliloti, anethi, chamæmeli, maluæ, rad. altheæ, & ſem. lini decocto immergitur, ac inter orbes ligneos expreſſum parti calens imponitur, horiſque ſingulis immutatur. Hoc remedium excellentiſſimum eſſe tradunt, quod humoris venenati multum diſſipet, nec interea febrem augeat, vel dolorem incutiat. Tempeſtiua igitur, ſi his creditur, ſeptimo die concoquentia, non citius, ne vel glutinoſa materia, obſtructis poris concluſa, quominus venenatus vapor tranſpiret, impediat, eumque in cor redire cogat, vel calore natiuo obruto, atque ſuffocato omnia putrefaciens gangrenas ac ſphaceliſmos afferat. Quæ pericula declinantur, ſi ad ſeptimum vſque diem differuntur concoquentia, & maturantia, quo tempore & tuberculum niſi deſcripto fotu continuato reſolutum ſit, ſponte creſcere, atque ad ſuppurationem feſtinare, & veneni prauitas tum alexipharmacis, tũ topicis oppugnata ſolet hebeſcere. Sed vix quæ metuuntur, contingant ſymptomata, ſi qua arte diximus infra, tuberculum loco commodo vlcus

excitetur, quo venenatus ichor toto curationis decurſu extillet & elabatur.

DE CARBVNCVLO.
CAP. XXVII.

CARBVNCVLVS peſtilens buboni ſemper germanus, ſæpe & comes eſt. Hic enim peſtilenti conſtitutione cum febre oriri, & populariter graſſari ſolet, perinde ac bubo, amboq; ab eadem pernicie oriuntur. Puſtulam refert ambuſtis ſimilem, adeo per initia paruam, vt ne milii quidē granum, aut ad ſummum piſum magnitudine ſuperet: ſed quæ maligna, feruida, & firma ſit, figura rotunda & acuta, parti ſic cohærens & affixa, vt digitis prehenſa cutis à ſubiecta carne minime diuelli aut attolli poſſit. Sed tumor increſcit pro humoris differentia vnde originem habet, aut ſubito velut & bubo, verique tumoris magnitudinem breui aſſequitur, aut admodum lente & paulatim. Viſi ſunt carbunculi tantæ magnitudinis ac molis, vt ſolo intuitu medicos terrerent. Alii late adeo diffuſi, vt mediam dorſi partem obſiderent, alii vtramque clauiculam & fauces, alii medium epigaſtrium. Calor, ardor & dolor inſunt, veluti ſi aciculis pars pungeretur ac vellicaretur, idque cum pruritu intolerabili; quo fit, vt partem exſcalpant per initia: præſertim ſub veſperam & noctu, raro interdiu, niſi quo tempore cibus in ventriculo concoquitur. In augeſcentis tumoris medio, bulla cernitur ſimilis iis, quæ vſta cute apparent, quam ſero aut ſanie diſtendi iudices, qua tamen rupta nihil humoris profunditur: ſed caro ſubiecta, nigra retorrida ac cruſtoſa eſt, perinde ac ſi carbo,

vel

Digitized by Google

vel ferrum candens ei admotum fuiſſet. Vicinia variis coloribus ſic inficitur, vt iridem referat: nam partim rubet, partim liuet, partim nigricat, partim veneto atque etiam violaceo colore diſtinguitur. Semper ſplendet nigræ picis inſtar aut bituminis. Sæpe fit, vt bullulæ plures in ea emergant, ac extuberent milii ſpeciem præ ſe ferentes, quibus ruptis vlcuſculum relinquitur, vnde ſanies effluat, plus minus pro corporis natura & exuperantis humoris diſcrimine, ſed quod breui cruſtoſum euadat, velut à ferro candenti inuſtum eſſet. Sunt qui citra puſtulam originem habeant ab vlcere cruſtoſo nigricante, quale eſſe ſolet, quod ferrum candens, aut cauſticum medicamentum inurit. Omnis carbunculus grauitatis ac ponderis ſenſum exhibet, perinde ac ſi plumbea maſſa pars premeretur, aut arctiore vinculo conſtricta teneretur. Eius materiam eſſe diximus retorridam ac feruidam humoris venenati portionem, quæ vel ſuopte impetu efferueſcens eo irruit, vel naturæ robore propellitur. Quo plures carbunculi inſunt, & quo tardius erumpunt, hoc periculoſior morbus cenſendus eſt. Non tantum mali præ ſe fert, qui febrem vel anteuertit, vel ſtatim ſubſequitur decretorio die. Qui initio recurrit, vel ad ſupputationem perductus exareſcit perſeuerante febre, calamitatem arguit. Omnis carbunculus magnæ molis ac magnitudinis horrendæ pertimeſcendus, cum præſertim ſerpit, ac ſubiectas partes depaſcitur, velut nos aliquando in faucibus vidimus, qui ad aſperam arteriam vſque, & in epigaſtrio, qui ad peritoneum vſque rodendo perualerant. Qui fauces occupat, non raro tracheam arteriam ſic

comprimit, vt ſtrangulet: ſed bubo multo ſæpius. Periculoſus, & qui in inguine fit: neruis enim, venis & arteriis implicari ſolet, quas ſi rodendo dilaniat, hœmorrhagiæ fiunt, quæ vix vllis præſidiis cohiberi poſſunt. Nam & dolor, & calor, qui parti inſunt, continuo attrahunt, & natura languidior nihil retinere poteſt. Magni & elati, ſi quis conualeſcat, moleſtiſſimum, manifeſtumque veſtigium inurunt, carne putredine aſſumpta oſſa denudant, articulorum quos occuparint, & ligamentorum robur diſſoluunt, interdum durum & ſcirrhoſum tumorem ingenerant, neruoſque craſſa & terrena materia imbuunt, vnde non raro partis actio peruertitur, aut aboletur. Quicunque nigricat niſi ad ſuppurationem perducitur, aut qui apertus, vel nihil prorſus, vel non niſi liuidum ſerum profundit, certum iam iam affuturæ mortis nuntium affert. Qui in gangrenam degenerat, ſi corporis truncum obſidet, lethalis eſſe ſolet, qui aliam partem prehendit, niſi iugulat, eam putredine abſumit: ſic pes à tibia, & brachium à ſcapula diuulſum viſum eſt. Venenata materia, quæ vel bubonem, vel carbunculum, vel vtrumque parere debuit, intus manens non raro in præcipuam partem, velut antea diximus, irrumpit, inflammationemque accerſit. Si igitur in iecore vel liene impingitur, lancinans ac punctorius dolor, locum affectum declarat: ſi in pulmonibus latitat, ſpirandi difficultas, & tuſſis inſunt, nonnunquam & ſputum cruentum: ſi in latere præterea, dolor etiam punctorius ineſt: ſi in renibus aut veſica, vel vrina ſupprimitur, vel moleſtiſſimus dolor inter meiendum premit. Si materia in cerebrum rapitur,

pitur, delirium adeſt. Calamitoſæ & funeſtæ habendæ omnes huiuſcemodi inflammationes, præcipue vero, quæ in pulmonibus & cerebro fiunt. Nam quæ in iecore, liene, & renibus contingunt, ſecta primis diebus vena, detractoque ſanguine copioſo, non raro intercipiuntur, auertunturque. At niſi primo ſtatim die copioſus detrahitur ſanguis, omnia poſt remedia fruſtra adhibentur.

Quum maligna ac venenata ſit carbunculi materia, in eius curatione repellentibus abſtinendum, quamlibet ingens inflammatio ſit aut dolor. Eorum vicem ſupplebunt emollientia & relaxantia, quæ calorem & dolorem demulceant: ſiquidem ita vrgent, vt & febris excandeſcat, & vigiliæ ſequā-tur, & vires nimium diſſoluantur, & gangrena præ inflammationis magnitudine in metu ſit.

Sunt qui prima luce in id probent aquæ tepidæ fotum, dein oleum & theriacam cum lanæ hapſu: ſed in ardenti carbunculo pinguia omnia facile incenduntur, quo fit, vt ardorem ac dolorē augeant, nonnunquam & ſphacelismum accerſant præ inflammationis magnitudine: multo igitur ſit ſatius ſacculum conficere ex altheæ, & liliorum radicibus, lini ſemine, pinguibus ficubus, & ex malua violaria, ſemperuiuo & plantagine, quo in aqua decocto, bis, ter, quaterve quotidie pars fouebitur, & à fotu cataplaſma inducetur huiuſmodi.

℞ Fol. maluæ violariæ, oxalidis, ſemperuiui, ſingul. M. ij. foliorum hyoſciami p. j. in orbē coaptentur, qui coquatur ſub cineribus, dein tūdatur cum quinq; ouorum luteis & mel. roſ. ℥ iiij. & ʒ ß. croci, & ʒ j. ß. theriaces, addendo farinæ hordei, quod

ſatis erit: fingatur cataplaſma, quod ſubinde renouabitur antequam ſiccefcat.

Bechion quod vulgo vngula cabalina, & ſucciſa, quæ & morſus diabol. ſimul tuſa, & carbunculo admota, ipſius ardorem lenire traduntur: quod præſtare etiam creditur, ouum integrum cum oleo violaceo, & hordei farina ſubactum. Si ne his quidem dolor & calor breui conſopiuntur, cucurbita cum ſcarificatu adhibenda in extuberãte quidem loco, ſi partis liuiditas ſphaleci metum incutit, ſin minus infra quinque digitis. Vt ſi vel fauces, vel parotides extumuerunt, in dorſi principio aut humeris. Sunt qui cucurbitæ loco hyrudines tuberculis admouent, minime inutili conſilio, ſed hæc quam ſuperior medendi ratio minus efficax.

His aliiſque ſimilibus remediis doloris acerbitas & ardoris vehementia oppugnantur. Quæ quum primũ remiſerint in deſcripto cataplaſmate, hyoſciami foliis & melli roſato, oleum liliorum & butyrum ſalis expers ſubſtituentur, vt coquatur, & matureſcat carbunculus. Vel ſic conficietur aliud cataplaſma.

℞ Fuliginis communis ℥ iij. ſalis communis ℥ j. ß. ſubigãtur cum ouorum vitell. in pultis ſpeciem. Ardorem & dolorem carbunculi lenit, & eius ſuppurationem promouet. Neque enim quæ alios tumores maturant, hic locum habere debent, ne pro pure partis ſuccedat putrefactio atque cadaueroſa cum fœtore corruptio.

Sthœbe quæ & Scabioſa, inter ſilices trita, & cũ vitellis ouorũ & axungia porci vetere, ac ſalis momento permiſta, carbunculum ſuppurare traditur.

Strenue

Strenue etiam ſuppurare & rumpere carbunculos dicitur nucis iuglandis veteris nucleus, cum vua paſſa, & caricis æquis portionib. in vino coctus, dum fiat cataplaſmatis craſſities, addito in fine ſalis momento, & aliquot ouorum vitellis. Idem præſtat oui luteum cum ſale, in tenellis corporibus.

Aliud.

℞ Ouorum recent. lutea vj. ſalis communis torrefacti ℥ j. olei liliorũ ℥ ß. theriaces ʒ j. farinæ hordei, quod ſatis erit. Fingito cataplaſma, quod ſtupis excipiatur: duris corporibus conuenit.

Validius fuerit, ſi ſaponis, calcis nuper extinctæ, & fermenti nonnihil inſit, cum porci vetuſta & ſalſa axungia. Si magis arridet emplaſtrum, eſto huiuſmodi.

℞ Emplaſtri diachylonis parui ℥ iij. vnguenti baſiliconis fuliginis, vtriuſque ℥ j. thuris ℥ ß. olei violarum q. ſ. fiat emplaſtrum.

Emplaſtra tamen quia poros obſtruunt, venenatæ exhalationis egreſſum prohibent, quo fit, vt in cor remeet exitu prohibita. Per cataplaſmata vero rariora ac magis peruia, teter impactæ materiæ vapor commodius egreditur, præſertim ſi cum ſtupis potius, quam cum vel lineo, vel laneo panniculo admouentur.

Si forte exiguus carbunculus occurrit, nec dolore, nec calore infeſtus, humore venenato per initia intus reſtitante, curatio ab attrahente cataplaſmate exordienda, vt tumor amplificetur epipaſticis, ac tandem ſuppuret.

℞ Rad. liliorum, ceparum, fermenti, ſingul. ℥ j. Coquantur in aqua dum ea abſumpta ſit, dein cõtuſis adde ſinapi vulgaris fimi columbini, ſaponis

Digitized by Google

albi, cuiuſque ℨ j.ß. limaces ſine teſtis vj. numero, mithridatii, theriaces, vtriuſq; ℨ ß. vitell. ouorum iiij. numero: fiat cataplaſma, quod tepidum imponatur, ac ſæpe innouetur. Prouocato his, quod ſatis videbitur carbũculo, quæ deſcripſi cataplaſmata arripienda, continuandaque ſunt, quoad tuberculum matureſcere incipiat. Tum enim ſublato gangrenæ metu, remedia cætera vulgaria maturãtia, ac concoquentia, aperientia, tergentia, ſacortica, & id genus alia vſurpanda, quæ in ſimplicis carbunculi curatione poſita ſunt.

Interim dum iſta geruntur, aucto ſatis tumore, ſi liuidum aut nigrum exiſtit eius acumen, ſunt qui oleo feruenti aut aqua, quam chemiſtæ fortem appellant, inurendum cenſeant. Id enim fieri minimo aut nullo dolore, ſi ſolus nigricans mucro, qui vſtionis veſtigium pene inſenſile refert, attingatur, ſed maximo commodo, quod eo præſidio & venenata labes coerceatur, & dolor miteſcat.

Inducta eſchara deſcripta præſidia, aliave eiuſdem generis continuanda, donec illa nutet (ſi forte nutatura eſt, quod in morituris vix vnquam cõtingit) reſolutaque ſit. Tum enim detergentibus, aliiſque remediis locus erit, quæ in ſimplicis carbunculi curatione tradita ſunt. Quæ hinc relinquuntur vlcera, ægre cicatricem ducunt omnia, tum quod figura rotunda fere; tum quod ſanie perfuſa ſint acri ac mordaci, quæ cicatricem præpediat ac remoretur. Sed nec id cito aſſequi ex vſu ſit. Præſtat enim quandiu vel tumoris, vel duritiei quidpiam supereſt, vlcus pateſcere, quo quicquid intus reſtitat virulentæ materiæ ſenſim expurgetur: & interim mollientia ſuppurantia ac detergentia

gentia

gentia modo ſimul remiſta & ſubacta, modo ſeorſum adhibere, prout affectus differentia expoſcet. Sæpe tamen in vlcere ipſo detergentia, extrinſecus vero ſuppurantia, & emollientia admoueri ſolent. Eadem horum curatio exiſtit, atque malignorum vlcerum, quæ Græcis cacoethia dicuntur, quam alibi diximus.

Alia curandi ratio non minus tuta.

Sunt qui ſtatim curationis initio carbũculos peſtilentes ſcarificare aggrediuntur altioribus vlcuſculis, ob humoris craſſitiem, ſanguinemq; effluere ſinant quam copioſiſſimum.

Hinc ad cataplaſmata tranſeunt, quæ partis putredinem inhibere, & tamen quod vitium ſenſit, maturare, atq; ab integro ſeparare valeant, cuiuſmodi eſt quod ſic habet.

℞ Salis communis torrefacti, fuliginis vtriuſq; ℥ j. theriaces ʒ j. limaces, quæ ſine teſtis incedunt quatuor numero, trita omnia cum aliquot ouorũ vitellis ſubigantur in cataplaſmatis formã. Si myrrhæ oleum in manu erit, eius nonnihil adiicietur, vt præſtantius ſit præſidium.

Sunt tamen qui contra tubercula peſtilẽtia nunquam ſcalpello diuidenda eſſe putent, quod aucto dolore, per vulnerationes, calidi ſucci è toto corpore in affectam partem confluant, vnde dolor, & inflammatio excandeſcant, & putredo acceſſatur. Sed eo humoris curſum, impetumque inflecti, impellique operæpretium eſt, & quæ proponunt incommoda, copioſo ſanguine profuſo declinantur.

Quum à gangrena liber euaſit æger, detergentia citra tamen inſignem ſiccitatem imponuntur,

Digitized by Google

alias ſola, alias cum ſuppurantibus, donec fruſtulatim radicitus extractum ſit, vel in pus deductum quicquid in priſtinum bonitatis gradum reduci nequit.

Alia curatio tutiſſima.

Cucurbitæ tres affiguntur proxime carbunculum dorſum verſus recta linea. Tertia & inferior, quæ longius à carbunculo diſtabit, mane & interdiu ſæpe repetenda: Veſperi veſicatorium tumenti ob eius admotionem parti adhibendum, quod bullam excitet, quæ dirupta ſaniem venenatã profundat, vlcuſque relinquat, cui braſſicæ rubræ folium imponetur, quo continenter ichoribus diffluat, viſceraque præcipua & carbunculum leuet. Facto vlcere carbunculus, ſi inflammatio vehemẽs eſt, ſcarificandus, vt quod in eo calet, feruet, partes vicinas exeſt, atque corrodit acri humoris craſſamentum, neque tamen in vlcus deriuari potuit, extundatur. Hinc cataplaſma inducendum, quod proxime deſcripſi.

Ioannes Cornarius, aliique non pauci, carbunculi curationem à venæ ſectione ordiuntur, & ſanguinis euacuationem vſque ad animi deliquium imperant, ſi æger ſufficiat, & nihil aliud prohibeat, quorum ſententia, vt in carbunculo ſimplici probari poteſt, ſic in peſtilenti (pace illorum dixerim) prorſus repudianda, damnandaque eſt, ob eas, quas protuli rationes, quum de vena in febre peſtilenti ſecanda ageretur. Nulla enim de cauſa in febre peſtilenti, quæ naturæ viribus prorſus inſidiatur, ſic naturæ robur, vireſque infringere oportet, vt animi deliquium obrepat: ſemperque humorum perturbatio atque confuſio omnis pertime-

timeſcenda. Itaq; niſi putrida febris peſtilenti implicita venam ſecare hortetur, minime ob vnius carbunculi feruorem ac dolorem ad id impelli medicus debet, ne morbi à quo multo maius, quam à ſymptomate impendet periculum, peruertatur curatio: quumque eo impellitur multo quam in aliis morbis religioſius ſanguis detrahendus, vt vires ferant, idque ſi fieri poteſt prima ſtatim luce, antequam parti impacta ſit materia, & ſecundum fibrarum rectitudinem.

Calor vero & dolor dum acriter feriunt, vrgentque, niſi fotu, cataplaſmate, & cucurbitis infra, vt ſupra comprehenſum eſt, adhibitis, conquieſcant, tumorem ſcarificare nihil verendum, altius vt dixi impactis vlcuſculis, vt craſſus, retorriduſque ſanguis venenatus profluat. Sic enim dolor ex eo genitus miteſcet, declinabiturque gangrenæ periculum, nulla viribus illata noxa. Sed muria ſæpius ſcalpello diſciſſus carbunculus abluendus, deniq; quod rumpit atq; maturat è ſtupis imponendum medicamentum.

Galenus ſuper vlcus ex vehementibus medicamētis aliquod imponi iubet, cuiuſmodi eſt andronis & polydæ, & paſionis paſtillus in paſſo dilutus: ſed mitioribus auxiliis carbunculum rumpere atq; concoquere præſtat, quam vel vehementioribus, quæ malum exacerbant, vel ſepticis, quæ partē male perdant. Multi enim igne ſacro, gangrena, ſpacelo perierunt, quos euaſuros ſpes erat, niſi in eo chirurgi peccaſſent.

Sunt qui tuberculo, euulſis cucurbitis poſt ſcarificatum impreſſis, hirudines aliquot admoueant, quæ vbi ſaturæ deciderint, cucurbitam denuo ap-

Digitized by Google

ponunt, qua denique ſublata locum muria lauant: poſtremo cataplaſma quod rumpat & concoquat, admouent. Sed in emiſſariorum tuberculis nullam iſtiuſmodi conciſionem probo, pręterquam quum ea vel liueſcunt, vel nigreſcunt, ac ſpacelum minantur. Tum enim quacunq; parte conſiſtat nulla data mora impreſſis vlcuſculis impacta materia cucurbita & hirudine, ſi lubet attrahenda, & ſiccante præſidio exorbenda eſt. Sunt tamen qui galli plumis exuti podicem, aut ranā pellę ſpoliatam, aut cochleam ſecto & ſcarificato tuberculo admouent, antequam partem muria proluant.

Non temere emiſſariorum tubercula ſcarificanda eſſe cenſeo. Quum enim præcipuis partibus viciniores ſint, ſemperque medicis ſtudendum ſit, vt quam maxime fieri licet, procul à partibus principibus vitioſus humor abducatur: multo ſatius ſit inferiore, vt dixi, ſede commodiore, vlcus cauſtico medicamento inurere, quo noxia & venenata tuberculi ac interni corporis ſanies diu ac libere profluat & extillet. Sunt qui cochleas cum teſtis, arundinis, & ariſtolochiæ radices, ſpumam maris, nitrum, ſal, aliaque eius generis idcirco damnent ac repudient, quod ſiccent immoderatius, & ſtatim exareſcant. Sed ſcias velim minime hic ea conuenire, quæ aliis tumoribus aut vlceribus adhibita maturant ac ſuppurāt, ne partis putrefactio ac corruptio ſummopere horrenda ſuccedat. Itaque ea aliis miſta paulo minus ſiccantia, & vetuſtas vſurpauit in carbunculo ſimplici, & nos in peſtilenti fœlici ſucceſſu ſæpe adhibita vidimus.

Sunt qui diachylon magnum, aliaque emplaſtica reiiciant omnia, quod ob lentorem poros obſtruant,

Digitized by Google

ſtruant, halituſque venenati exitum ac perſpirationē impediant: vnde vel tubercula inſanabilia fiunt, vel intro remeante veneno æger occidit: quorum ego, vt ante monui, lubens ſententiam amplector. Sunt qui ſatis amplificatum peſtilens tuberculum ſcalpro chirurgico totum diſcindant, ac radicitus euellant, maximo doloris cruciatu: quam curationem idcirco prorſus reiicio, quod venenatorum humorum impetū cruciatu intolerabili in ægram partem conuerſum, adhibitis illico ad cohibēdam hæmorrhagiam, frigidis & repellentibus medicamentis, intro regerat in viſcera, maximo ægri incommodo. Alii ferro candenti ipſum inurere non dubitant, quo præſidio, venenatum quidem partis humorem vel abſumunt, vel domant ac coercent: ſed inducta cruſta ne quid tranſpiret, impediunt, hacq; ratione plurimum nocent.

Carbunculi viciniam eryſipelas fere inuadit, ſæpe & vlcus ſuperficiarium, quo tenuis ſed acris ſanies excurrit. Cauſa eſt aliquando medicamentum diſrumpendo carbunculo admotum, dum vel calore, vel morſu fluxionem eo allicit, vel poros obturans, fuliginoſa excrementa minime difflari ſinit, augetque feruorem: aliquando vero natura ipſa ſeroſam ſaniem, acrem & mordacem eo impellens, vnde puſtulæ milii ſimiles fiunt, quibus ruptis vlcus relinquitur cum pruritu.

Si igitur exulcerata & inflammata erit carbunculi vicinia, fotus digerens & refrigerans bis die, aut etiam ſæpius, ſi caſus poſtulat, adhibendus, dein aqua veneta, quæ apud fabros aurarios proſtat, vel aqua plantaginis, quæ pro ſingulis aquæ vnciis duo ſublimati grana habeat, locus perfundendus.

Digitized by Google

Horum vſu & pruritus demulceri, & dolor ac feruor ſtatim retundi, & vlcus reſiccari ſolet, non intro reuulſo, ſed abſorpto atq; edomito humore venenato. Oleum è myrrha, vel è gummi hederæ elicitum, vtiliter etiam adhiberi ſolet. Si minime exulceratum erit eryſipelas: à fotu cataplaſma conueniet huiuſmodi.

℞ Panis furfuracei ℔. ß. farinæ lentium, & fabarum, vtriuſque ℥ j. ß. arnogloſſi, M. ij. Coquantur in oxycrato & tundantur in cataplaſmatis formam.

Vel ſic:

℞ Malum punicum acidũ cum cortice in mortario tritum: cui adde farinæ fabarum ℥ j. panis furfuracei ℥ v. miſceantur omnia in oxycrato: Coquantur ad pultis craſſitiem.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX MEDICAMENTORVM ET RERVM HVIVS LIBRI DE MORBIS CONTAGIOSIS memorabilium, copioſiſſimus.

A

ABrotonũ ex vino ſumptum aduerſus peſtẽ præſentiſſimum eſt remedium 456
Abſynthium remoratur putredinem, quæ peſtem excipere ſolet 456
Acetaria tempore peſtis qualia eſſe debeant 426
Aceti & aliorum acidorum, tempore peſtis vſus quis 472
Actione aliqua per totũ corpus æquabiliter læſa, eius principiũ male affectum eſſe neceſſe eſt 3
Actiones Guaiaci ab eius perfectione ſeu forma proficiſcuntur 53
Ægrotus à Medicis deſertus, quomodo ab auctore, ſanitati reſtitutus ſit 114
Aeris affectiones duæ, popularium morborũ procreatrices 369
Aer endemiorũ & epidemiorum morborũ opifex cur dicatur 368
quomodo & vnde venenum contrahat ibid.
Aeris & cœli conſtitutionem putridam, non eſſe cauſam peſtis 372
Aeris vitio vnde peſtis metuitur, quomodo occurrendum 402
Æſtates & hyemes cur non ſemper ſibi ſimiles 379
Æſtuarium ad ſudandũ quomodo parandum 91
Ætates hominum aliæ aliis ad peſtem propenſiores 383
Agaricus & ſcammonium pituitam expurgant 30
Alexiterium cõtra peſtem verum, nõ ita pridem inuentum 448
Alexiteriorum multorũ, quæ peſtis contagia arcere poſſunt, deſcriptio 413
Alexipharmaca Ioannis Fernelii aduerſus luem veneream 31
Alexipharmaca corpus noſtrum immutant 41
Alexipharmaca venenorum communia quæ 449
Alexipharmacum pro cauenda & curanda, vel extin-

Digitized by Google

guenda hydrophobia certum 344
Alexipharmaci luis peſtilentis, conficiendi ratio 478 & 479
Alfonſi Ferrii de curatione carunculæ in pene, ſententia, reprehenditur 190
Alimentorũ impuritate morbus Gallicus non contrahitur 9
Allium aduerſus plurima venena creditur eſſe antidotus 461 Cum ſale ſumptũ, aerem peſtilentem diſcutit ibid.
Allium non omnibus naturis conuenit 461
Allium quibus noxium 424 Ruſticorum theriaca appellatur ibid.
Alui profluuium in peſte ſuſpectum eſt, & quomodo fiat 524
Aluus in luis venereæ curatione perpetuo mollis & facilis eſſe debet 107
Aluus quando, legitima peſte correptis ducenda aliquo cathartico 512
Amara & odorata omnia calida eſſe dicuntur 220
Amuleto vſurus, quid prius facere debeat 41
Amuletum luis venereæ 29
Angelica venenis aduerſatur, & quas alias vires habeat 451 quomodo intra corpus aſſumi poſſit 452
Angelicæ radicis vſus tẽpore peſtis 344
Animalia quæcunque à rabido cane demorſa, furorem concipiunt 329
Animales functiones in infantibus infirmæ ſunt & obſcuræ 55
Aniſum virib. reparandis tẽpore peſtis prodeſt 455
Antidotum à Cn. Pompeio contra peſtem inuentum 425
Antidota venenorũ quæ ſint 449
Antidotum tempore peſtis vſu comprobatum, paratu facile 425
Antidota & alexipharmaca proprie quid 238
Antidotum, quo corpus humanũ aduerſus luem veneream tutum reddatur 41
Antidoti à Mithridate Rege inuenti efficacia 474
Antidota quamprimum periculoſus aliquem morbus inuadit, vſurpanda 492
Antipathia perpetua eſt inter venenum peſtilens, & cor vitæ principium 394
Apium cõtra araneas ſingulare antidotum habetur 458
Apozematum parandorum modus, quo nihil virium coctione deperit 312
Apozema primas corporis ſedes expurgãs in elephãtiaſi 311
Apozema pro purgando corpore cacochymo 191

Digitized by Google

Apozema purgatorium, quo imminente peſte primæ corporis ſedes, ipſaque viſcera validius eluĕtur 412
Apozema ad eximendas putris humoris reliquias 513
Aqua ex carne, tempore peſtis paranda 441
Aquæ cardiacæ deſcriptio, q̃ opiatæ ſuccedanea ſit 38
Aqua ex immaturis iuglandibus elicita & pota, venenum irritum facit 463
Aqua qua panis vlcera ſiccătur 183
Aquæ ad ſuffitum tempore peſtis faciĕdum, quæ conueniant 429
Aquæ ex amuleto luis venereæ, arte chymica eliciendæ deſcriptio. 44
Aqua cardiaca aduerſus luem veneream infantibus admodum vtilis 100
Aquæ conſpectus, hydrophobiam accerſit 333
Aqua quę oculis inſtillari poteſt 322
Aquæ vitioſæ quæ & quando 366
Aqua cardiaca extĕporanea, quomodo cŏparanda 101
Aqua ex atractili herba, producta, remedium eſt in omni febre maligna 453
Aqua pro vlcere in faucibus curando 137
Aqua ad vinum diluendum peſtilenti conſtitutione, & in febre peſtilenti 483
Arabum de argĕto viuo ſententia 209
Arboris truncus, viſceribus animalium comparatur 58
Arbor immatura quæ 59
Archigenes quem in purgădo corpore elephantico modum obſeruet 279
Argenti viui in curanda penis caruncula vſus 202
Argentum viuum eſt cauſa tremoris 221 Cur fuſum in planitiem, eam non humectet 222 quomodo exiccare dicatur ibid. eius vires occultæ ibid. & 223
Argentum viuum cur in elephantia curanda adhibendum 288
Argentum ſublimatum lethale, quomodo paretur 235
Argentum viuum in corpore quid efficiat 24
Argentum viuum quomodo à plumbagine purgădum 248
Argentum viuum quomodo quidam calidŭ & ſiccum eſſe probent 219
Argentum viuum ſine nocumento intra corpus aſſumitur 225
Argentum viuum ſenibus & imbecillis naturis venenŭ eſt 226
Argĕtum viuum an ſudorem ciere poſſit 220
Argenti viui fodinæ cur nebulis denſiſſimis circumdatæ 213

Argenti viui commóda 210
Eiuſdem incommoda 212
Argentum viuum cur iecoris intemperiei medeatur 211
Argenti viui aduerſus omnis generis ſcabiem vſus 210
Argenti viui cum auro familiaritas & neceſſitudo 208 quibus vaſis aſſeruari poſſit ibid.
Argentum viuum, rerum omnium ſemen & principiũ eſt 206 Cum calido & ſicco ſulphure ſi teratur, in puluerem atrum redigitur 207
Argenti viui genera duo 205 quomodo ex lapide eliciatur ibid. quomodo ex minio coquatur 206
Argentum viuum à veterib. in venenorum claſſem relatum 224
Ariſtolochiæ radix cõtra venenum vtilis 455
Ariſtotelis de coitione Iouis & Saturni ſententia 380
Artemiſia aduerſus peſtem quomodo valeat 470 eius vtendi modus 471
Aſclepius herba contra venenum vtilis 456
Aſthmatico quomodo guaiacinum decoctum præparandum 68 & 69
Aſphodeli radix contra venenum præſtat 455
Aſtrologorũ de origine morbi Gallici ſententia 8
Atra bilis calidiſſima, cur à veteribus aliquando melancholici humoris appellatione notetur 303
Attractilis herbæ vires 450
Auicennas quid de Elephantia ſtatuat 301
Auicennas quam in purgando corpore rationem obſeruet 279
Auicennas quid de argento viuo, memoriæ prodiderit 214
Aurum aduerſus venena, & morbos alios medicamẽtum eſt præſentiſſimum 465
Aurum cur argento viuo augeri poſſit 208
Auctor peſte correptus, quomodo ſeipſum curarit & liberarit 503

B

Balnea elephanticis quomodo præparãda 284
Balneum an durãte curatione adhiberi poſſit 110
Balnei in curatione vtilitas 109
Balneum quibus conueniat 121
Betonicæ coronariæ flores, veneno occurrẽt 453 eius radix magnã vim aduerſus venena habet 453
Boli purgatorii in elephantiaſi 311
Bolus armena aduerſus peſtem, Galeno teſte multum valet 466 eius vtendi modus 467
Bubo ante maturationem nõ aperien-

aperiendus 536
Bubonis curatio quomodo inſtituenda 161
Bubones an ſemper luē habeant coniunctam 160
Bubones venerei quomodo ab aliis, & quibus ſignis dignoſcendi ibid.
Bubones an catharticis medicamentis, & phlebotomia curandi & maturandi 162
Bubones quomodo in frigidis, quomodo item in calidis naturis curandi 164
Bubones cur aliquando poſt aures, & fauces, item in inguine excitentur 529
Bubones quomodo augeantur, & qua forma, quo itē colore ſint 530 quando naturæ robuſtæ, quando item ſuperatæ & debilis naturæ ſignum ſint 531
Bubo quid & quotuplex 158
Bubo venereus quid ibid.
Bubones & carbunculi quomodo in peſte fiant 528
Bubones ſi intro recurrant, mors in propinquo eſt 532
Bubones quomodo curandi ſi ſtatim initio conſpicui ſint 171
Bugloſſum peſtilētiæ vt cardiacum opitulatur 462
Butyri tempore peſtis vtilitas 423

C

Cacochymia remediorū vires hebetat 22
Cacochymia vires alexipharmaci infringit 42
Calamintha propellit peſtē 456
Calendulæ flores à peſtilentis aeris contagione liberant ibid.
Calor puerorum quomodo differat à calore ætate florentium 54
Calor ingenitus, verus eſt omnis veneni antagoniſta & expugnator 487
Cancrorum fluuiatilium cinis demorſis à cane rabido vtilis 341
Cancrorum fluuiatiliū puluis contra venenum valet 468
Canis rabioſus & furens quibus ſignis deprehendatur 329
Canis rabidi iecur aſſum, demorſis remedium præſens 342
Canis vnde furorem concipiat 328
Caphura an in febre peſtilēti adhibenda 472
Cappares tempore peſtis ſalutares 420
Capitis dolor in febre peſtilenti, quā cauſam habeat 518 quomodo curari debeat 518
Carbunculi quomodo curādi 543
Carbunculus exiguus ſi ſit, & venenū intus lateat, qualis curatio adhibenda 545
Carbunculus peſtilens quid,

Digitized by Google

& quomodo fiat 540 quæ eius ſit materia 541
Carbunculi qui & quando periculoſi 541 quando lethales 542
Carbunculi curandi ratio tutiſſima 548
Cardiacorum & alexiteriorum remediorum formæ 319
Cardiaca medicamenta quæ ſint 449
Cardiacum medicamentum quid, & quando tempore peſtis vſurpandum 423
Cardiacum conditum ad vſum tempore peſtis 486
Carduus benedictus remediũ præſtat contra peſtem 451
Carnes quæ tempore peſtis conueniant 418
Carnes quomodo vitium, & quando contrahant 366
Carolus V. Imperator, cur china radice vſus ſit 73
Caruncula penis, an guaiaci decocto curari & extirpari poſſit 202
Caruncula in pene poſt curationem repullulans, quomodo reprimenda 199
Caruncula in pene, morbi genus crudele eſt & miſerabile 187 Curatio eſt difficillima 189
Carunculę curatio quando & quomodo inſtituenda 190
Carunculæ curatio quando abſoluta 196
Carunculæ dilaceratio quomodo immiſſo cathetere facienda 198
Caryophylli peſti egregie reſiſtunt 471
Caſſia cur tempore peſtis reiicienda 408
Caſtoreum aqua vitæ diſſolutum, veternoſos & ſoporoſos expergefacit 496
Cataplaſmatis ex ſigillo & axungia porci, facti commendatio 145
Cataplaſmata ſuppuratoria & anodyna 172
Cataplaſma peſtilentes bubones euocans & concoquens 533
Cataplaſmata bubones & tumores peſtilẽtes mollientia & concoquentia 535
Cataplaſma ad curandos carbunculos accommodatur 543 & 544
Cataplaſma dolores vehementes capitis leniens 518
Catapotia ex hydrargyro, q̃ retorridæ bilis, & omniũ malignorum humorũ ferociam domãt, nullo ventriculi incommodo 325
Catapotia elephantiam profligantia, quæ & qualia adhibenda 286
Catapotia tẽpore peſtis cõmunia, Ruffi item, & auctoris, quod præſtantiſſimum eſt 410
Cataporiorum ex aloe, tempore peſtis vtilitas 408
Cathartica remedia, & venæ ſectio tempore peſtis peri-

periculoſa 392
Cathartica remedia, an morſibus rabidi canis conducant 340
Cathartici medicamenti deſcriptio 117
Cathartica medicamēta quādo in legitima peſte vſurpanda 512 qualia item adhibenda ibid. eorū compoſitiones 513
Catharticum, ſi quod peſte correptis propinandum, quale eſſe conueniat 512
Cathartica ſæpe venenata & malefica vi pdita ſunt 505
Catharticis medicamētis matura, nō cruda moueri debent 510
Catharticorum vſus frequēs, an in febribus peſtilentibus, putridæ conſtitutioni implicitis tutus ſit 504
Catheteris in curatione carunculæ penis, vſus quis 197
Cauſa ſublata, ceſſat morbus 447
Cauſa luis venereæ efficiens quæ 10
Cauſæ externæ an in nos aliquid moliri poſſint, ſine corporis noſtri præparatione & imbecillitate 40
Celſus quo remedio hydrophobia oppreſſos liberari poſſe ſtatuat 347
Celſus quid in peſtilentibus febribus fieri debere præceperit 510
Centaurium minus aduerſus aerem peſtilentem optimum eſt 459 Ruſticorum theriaca eſt 460
Cepæ aſſæ, quomodo præparandæ, vt buboni medeātur 533
Ceraſorum tempore peſtis vſus quis 420
Cerebro & neruoſis partibus argentum viuum nocet 210
Cereolus quomodo peni indendus ad curandam carunculam 194
Chamædrys & chamepytis, peſtilentiæ aduerſantur 456
Chelidonii ſuccus interdum à febre peſtilenti liberat 456
Chymiſtarum de argento viuo ſententia 207
Chymiſtæ quid de temperamento hydrargyri ſentiāt 213
China radix vnde & cur ſic dicta 70 vbi naſcatur 71 quæ præſtantior, & aliis præferenda 72
Chinæ radicis vſurpandæ ratio vulgata 72
China radix à magnatibus & proceribus cur expetita 73
Chinæ radicis commendatio ficta 73
China radix vtrum guaiaco ſit ad depellendum morbum gallicum præſtātior 74
Chinæ radicis vitia & mala, quæ vtentibus inducit 75

Digitized by Google

Chinæ radicis genus ex terra florida nuper aduectum, quale 76
Chirurgi vnius hominis curationem per argētum viuum quater vno biennio repetunt 113
Cibus tēpore peſtis ſæpe ſed modice tamē præberi debet 439
Cibi & potus in ſputatione ratio 252
Cibi in curatione luis venereæ qui eligendi & adhibendi 94
Cibi tempore peſtis fugiendi qui 426
Cibus tempore peſtis perpetuo condiendus 444
Cibi & vini vſus tempore peſtis, ante egreſſum ex cubiculo 423
Ciborum diſſimilitudo & varietas, perturbationē parit 421
Cibus tempore peſtis quoties ſumendus 422
Cibus peſte correptorū qualis 493
Cinnabaris grauiſſimorū dolorum cauſa 231
Cinnabaris ſuffitus quid præſtiterit 216
Cineres an ſemper frigidi cēſendi 304
Cyperi radix ſuo odore peſtilentiam fugat 458
Cyrenaicus ſuccus laſer indicum, & multa alia venenis reſiſtentia enumerantur 469
Cœna tempore peſtis, qualiter inſtituenda 425
Coitus expertes, pueros, ſenes, & alios, lues venerea raro occupat 14
Concubitus elephanticis cōcedendus 295
Condimentum peſtilēti cœli ſtatu optimum & ſuauiſſimum 419
Cōſtitutio anni calida & humida, quales pducat morbos 398
Conſuetudo repente immutata, plurima affert incōmoda 94
Conſuetudo & familiaritas multorum hominū tempore peſtis fugienda 431
Contraria cōtrariorum ſunt remedia 4
Cor hominis primo peſtem excipere, & propellere nititur 388
Corallium aduerſus veneni impetum præcordia munire creditur 464
Coriarii peſte cur minus corripiantur 430
Coriandrum agit in furorem 30
Coriandrum præparatū, cōtra venenum præſtat 455
Cornu monocerotis aduerſus venenum primas tenere, vulgus ſibi perſuaſum habet 463 valet aduerſus venena plurima 464
Cornu ceruini partus primi, aduerſus venena valēt 465 ciꝰ vtēdi formæ variæ 466

Corpus

Corpus in Elephantiaſi quomodo purgandum 278
Corpora frigida & humida, item frigida & ſicca, hydrargyro non inungenda 131
Corporis ad peſtem admittendam præparatio quæ ſit 406
Cortex guaiaci quibus noceat 116
Cortex arboris ad nutriendam arborem conducit 58
Cortex guaiaci cur acrior & amarior ipſo ligno 58
Cortex guaiaci an ad profligandam luem venereã ipſo ligno præſtantior 63
Cranium lue venerea prorſus exeſum 155
Cremor guaiacinus quomodo conficiatur 64
Cubiculum tempore peſtis quale febri correptus eligere debeat 490
Cucurbitæ quando ad curationem bubonis adhibendæ 532
Curandi ratio per hydrargyrum ſarcæparillæ decoctum & aquam cardiacam 245
Curandi ratio per hydrargyrum & aquam cardiacam abſque decoctis 246
Curandi ratio infimæ ſortis hominib. commoda 246
Curandi ratio ſecuriſſima quæ 253
Curatio admodum dura 26
Curandi ratio per ſolum hydrargyri litũ, & opiatam, citra ſputationem 247
Curationẽ luis Venereæ ſuſcepturus quid prænoſcere debeat 45
Curatio luis venereæ rediuiuæ breuis, ſed fallax 130
Curatione abſoluta quid faciendum 110
Curationum quæ per guaiacum, & hydrargyroſin fiunt, differentia 123
Curatio quę in vaporario fit, melior eſt ea quæ fit in lecto 127
Curandi ratio bubonem peſtilentem diſcutiens 538
Curandi imperitia & inſcitia multos ad inſaniam adigit 27
Curatio luis venereæ cur tãdiu deſiderata 29
Curandi methodus tempore peſtis 490
Curandi indicationes in febribus peſtilentibus vnde petendæ 500
Curandi methodus in febribus peſtilentibus per catharticum & venæ ſectionem, qualis 504
Curandi methodus in febribus peſtilentib. natura & euentu rerum comprobata 502

D

DEcocta quædam ad feruorem humorum in Elephantiaſi reſtinguendum 275

Decoctum guaiaci quomodo dulcorandum 65
Decoctum in balneo exorbendum quale 111
Decoctum quo ſciſſuræ manuum & pedum cohiberi poſſunt 128
Deleteria & Alexiteria quid 238
Deſtillatum inſtaurans tempore peſtis 442
Deſtillatum, febrium peſtilentium malignitatẽ obtundens, putredinem humorum inhibens, virium robur inſtaurans, & ſpirituum diſſolutionem reſarciens, vbi calor vehemens & ſitis vrgent 482
Deus peſtilentiam interdum ſolo iuſſu immittere poteſt 378
Dictami radices & folia, contra febrium peſtilentium malignitatem valent 471
Dioſcoridis de hydrargyro ſententia 208
Dioſcorides cur vſtionem ad morſum rabidi canis ſanãdũ adhiberi voluerit 338
Dioſcoridis de cancrorum cineribus ſententia 342
Dioſcoridis de terra ſigillata iudicium 467
Dyſenteria ex argento viuo & plumbo intra corpus aſſumpto, exoritur 231
Dolori & ardori inter meiendum quomodo occurrendum 201
Dolorũ in lue venerea cauſa 141
Dolor venereus in morbo recenti, ſponte diuaneſcit 142
Dolor humani corporis, vbi ſedem habeat 20
Dolor venereus, medios artus obſidet 20
Dolores luis venereæ quomodo ab aliis doloribus internoſcendi 141

E

EBur contra venenum valet 465
Ecthymata & Exanthemata puerorum, peſtem futuram prænunciant 400
Ecthymata ſeu maculæ, in peſte erumpentes quando lethales 526
Electarum tabellarum forma 413
Electariũ triumſantalon 119
Elementariæ rerum naturaliũ qualitates, naturæ inſtrumenta ſunt 53
Elephas quibus ætatibus infeſtus 264. quibus ſeſe notis prodat 265
Elephantiæ differentiæ quatuor 266 ſigna eius, vbi primũ conſpiciantur ibid.
Elephas morbus quam deformis 267 non cito hominem perimit 269
Elephas morbus an curari poſſit 270
Elephanticis cur cum ſanis verſari legib. interdictum 271
Elephãtia an cauſam habeat fri-

Digitized by Google

frigidam 304 contrarium affirmatur 306
Elephantiæ deploratæ ſymptomata 291
Elephantiæ cauſa proxima quæ 301
Elephantiaſi correptis quæ noxia ſint 277
Elephantici quales inhabitare ædes debeant, 290. quo victu vti debeant ibid.
Elephantia remediorũ varietate & viciſſitudine gaudet 286
Elephantia hæreditaria, aut inueterata, nullo remedio penitus curari & profligari poteſt 287. quomodo infringi & debilitari poſſit 288
Elephantia liberati quomodo cauere debeant ne ea reuireſcat 295
Elephantiæ curationem cur veteres ad occultam viperarum proprietatem retulerint 296
Elephantia morbus qualis, & vnde ſic dictus 257
Elephantia cur à quibuſdã Leontiaſis appelletur 258 cur à quibuſdam ſatyriaſis dicatur 259
Elephas nulli animali ſimilis 257 pilos vel ſetas in corpore non habet 258 cur in frigidis regionibus non naſcantur 258
Elephantiaſis cauſæ externæ quæ 261
Elephas morbus eſt magis quam lues venerea contagioſus 259 cur occultus morbus dicatur ibid. Eius labes prima in iecore & liene reſidet 260 venenat⁹ cẽſetur morbus ib.
Elixa pro peſte correptis qualia eſſe debeant 439
Elleborum, illis qui rabidi canis morſu læſi ſunt, quam ſit vtile 339
Emplaſtrum quod maculas elephanticorũ cutem deturpantes extirpat 324
Emplaſtrũ quo Ioannes Fernelius ad curationem carunculæ vſus eſt 192
Emplaſtrũ ſcirrhoſo tumori applicandum 145. & 146
Emplaſtrũ pro ſedandis dolorib. in recẽti morbo 143
Emplaſtrum ad ſuppurationem valde efficax 173
Emplaſtrum capitis tumoribus imponendum 147
Emplaſtrum Iohannis Vigonii cur in curanda gonorrhæa reiiciatur 180
Emplaſtrum Iohannis Vigonii quomodo vſurpandũ 251
Emplaſtra Ioannis Vigonii dupla Mercurio facta 113.
Emplaſtrum & linimentum ad prouocandum tumorem tardũ in inguine 169
Emplaſtrum bubones molliens & digerens 172
Emplaſtrum ad curandum carbunculum accommodatum 545

Digitized by Google

Eudemii morbi qui dicantur 362 quotuplices ſint ibid.
Epidemii peſtilentes morbi qui & quotuplices 363
Epidemii morbi peſtilentes inſolentes qui 363
Epidemii quomodo à peſtilentibus morbis differant 370
Epidermis, niſi vel findatur vel dilaceretur venenum venereum non admittit 6
Epithema cum ſitis & ardor vrgent in peſte putridæ conſtitutioni implicita. 488
Epithemata quomodo vſurpari debeant 489
Epithematum quorundam in febre peſtilenti formulæ 487
Epithemata cordis calida vel temperata eſſe neceſſe eſt 486
Eryngium aduerſus omnia venena efficax habetur 458
Eryſipelas Carbunculi viciniam inuadens, quã cauſam habeat 551 quomodo ſanari debeat ibid.
Exercitatio vehemens tempore peſtis cur intermittenda 427

F

Faber quidam aurarius hydrargyri vapore narib. excepto, veterno corripitur 215
Fames & ſitis tempore peſtis nocet 422
Fameſcentes ſolito cibi vſu prætermiſſo, bileſcunt 47
Febres omnes bilioſas eſſe veteres arbitrati ſunt 305
Febris periculoſæ ſignũ proprium 389
Febris peſtilens an victum tenuem & parcum requirat 437
Febres humectãti victus ratione indigent 435
Febris peſtilens cum hectica nihil affinitatis habet 375 iudicari ex vrina non poteſt 377
Febris peſtilentis an aliquod amuletum 30
Febrium iuxta Hippocratem genera duo 358
Febres peſtilentes non ſunt calore ſuo exitiales 487
Febris Britannica ſumpto carthartico, aut miſſo ſanguine, illico homines iugulat 508
Fernelius luis venereæ curationem ſine hydrargyri ope primus pollicitus eſt 31
Fernelius herbarium medicum ad Turcarum Imperatorem cur miſerit 474
Fernelius quamdiu Lutetiæ floruerit 510
Ficus ſolæ venenis inſigniter aduerſantur 461
Filũ argenteũ ſæpe cereoli loco, peni inſeritur 196
Florida terra à quib. inuenta, & cur ſic dicta 77

Fœ-

Fœniculi ſemẽ aduerſus venenum alimentum præſtat 455
Fœtoribus aſſueti peſtem nõ metuunt 404
Fotus emolliens & diſcutiens oculis ex vſu craſſeſcẽtibus membranis 322
Fotus emolliens & rarefaciens 322
Fotus qui vomitum tempore peſtis cohibeat 521
Fracaſtorii carmen de victus ratione in medicina guaiacina 93
Frictiones quo loco peſte correptis adhibendæ 496
Frigida an à peſte correptis recte bibatur 446
Frigus veſicæ & aliis neruoſis partibus valde inimicum exiſtit 190
Fuga tutiſſima peſtis præcautio 405

G

Galenus quid de cauſſa Elephantiæ ſtatuat 299
Galenus quid de argento viuo ſtatuerit 208
Galenus quomodo Elephanticos ſanarit 297
Galenus in acceſſionibus febrium, cibũ porrigit 437
Galenus quæ medicamenta demorſos à cane rabido, ab hydrophobia tutos reddere ſtatuerit 341
Galeni ſententia de medicamentis vehementib. vlceri imponẽdis, reiicitur 549
Gallicus morbus an vnquã plane deſiturus 22
Gallicus morbus quando & vnde dictus 7
Gallico morbo inquinatus, ſolo halitu alium afficere non poteſt 11
Gallinæ quando buboni adhibendæ 537
Garcia ab Horto, proregis Indię Medic⁹ quid de China radice ſcripſerit 75
Gargariſmatis ad eluendum os, deſcriptio 138
Gelatina, vel glaciatum ius, tempore peſtis, ſalutaris exiſtit 440. quomodo parari debeat 441
Gentiana aduerſus peſtilentium febrium contagia vtiliſſima eſt 455
Gonorrhæa virulenta quid 174
Gonorrhæa virulenta neglecta, in luem veneream degenerat 175
Gonorrhæa virulenta quomodo curanda 177
Gonorrhæa neglecta quid incommodi adferat 180
Guaiaci decoctũ quomodo pro melãcholicis & pituitoſis præparandum 66
Guaiacum an ſolum ad depellendum morbum gallicum ſufficiat 67
Guaiacum non quo humidius, ſed quo calidius & tenuius ad luis curationẽ maxime prodeſt 54
Guaiacum quo temperamẽto ſit 61

Guaiacum quam præſtantia edat opera 62
Guaiacum nigerrimum ad luis venereæ curationem aptiſſimum eſt 51
Guaiaci ligni pars interior cortici, & externæ ligni parti præferenda 51
Guaiaci ætates quibus notis dignoſcendæ 60
Guaiacum lignum vbi naſcatur. 48. Eius deſcriptio 49
Guaiaci coquẽdi ratio pharmacopœis vſitata 64
Guaiaci ligni pręparatio quę ſit 63
Guaiacinum decoctũ quod vna eademq; opera luem ſanat, & cacochymię fontem exhaurit, quomodo parandum 107

H

Hederæ aduerſus peſtem proſunt 453
Helenii ratio cõtra peſtilentes febres valet 455
Herbæ quo tempore legi & exponi debeant 57
Herculeus morbus quis & cur ſic dictus 259
Hermodactyli, turpetum, agaricum, &c. an cum guaiaco coquendum 116
Hippocrates cur aurea ſtatua donatus 403
Hippocrates quid velit, quãdo in morbis acutis tenuem victum requirit 437
Hippocratis præceptum in euacuando & purgando corpore neceſſarium 47
Hippocratis de tempeſtatibus anni ſententia vera 389
Hircus tempore peſtis recte in domibus nutritur 429
Hiſpanus quidam nobilis vſum ligni Guaiaci, in Hiſpaniam traduxit 41
Hiſpaniola luem veneream habet familiarem & endemiam 48
Hæmorrhagia cõſueta tempore peſtis non eſt cohibenda 434
Homines non ſola cacochymia ad peſtem præparantur 382
Humida omnia luis venereę curationi aduerſantur 115
Humores ſinguli proprium & peculiare habent temperamentum 305
Humor omnium viuentium triplex eſt 53
Humorem qui circa oſſa colligitur, ſemper pituitoſum eſſe 153
Humores non ſunt cauſa calefaciendi & ſudores promouendi 54
Humor qui bubonis cauſa exiſtit, an purus ſanguis ſit 160
Humor tenuis non facit profunda & caua vlcera 2
Humores & ſpiritus ſunt ſedes & vehiculum veneni 500
Hydromeli pro pituitoſis naturis in ſimplici peſtilentia

Digitized by Google

tis 455
Hydrargyrus quid & cur ita dicatur 205
Hydrargyrũ frigidum & humidum eſſe probatur 213
Hydrargyrus venereum fomentum internis partibus relinquit 239
Hydrargyrum corpus à febre & inflammatione tutum reddit 217. Eo ſæpius perunċti cur purgantib. non facile moueantur 218
Hydrargyri cinis magnam ad purgandum vim habet 232. adhiberi ad purgandum non debet 234
Hydrargyrus quomodo luis venereæ alexipharmacum eſſe, à quibuſdã probetur 236. Ejus opinionis refutatio 237
Hydrargyri inunctio quomodo adhibenda 242
Hydrargyri modus in vnguento pro Elephanticis qualis decernendus 288
Hydrargyrus quomodo Elephanticis adhibendus 284
Hydrargyrum Arabes ad maligna vlcera cohibenda adhibuerunt 24
Hydrargyrus in aquam conuerſus cutis aſpredinem delet 130
Hydrargyrus calidis & ſiccis corporibus conuenit 132
Hydrargyri litus quibus corporibus conueniat 131
Hydrargyri lues curari non potuit 114
Hydrargyro tarditatem ineſſe chirurgi profitentur 112
Hydrargyrus venenum in penetralibus naturæ obfirmat 126. 129
Hydrophobia quando poſt morſum rabidi canis contrahatur. 333. cur hoc malo correpti aquam aut ſpeculum auerſentur. 334
Hydrophobiæ imminentis, aut præſentis cauſa 332
Hydrophobia oppreſſi raro aut nunquam ſanitati reſtituuntur 335
Hydrophobia ex rabidi canis morſu exiſtit 328. & 331
Hydroſaccharum & Hydromeli, quomodo in peſtilentium morborum præcautione & curatione pręparanda 445
Hyoſciamus inſaniam ebrietati ſimilem inducit 30
Hyperſarcoſeos penis remedia qualia eſſe debeant 193

I

IAcobi Syluani antidotum pro demorſis à cane rabido 346
Iecoris robur in diuturnis morbis potu & humidorum cibariorum vſu elangueſcit 119
Iecur & cerebrum cur non ſint primum & peculiare peſtis domicilium 528

Ientaculum tempore peſtis quale inſtituẽdũ 423. 424
Ignis tempore peſtis, & ſuffitus ſæpe faciendus 429
Impuritas morbi gallici ex cute non ſpectatur 14
Infantis peſte correpti, qui nondum ab vbere matris depulſus eſt, quæ ſit curandi ratio 498
Infantium lue venerea affectorũ quæ ſit curatio 96
Infanti decoctum guaiacinũ quomodo præparandum 97
Infantes qui ſolo nutricis lacte, & pulte veſcũtur, quomodo curandi 99
Infantes decoctum guaiaci detrectantes, Sarceparillæ decoctis, & aqua cardiaca reſtituti 99
Infantes qui ex ſemine parentum, luem veneream contraxerunt, vtrum ſanari poſſint 101
Inflammationes in peſte omnes calamitoſæ & funeſtæ ſunt 543
Intemperies & putredo humorum, non eſt cauſa peſtis 447
Ioannes Fernelius qualem puluerem vlceribus inflammatis impoſuerit 140
Ioannis Cornarii de venæ ſectione in curando carbunculo ſentẽtia reiicitur 548
Iracundia tempore peſtis periculoſa 432
Iſchuria quomodo curanda 200
Iſchuria calculi, quomodo ab illa caruncula quæ callũ in ceruice veſicæ efficit, dignoſcenda 186
Iuniperi baccæ occulta ſua proprietate aduerſus venenum proſunt 453
Ius pulli purgatorium 314
Iuſcula tempore peſtis an cõueniant 420

L

Lacticinia tempore peſtis noxia 426
Lactis potus venenorum omnium acrimoniam obtundit 343
Lepus marinus exulcerat pulmonem 30
Lex in præſcribendo vaporarii decocto qualis obſeruanda 92
Lignum guaiacum cur ſanctum nominetur 63
Lignum guaiacum cum primum è terra prodire cernitur, humidiſſimũ eſt 57
Lignum guaiacum albicans non eſſe præferendum nigro, diſputatio 52
Ligni guaiaci ſpecies in America duæ 51
Lignum guaiacum in aqua non fluitat 49 quodnam precioſiſſimum ibid.
Ligna tempore peſtis qualia cremanda 405
Liquor præſtantiſſimus vim omnem peſtilentis veneni infringens, & extinguens 480

Loca ſuſpecta tempore peſtis adeuntibus quid facere conueniat 343
Loca fœtida tempore peſtis fugienda. 428
Lues venerea ſæpe illæſa cute, oſſa putredine vaſtat 151
Lues recens contracta, quomodo per hydrargyrum curanda 255
Lues venerea, in America, admodum frequens 8
Luem veneream quomodo veteres curarint 24
Luis venereæ ſpecies variæ 15
Lue venerea qui & à quibus inquinentur 14
Lues venerea non niſi attactu contrahitur 18
Lues quæ pilorum defluuio ſe prodit, facilime omniũ tollitur 23
Luem veneream indies mutari & conſeneſcere 21
Lues venerea pro varia corporum conſtitutione, facile & ægre curatur 22
Luis venereæ curatio, qua methodo inſtituenda 82
Lue curata, cur lienis vel iecoris ſcirrhus ſæpe ſequatur 46
Luis venereæ aliis affectibus implicitæ, aut inueteratæ, quæ curandi ratio ſit 103
Lues rediuiua repetita priori curandi ratione, curanda 129
Lues venerea, cur alias facilius, alias ægrius profligetur 122
Luis rediuiuæ cauſa & curatio ibid.
Lues venerea nõ tollitur reuulſione aut deriuatione humorum 167
Luis nondum penitus deletæ ſigna 126
Luis venereæ contumacia quanta ibid.
Lues venerea in ſimpliciter contagioſis numeratur 7
Lues venerea quid 1.3
Lues venerea an ad intemperiem pertineat 2 & 3
Lues venerea in partibus diſſimilaribus non conſiſtit. 1.38
Lue venerea infecti cur liuidi & ſubnigri appareant. 3
Lues venerea ad formam refertur 5 nec ſimplex putredo eſt nec putredinis ſoboles 6
Lues venerea ad materiæ ametriam referri non poteſt 5
Lues venerea, quando primũ ſubire inceperit 7
Lues venerea morbus eſt occultus 6
Luis venereæ prçcautio qualis 40
Lues curata poſt vigeſimum vel trigeſimum annũ recurrens 26
Luis venereæ per hydrargyrum curatio minus periculoſa & perfecta 240

Lumbrici infantum propinato argento viuo interfecti 225
Luna & radii eius, tempore peſtis ſemper caueri debent 431

M

MAculæ latæ in Elephãtiaſi quomodo corrigendæ,& delendæ 283
Maculæ tẽpore peſtis erumpentes, quomodo curandæ 526
Mala punica,medica & citria mirificam obtinent vim, ad profligandã peſtẽ 420
Margaritarũ puluis cum vnicornis, & cornu ceruini ſcobe miſtus Alexipharmacum efficit contra venenũ præſtantiſſimũ 469
Materiæ immoderatæ morbi qui 5
Medicamentorum vires, nõ ſemper à primis qualitatibus quærendę 219
Medicamenta præparantia melancholicum humorẽ, quibus inter purgationũ vices Elephanticis vtendũ 315
Medicamenta immutantia & præparãtia in Elephantiaſi quæ 281
Medicamentum pro doloribus externis & tumoribus capitis 146
Medicamenta refrigerantia & lenientia peni, in curatione carunculę adhibenda 199
Medicamentis nõnunquam diſſenſio,nonnunquã cõſenſio ineſt 68
Medicamentũ vnum & ſimplex ſępe contrariis pollet facultatibus 62
Medicamentorum vires an pro humorum qui in illis ſunt copia, aut penuria, firmę imbecilleſve ſint 52
Medicamenta recentiorũ ad febrem peſtilentem alioſque venenatos morbos quamplurimos 477
Medicamento vno ſimplici, omnibus morbis mederi, velle ſtultitia ſumma eſt. 512
Medicorum quorundam curandi ratio ſcriptis conſignata, vt inſufficiens reiicitur 28
Medicus ad quem ſcopũ reſpicere in Elephantiaſi debeat 280
Melancholica corpora curationem ægre admittunt. 122
Meliſſophyli,mentæ & marrubii folia,tempore peſtis pro acetario eſſe poſſunt. 458
Membrum à bubone obſeſſum quomodo curandum 168
Menſtrua ſuppreſſa mulieres variis morbis oportunas reddunt 432
Mercurii puluis quomodo præparari & cicurari debeat 139

Metus tempore peſtis ſedulo fugiendus 384
Metus & cogitatio de peſte, peſtem cur homini concilíet 384
Miles quidam exorto lethargo, nullo doloris ſenſu extinguitur 217
Miracula ſæpe in morbis fieri 511
Mithridatis Regis antidotũ contra venenum, à Pompeio inuentum 463
Mithridaticum Ruſticis pro cardiaco ſufficit 424
Mithridates Rex corpus ſuũ aduerſus omne venenũ tutum reddidit 41
Mithridates Rex Ponti antidotũ aduerſus venena præparauit 473
Mithridatiũ & theriaca, quibus noceãt, & cur à ſua pręſtantia degenerarint 477
Mœſtitia tempore peſtis fugienda 432
Monocerotes vbi reperiantur 463
Morbi occulti, occulta eſt præparatio 40
Morborum differentiæ in tabula ob oculos poſitæ. 361 communium & popularium cauſa 362.363
Morbi hominum vnde exiſtant 360
Morborum popularium ex vitiato & corrupto cibo potuq; prouentus 364
Morbus Gallicus maioribus noſtris inauditus 9. quæ loca primum occupare ſoleat 11
Morbo Gallico correpti, cur ſine capillis & pilis aliis cernantur 13
Morbi Gallici imminentis præcautio vera eſt & facilis 44
Morbus Gallicus quo anni tempore curatu facilimus. 23. quos & cur acerbiſſime affligat 14
Morbi Gallici quanta olim fuerit fœditas 21
Morbi qui cum lue venerea conſentiant 103. qui non conſentiant 104
Morbo grauiſſimo, in complicatione affectuum, citiſſime ſubueniendum ibid.
Morbus Gallicus qui per hydrargyrum ſanari non potuit, quomodo curãdus 111
Morbi totius ſubſtantiæ, alii manifeſti, alii occulti 5
Morbus omnis in parte aliqua corporis primũ & per ſe inhæreſcit 1.13
Morbi quales ſint, qui temporib. bene conſtitutis exiſtunt 397 quales ex inæqualibus anni conſtitutionibus exiſtant 397
Mores hominũ alii aliis ad peſtem propenſiores 384
Morſus rabidi canis quomodo ſanandus 336
Mortis ſigna in omnibus febribus 395. coniectura certiſſima in peſte vnde ſumatur 395

Digitized by Google

Moſchus & Zibetum contra venena valent. 469. quibus proſint, & quos lædant 470
Mulieres fucum ex hydrargyro vſurpantes, in quam fœda mala ſe coniiciant 216
Mulier an inſtantibus aut profluentibus menſibus concipiens, fœtum edat in Elephantiam procliuem 262
Mulieres quibus ſuppreſſa menſtrua ſunt, quomodo tempore peſtis curari debeant 433
Mutationes temporum & tẽpeſtatum, quæ Epidemiorum morborum procreatrices ſint 370

N

NArdi Italicæ flores, venenis reſiſtunt 456
Narium cruſtulæ quomodo ſanandæ 294
Natura remediis non aſſuefacienda 119
Natura quomodo in curatione Elephantis recreanda 285
Noduli ſæpe olfaciendi conſtitutione peſtilenti 415
Nucis Moſchatæ vſus tempore peſtis 471
Nutricis corpus quomodo præparandum ne luem ab infante contrahat 100

O

OCymi ſemen mire efficax eſt contra venenum 462
Odor hirci, venenũ arcet 430
Odorata omnia calida eſſe. 61
Olera tempore peſtis quæ conueniant 420
Olera & fructus quomodo vitium contrahant 366
Oleum pro ſtupore & frigore alicuius membri arcendo 293
Oleum ex Saluia ſicca roborans & ſiccans 243
Olea dolores venereos in morbo recenti lenientia 143
Olea quædam aduerſus peſtem vtilia 457
Oleum guaiaci ex qua parte ligni producatur 59
Oleum iuniperi quibus proſit, quibus non 454
Oleum quo maculę herpetes & cicatrices faciei tolluntur 135
Oleum è myrrha extractum omnia vlcera lenit 138
Oleum cardiacum, omnem veneni & peſtis vim infringens 481
Opiatæ Elephanticum virus præcipue domantis, compoſitio 321
Opiata cardiaca calidis naturis tempore peſtis accommodata 414. Item alia frigidioribus commodior ibid.
Opiata Fernelii maior & minor 34
Opiatæ ante balneum adhibendæ

Digitized by Google

bendæ compoſitio 109
Opiatæ in præcautione & curatione luis peſtilentis, admodum præſtantes & efficaces 494
Opobalſamum ex Xylobalſamũ vnde aduehatur 77
Origanum aduerſus peſtem valet 156
Os cordis ceruini contra venena & peſtilentiã valet 465
Oua tempore peſtis qualia proſint 420
Oxycrati vſus tempore peſtis magnus 490

P

Palmar. Conſtant. compoſitio pro curatione morbi gallici 34
Panis tempore peſtis qualis vſurpandus 426
Papauer vehementem ſoporem & ſtuporem excitat 30
Partes lue venerea affectæ, aliç aliis plus periculi afferunt 11
Partes humani corporis quæ primum exulcerari ſoleant 16
Penis quomodo ab vlceribus & fluxione liberandus 138
Pericranium & cranium ipſum ad meningas vſque putredine luis venereæ illęſa interdum cute exeditur 16
Peſtis futuræ præſagia à cœlo capi aliquando poſſunt 399. item ab arboribus & fructibus ibid.
Peſtis quæ ab inquinamento cælitus demiſſo exiſtit, quomodo diiudicanda, ab alia quæ oritur ab inferioribus cauſis 401
Peſtis ex corruptis alimentis exiſtẽs quomodo prænoſcatur 400
Peſtis ſigna lethalia quæ 394
Peſtis adueniens an præuideri poſſit 396
Peſtis aliquoties pene ad internecionẽ homines deleuit 373
Peſtis quæ natura & cauſa ſit opiniones variæ 371
Peſtis regioni imminens, quomodo auertenda 401
Peſtis cur non omnes regiones & homines æque afficiat 383
Peſtis longo tẽpore in conclaui ſepulta quaſi deliteſcere poteſt, donec tandem ſeſe rurſus exerat. 431
Peſtis anno 1382. vniuerſas Orientis & Occidentis regiones peruagata eſt 373
Peſte correpti ad cibum capiendum etiam cogendi ſunt 438
Peſtis quæ ex aere metuitur, quomodo auertenda 402
Peſte correpti an de vita vel morte certi quid ſtatuere poſſint 386
Peſtis tempore cibus copioſus aſſumendus 437

Peſtis quæ anno 1568. Lutetiæ graſſata eſt, deſcriptio 390. Eius ſymptomata communia 391
Peſtis quid, & cur febris dicatur 358
Peſtis cauſam non eſſe putridam aeris conſtitutionem 372
Peſtis ſecuriſſima & tutiſſima præcautio quæ 405
Peſtis progreſſu tẽporis declinare ſolet 386
Peſte correpti qui plerunque intereant & moriãtur 386
Peſtis veræ & legitimæ ſigna & notæ 388
Peſtis cauſa ſolo poteſt euentu deprehendi 381
Peſtis quomodo auertenda, ſi malefica alimentorum qualitas, eius cauſa ſit futura 402
Peſtis quæ ex metu horrendo exiſtit, plerumque lethalis eſt 385
Peſtis cauſam occultam, & à putredine longe diuerſam eſſe 375
Peſtis ſimplex & legitima quando venæ ſectione abhorreat 515
Peſte correpti quomodo ſe gerere debeant 490
Peſtis curatio per cathartica cur mala ſit 505
Peſte obſeſſus, hauſto cathartico, in præſens vitæ diſcrimen adducitur 507
Peſte correpti, quibus aluus initio ſoluta eſt, cur plerunque moriantur 508
Peſtis errorem medici non patitur 508
Peſtilentiæ cauſa omnis fere ab auſtro promanat 406
Peſtilentis cõſtitutionis prouiſio 396
Peſtilentiæ labes ſi ex inferioribus hiſce locis in aerẽ ſpargitur quomodo auertenda 403
Peſtilentia alia boues ſolos, alia ſues, alia oues, alia homines &c. iugulans 374
Peſtilentia ſæpius & crudelius in æſtate & autumno, quam in hyeme & vere graſſatur 372
Peſtilentiæ ſimplicis & legitimæ cauſam eſſe inexplicabilem aeris perniciem 377
Peſtilentes morbos ab aere proficiſci 367
Peſtilentia pura & ſimplex, vel ad Deum ſimpliciter, vel ad cæleſtem configurationem refertur 379
Peſtilentia vnde in aerem influat 378
Peſtilentiæ cauſa vna cum ſpiritu hauſta, cor recte petit 388
Peſtilentiæ cauſæ cæleſtes à veteribus neglectæ 308
Peſtilentiæ ſemina à certa aliqua ſyderum permiſtione 378

Peſtilentia vbi & quando grauis exiſtere ſoleat 382
Peſtilentis morbi vis ex ſolo pulſu deprehenditur 386
Peſtilentis veneni pernicies non ſemper vniuſmodi eſt & ſibi vbique ſimilis 515
Peſtilens venenum an ſemper in corde an vero etiam aliquando in cerebro, & iecore lateat 528
Peſtilentis bubonis curatio quæ ſit 532
Petaſites foliis & radice peſti obſiſtit 461
Pharmacopœorum impoſtura magna 38
Pharmacopœus argento viuo extinctus 226
Phlegmones ex ſuppreſſa gonorrhæa 176
Phlegoſis gonorrhęę ſoboles, quomodo extinguenda 177
Pictoris cuiuſdam ſymptomata, & morbi ad cinnabarim referuntur 228
Pimpinellæ radices & laus in prohibenda peſte 458
Pimpinella demorſis à cane rabido vtilis 345
Piſces quæ tempore peſtis conueniant 418
Piſces quę populares morbos efficiant 356
Piſtores Lutetiani cur gypſi pollinem tritico permiſceant 365
Pituita an à capite per renes in veſicam illabatur 181
Pituita in corpore, veſperi mouetur 141
Plinius rerum omnium venenum dicit eſſe argentum viuum 207
Plumbum aſſumptum, multorum incommodorum cauſa exiſtit 227
Polypodii & Plantaginis folia, aduerſus venenũ conducunt 460
Poma aromatica & ſuffimenta tempore peſtis ſemper vſurpanda 491
Pomorum tempore peſtis vſurpandorum compoſitio 415
Poma & pira tempore peſtis quomodo conueniant 421
Pomaceũ quale hypochondriacis & Elephãticis præbendum 308
Cn. Pompeius antidotũ contra peſtem inuenit primus 425
Populi ad Alpes habitantes, cur turgida habeant guttura 232
Popularium morborum tria genera in aere fiunt 382
Populares morbi quid & eorum differentiæ 360. 362
Porrũ & cepe an veneno reſiſtant 343
Potus tempore peſtis qualis eſſe debeat 444

Potus paratu facilis, in omnibus febribus peſtilentibus inprimis ſalutaris 446
Potus diuinus, calidis naturis in morbis calidis conueniens 309
Potiones Elephanticis ex vſu 307
Potus ratio in Elephantiaſi quæ ſeruanda 274
Potus putredinem arcens & vitam in longiſſimũ tempus proferens 276
Potus in curatione luis venereæ ratio quæ ſeruanda 95
Præparatio regionis & corporis ad excipiendam peſtem occulta eſt 381
Prandium tempore peſtis quomodo inſtituendum 425
Procreatricis in homine facultatis energia 261
Proſtatis vlcera quomodo ab vlcerib. penis dignoſcenda 185
Pterygium oculorum quomodo corrigendum 294
Pulegium cum vino potum contra venenatorum animalium morſus, remedium præſtat 455
Pulſus in omni febre peſtilenti diligenter obſeruandus 396
Pulſus varietas in febre peſtilenti, vnde 386
Pulſus certiſſimus eſt affectionũ cordis nuncius 388
Pulueris ad opiatam pertinentis deſcriptio 39
Puluis baccarum lauri aduerſus peſtẽ conducit 457
Pulueris tempore peſtis vſurpandi deſcriptio 413
Puluis ſeu opiata præſtantiſſima tempore peſtis vſurpanda 414
Puluis tempore peſtis piſcibus, aut ad intinctus inſpargendus 419
Puluis farinæ à qua panis conficietur tempore peſtis permiſcendus 416
Puluis tempore peſtis ad faciendum ſuffitũ vtilis 429
Puluis ad præcauendã itemque ad extinguendam hydrophobiam efficaciſſimus 344
Pulueris quem pręcipitatum vel Mercurii puluerem vocant, incommoda 233
quomodo & ad quos morbos adhiberi poſſit 234
Puluis cardiacus in fine paſtus vſurpandus 486
Puluis cardiacus extemporaneus cum alia cardiaca deſunt 484
Puluis aromaticus, qui ſacculi ſpecie cordi & ori ventriculi admotus, naturæ vim tuetur peſteiq; obtundit & propulſat perniciem 484
Puluis tam efficax, vt olim Regibus atque Imperatoribus magno in pretio habitus ſit, atque diu pro remedio nemini reuelando aſſeruatus 485

Purgan-

Purgantia medicamenta tẽpore peſtis qualia eſſe debeant 407
Purgatio blãda cacochymo apta tempore peſtis, ante deſcriptorum catharticorum vſum 411
Purgatio prægnantibus, tẽpore peſtis qualis conueniat 417
Purgandi ratio in Elephantiaſi, quæ ſeruanda 279
Purgatio per Elleborum in Elephantiaſi an adhibenda 282
Purgatoria vis in argento viuo magna 223
Purgationum in Elephantia formulæ 310

Q

Qvadrupedũ & volucriũ clades & interitus, futuræ peſtis certum indiciũ 400

R

Rabiei cauſa 331
Rabies canum quid, & quomodo fiat 327
Radicis ex terra florida aduectę ſpecies duæ 77. Eius vſus aduerſus luem veneream efficaciſſimus 78
Ranunculi folia veſicas ſeu bullas attollere & excitare facile in corpore ſolent 534
Raſuræ guaiaci pro potu, quomodo coquendæ 67
Regio quo ſalubrior, eo à veneno peſtilenti, ſi eo polluatur, crudelius infeſtatur 385
Regiones & loca vbi Elephas morbus potiſſimum reperiatur 264
Remedia tẽpore peſtis primo quoque die vſurpanda 492
Remedium aduerſus febrẽ peſtilentem, luem veneream & omnes venenatos morbos præſtãtiſſimum 481
Remedia contra hydragyri noxam à veteribus cur calida & ſicca præſcripta ſint 218
Remedia pro Elephantiaſi 272
Remedium ad hydrophobiam poſt morſum canis rabidi præſentiſſimũ 345
Remedia morbi, naturæ & ægrotantis viribus conſentanea eſſe oportet 511
Reptilium & inſectorũ maxima copia, futuros populares morbos denunciat 400
Rhabarbarum & Aloe, purgantia omnium tempore peſtis optima 407
Rhabarbarum expurgat flauam bilem 30
Roſarum & violarum tempore peſtis vſus 472
Roſmarinus ſuffitu ſuo, domum in peſtilẽtia tutam præſtat 457
Ruſticus rabie perculſus, oſculo liberos ſuos furere facit 329

Ruſticis quid purgatio tempore peſtis proſit 424

Ruta quale medicamentum ſit 260. Ruſticorum theriaca vera eſt ibid. hominem tutum reddit à peſtis contagione 460. Eius vitandi ratio varia ibid.

S

SAcculi, dolores inueteratos leniẽtes & tophos emollientes 144

Sal vſurpãdus peſtilenti cœli ſtatu 416

Sale aut aromate condita, an in peſte omnia vitãda 423

Sales ex abſynthio, fraxino, iuglande arbore, ruta, ſaluia, atractylide, & helenio confecti, aduerſus venenum conducunt 457

Sanguis naturæ theſaurus, & caloris natiui pabulũ eſt 516. qua parte, & quanta copia tempore peſtis detrahendus ibid.

Sanguinis reiectatio & ſcreatus vnde & quomodo in peſte fiat 523

Santalum omne, peſti reſiſtit 469

Saphyrus, hyacinthus, & ſmaragdus, contra venena valere veteres affirmarunt 469

Sarcęparillæ radicis vſus, quã Chinæ præſtantior 80

Sarcæparillę decoctum quomodo præparandum 81

Sarcaparilla radix, in calidis & ſiccis naturis commodius adhibetur quã guaiacum 98

Sarcaparilla radix vbi naſcatur, & eius deſcriptio 79

Satietas cibi & potus tempore peſtis inprimis vitanda 422

Scirrhi nodoſi in lue inueterata, aut recidiua cur frequentiores quam in recenti 149

Sciſſuræ manuum & pedum poſt curationẽ vnde exiſtant 127

Scordium vino coctum contra venena bibitur 461

Scorpio venenum à ſe impreſſum humano corpori, ad ſe rurſus trahit 405

Senna & Caſſia quomodo ad purgandũ adhibenda 108

Signa hydrophophiam præcedentia 332. ex quibus de lue venerea iudiciũ fieri debeat 17. dubia ſi occurrant, quomodo de lue venerea, vere iudicãdũ 18

Similariũ partium tria ſumma morborũ genera 2.12

Simonius medicus Lutetiæ doctus quo remedio occubuerit 527

Simplicia ad balneum Elephanticorum 324

Singultus tempore peſtis vnde & quomodo fiat 521

Sitis tempore peſtis an toleranda 447

Sol calore & lumine ſuo, tẽpore peſtis aerem purgat 430

Somnus tempore peſtis qualis eſſe debeat 428
Somnus poſt ſumptũ peſtis amuletum quatenus vitandus 495
Sphacelíſmo quomodo in curatione carunculæ penis occurendum 200
Spiritus tempore peſtis parũ introducendum 427
Sputatio ab argento viuo ingens exiſtit 223. cur in quibuſdã facilius, in quibuſdam tardius excitetur 224. ex hydrargyri litu moleſtiſſima exiſtit 133
Stibiũ multis mortem attulit 511. quid in ægrotis operetur & efficiat 512. an occulta proprietate, noxia quæuis excremẽta ad ſe rapiat & purget 511
Succinũ venenis reſiſtit 469
Succiſa, vel morſus Diaboli, alias vocata, peſti aduerſatur 458
Sudores in curatione quomodo prouocãdi, & quãdiu ſudandum 84
Sudorum prouocatio in acutis morbis Hippocrati damnata 499
Sudores in febribus & aliis morbis à putredine profectis, prouocari non debent 500
Sudor tempore peſtis quomodo eliciendus 493
Sudores quomodo exiccandi 495. an ſtatim initio febris peſtilẽtis recte prouocandi 499. 501. nõ admodum calidis antidotis promouendi ſunt 502
Suppuratio & caries in oſſib. quomodo agnoſcẽda 153
Sydera vitam tuẽtur, & ei viciſſim incommodare poſſunt 379
Symptomata Elephãriæ deploratæ, quomodo curãda 291
Symptomatum quæ curationi carunculæ penis ſuperueniunt, prouiſio 200
Symptomata omnium grauium morborum communia, non ſunt inter ſigna luis venereæ numeranda 18. luis venereæ propria, an in omnibus inueniantur 135. varia in peſtilenti febri, vnde exiſtant 390. qualia eſſe ſoleant 393. varia in peſte, pro varia temperamenti conſtitutione 394
Symptomata iecoris & cerebri in peſte vnde fiant 529
Symptomatis in febre peſtilenti, quomodo occurrẽdum 497
Syrupus catharticus & cardiacus, ſiccis & bilioſis corporibus ad arcendam peſtilẽtis aeris contagionem, quam catapotia cõmodior 411. è ſuccis, melancholicum humorẽ & bilem atram demulcens 316. de endiuia à Ferne-

lio deſcriptus 317
Syrupi ſolemnis deſcriptio 313
Syrupus è ſucco ceraſorum acidorum tempore peſtis vtilis 472
Syrupi purgatorii præparatio 108

T

Temperamenta alia aliis peſte citius labefactantur 384
Temperanter & moderate tempore peſtis viuendum 432
Terebinthina Veneta quomodo in virulenta gonorrhœa adhibenda 178
Terra Lemnia vel ſigillata, an aduerſus peſtem valeat 466. & 467. eius vtendi modus 461
Terror & timor inopinatus, tempore peſtis admodũ periculoſus eſt 432
Teſtium exciſione Elephas morbus curatur 271
Theologi quid de origine morbi Gallici ſentiant 8. quid de cauſa peſtilentiæ ſtatuant 378
Theoriæ principia in multis naturalibus imbecilla & infirma 220
Therapeutica medicina ſine cognitione argenti viui, manca cenſetur 209
Theriaca demorſis à cane rabido conueniens 341
Theriacam Mithridaticam quis primus compoſuerit 473. quomodo Galenus commendet 474. quis eius vtẽdi modus, & quomodo paranda 475. cur & quomodo contra venenum efficax ſit ibid. & 476. quæ eius doſis ibid.
Tophorum frequens reuerſio quomodo inhibenda 155
Tophi venerei quib. in partibus naſcantur 149. oſſium duritiem adæquantes, quomodo generentur 16. cauterio à chirurgis aperiuntur 113
Topica remedia ad curandum vlcus veſicæ 183
Topicis ſolis, vitia luis tollenda non ſunt 141
Tremores immedicabiles an & cur ab argento viuo contrahantur 221
Triphyllum aduerſus venena efficax eſt 462
Triticum vitiatum & contagione contaminatũ quid efficiat 364
Tritici vitia præcipue quæ 364
Triticũ dum aſſeruatur quomodo vitium contrahat 365. quomodo item dum naſcitur contrahat vitium 364
Tuberculum in pene an exulceratũ ſit, nec ne, quomodo agnoſcendum 197
Tubercula quando emergant 16. peſtilentia, an ſcalpello aperienda 547.

emiſſario-

Digitized by Google

emiſſariorum non temere ſcarificanda 550
Tumores præduri & ſcirrhoſi cur ab argento viuo emolliantur 221. oſſei an curationẽ admittant 149. venerei vbi naſcãtur 147. eorum cauſa 148. quomodo curandi ibid. venerei non externis tantum, ſed & internis adnaſcuntur corporis partib. 150. molles & flatulenti in articulis vnde & quomodo curandi 152. interni quomodo curandi 151
Tumor venereꝰ poſt 30. annos reuerſus hominem quendam enecat 156
Tumores venerei quomodo curandi 157. duri chirurgia non tollendi 154
Tumor inguinis ſi tarde ad ſuppurationẽ aſpiret, quid faciendum 168

V

Vacuatio naturalis ſpontanea, in peſte nõ cohibẽda aut præpediẽda 522
Vapor putridus & graueolẽs, an peſtilentiæ amuletum ſit 403
Vaporarii in curatione commendatio 110
Variolæ & morbilli puerorũ Epidemii ſunt peſtilentes ſed leuiores 363
Venæ ſectio quid in ſanis, & Elephanticis præſtet. 281. in Elephanticis, quomodo adhibenda 289
Vena qualis & quo loco ſecãda in bubonis curatione 165. & 167.
Venæ ſectio in febre peſtilẽti quando intermittenda 515. quando adhibẽda 516. an in curãdo carbũculo admittẽda 548. quid efficiat in morſibus ferarũ venenatis 506. quid efficiat in lue venerea ibid. quando in peſte correptis adhibenda 497. propriũ peſtis remediũ nõ eſt 505
Venenum in nobis ſpõte gigni poteſt 262. venereum non in aere ſed in humore quodam vires habet 6
Veneni venerei & peſtilentis in curatione differẽtia 166
Venenata quæ ſunt trib. modis nos afficiunt 6
Venenorum tria genera tres morborum differẽtias faciunt 7
Venenum peſtilẽs, cur ſtatim cor hominis petat 527. ſæpe alterius veneni alexiterium eſt 404. omne alexipharmacis melius, quam catharticis extingui 506
Venerea lues vnde & cur ſic dicta 11. inter Epidemicos morbos nõ recenſenda 9
Venerei morbi ſignum in vrina non conſpicitur 13
Venereum virus fulminis aliquando naturã imitatur 16
Venerea lues quarũ partium vitium ſit 1. 42

Venereã luem declinaturus, quid facere debeat 41
Ventus auſtrinus tẽpore peſtis admodum noxius eſt 365. tempore peſtis qui conueniant 428
Venus immoderata tempore peſtis vitanda 431
Verbaſci vnicaulis flos flau⁹, aduerſus venena multum valet 462
Verbenę in terrã ſparſę folia, à ſerpentium morſib. vindicant 460
Veteres cur nulla remedia excogitare potuerint, quibus Elephãtẽ funditus extirparent & curarent 270. quid ad prçcauendam Hydrophobiã vſurparint 336
Veſicæ vbi & quãdo in peſte excitãdæ 534. ceruix vnde exulceretur 181
Veſicatorium in carbunculi curatione quomodo adhibẽdum 548. infantibus conueniens 498
Victus in curãda gonorrhæa qualis eſſe debeat 176. ratio qualis peſtilenti cœli ſtatu tenenda 417. in Elephãtiaſi obſeruanda 273. in hydrophobia prohibẽda 342. in curando veſicæ vlcere 182. in curatione luis venereæ, quæ obſeruanda ſit 93. in Chinæ radicis vſu quæ 73. ſub initium peſtis, qualis inſtituenda 436. omni antidoto præſtantior eſt 438
Vinum generoſum tempore peſtis conuenit 472. ad arcenda peſtis incommoda mire efficax, ſi mane hauriatur ante ientaculum 415. tempore peſtis, quomodo diluendum 444. in peſtilentia vim magnam auxiliandi habet 421. cur lue venerea laborantibus interdicatur 115. multis vitiis obnoxium 365
Viperas quomodo veteres ad Elephãtiæ curationem adhibuerint 297
Viperarum carnis qualitates manifeſtæ quæ 296. vſu an Elephantici curari & ſanari poſſint 298
Vitia congenita, nulla arte proſus tolluntur 101
Vlcera in Elephantia emergentia, quomodo curanda 292. in ceruice veſicæ, quomodo cognoſcenda 181
Vlcus ceruicis veſicæ cũ gonorrhęa non confundendum 180
Vlcera & carunculam in pene quid efficiat 181
Vnguentum cicatricem in pene trahens, & fluxiones repellens 184
Vlcera qualia in bilioſis Melãcholicis, pituitoſis & ſanguineis naturis, à lue venerea excitentur 12. morbi Gallici oſſa exedunt & corrumpunt 13. arte facta à peſte imminente vindicant

cant 433. quæ ante cœptã curationem occalluerunt quomodo curanda 139. venerea quomodo extinguenda 121. quæ fauces occuparũt, quomodo profliganda 136. luis venereæ quib. tollantur remediis 2
Vnguentũ quo dolores qui adhibiti medicamenti acrimonia in pene concitantur, leniuntur 193
Vnguenta Elephãticis à balneo illinenda 324
Vnguentum emolliẽs, rarefaciens ac detergens cutem 322. Cathæreticum ad curandam carunculam penis 191. quo cereolus ad atterendum penis tuberculum illinẽdus eſt 195. pro ſedandis doloribus in lue inueterata 144
Vnguenta aliquot in frigidis naturis vſurpãda 249. pro temperatis ib. pro calidis 250. pro pruriginoſo & ſcabro corpore ibid.
Vnguentum penis vlcera ſiccans & tergens 183
Vnguẽti ex hydrargyro cõfecti crudelitas 24
Vnguentum ex hydrargyro ſimpliciſſimum 133. pro ſciſſuris manuum & pedum 135
quo vlcera à lotione ſerpentia obducẽda 139. quo ceruix, tẽpora, cordis regio, os ventriculi, & genitalia eius, qui peſte correptus erit, primis dieb. mane & veſperi illinẽtur 483
Vnicornis cornu aduerſus omnes morbos peſtilentes remedium optimũ eſt 464
Vniones ſeu Margaritæ, aduerſus venenũ valent 468
Vomitio quo magis vrget, hoc periculoſior febris peſtilens eſſe ſolet 520
Vomit⁹ in peſte vnde & quomodo cohibendus ibid.
Vrina quibus præſidiis cienda 201. cur non turbida & confuſa cernatur in febre peſtilenti 389

Z

Zvlapii ad alexipharmacum pertinentis deſcriptio 43

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



Digitized by Google

Digitized by Google

REST. LIBRO ANTICO
Cav. Giovanni Di Giacomo
Tel. 71650 - PESCARA
1975

Digitized by Google

Digitized by Google